6
12-A
30

6
34 E
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

78.3.1

6-12-A-3

Digitized by Google

Digitized by Google

Tonsi Vita Emmanuel. Philibert.

M

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA EMMANVELIS PHILIBERTI ALLOBROGVM DVCIS, *ET* SVBALPINORVM PRINCIPIS,

LIBRI DVO.

Ioannis Tonſi Patricij Mediolanenſis.

Coll. Rom. Cat. B.



Soc. Jesu Inscr.
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

MEDIOLANI,

Ex Typographia q. Pacifici Pontij, & Io. Baptiſtæ Piccalei ſociorum, Impreſſorum Curiæ Archiepiſcopalis. M. DC. II.

De Conſenſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ioannes Tonſus.

PHILIPPO III. HISPAN. PRINCIPI. S. D.

RES geſtas Emmanuelis Philiberti Allobrogum Ducis, Altiſsime Princeps, neque leuiter mihi ſumpſi, vt poſteris traderem, neque munus hoc defugi cum deferretur, grauatèue ſuſcepi: ne in altero expurganda eſſet arrogantiæ ſuſpicio, ſi mihi plus æquo confidens, ſponte magnum opus, & arduum aggreſſus eſſem; in altero deprecandum contumaciæ crimen, niſi eius obſecutus fuiſſem voluntati, cui parendum erat, ſi præcepiſſet. Cum enim Franciſcus Ferdinandus Aualus, quo tempore Mediolanenſi prouinciæ præerat, me de rebus nonnullis grauioribus ad Emmanuelem Philibertum miſiſſet, redij, non modo ijs propè omnibus quæ Auali nomine petebam nullo negotio impetratis, ſed etiam benigniſsimè acceptus, & cum magna eius in me ſignificatione voluntatis. Qua in re agnoui quidem, & auctoritatem Auali, qui me legarat, & Emmanuelis Philiberti naturam, inſtitutumque: ſed quoniam humanitas ab ipſo in me profecta, (quæcunque eius eſſet cauſſa) mihi gratiſsima, atque honorifica accidebat, non ei plurimum debere non potui. Debui item, debeoq; filio Carolo Emmanueli; cùm patris cauſſa, cui dum viueret debitum non ſolueram, tùm potiſsimnm ipſius, quia me poſtèa in ſuorum numerum aſcripſit, amauit, auxit, ornauit: & cum de reddenda gratia ſolicitus eſſem, neque eius rei facultatem haberem, ad priſtina in me patris merita, ipſe alia addidit, me-

que nouis beneficijs deuinxit. Quare cùm de patris vita conſcribenda mecum ageret, meque appellaret, nullus mihi viſus eſt, (niſi ingratus eſſe vellem,) relictus negandi, ſed ne excuſandi quidem, aut tergiuerſandi locus. Quòd autem quæ exigere pro auctoritate poterat, tantummodò poſtulabat, facilitate ipſius, atque ingenij liberalitate magis etiam permotus ſum, quàm coactus fuiſſem imperio. Neque me à ſcribendo deterruit, quod par argumento non eſſem, factaq; Emmanuelis Philiberti dictis exæquare non poſſem. Sciebam enim in ponderanda certo iudicio hiſtoriæ vi, rationeque, non ſpectandum eſſe quàm ornatè quis ſcripſerit, ſed quàm verè: luculentoſq; Scriptores quia delectant, pleriſque quidem placere; ſed ieiunos etiam, & incomptos, quia itidem proſunt, dum ij veritate nitantur, à ſanis hominibus non contemni. Vbi verò materiam diligenter perpendi, cognouique quibus filis exordienda, texendaque mihi eſſet huius narrationis tela, rem libentius incæpi. Animaduerti enim optimi Principis expreſſam propoſitamque imaginem fore; vnde iuſtitiæ, ſcientiæ militaris, in Chriſtiana religione tuenda conſtantiæ, atque in aduerſis miræ fortitudinis petatur exemplum; quod quiſquis ad imitandum ſibi propoſuerit, & ad illud actione proximè acceſſerit, exploratum habeat, ad veram laudem nihil amplius ſibi relictum eſſe, quod cupiat. Certè haud malè me poſiturum operam putaui, quando eloquentia deeſſet, qua eum exornare debueram, ſi claritatem eiuſdem (quantum in me eſſet) tenebris vetuſtatis obſcurari non paterer. Non eſt enim cur Rex, Imperatorue, aut alius quiuis ſummus vir ſe ipſum fallat, aut de pulcherrimis facinoribus ſuis ſe iactet; de quibus, niſi veritatis lux hiſtoria loquatur, paullatim ea ſeneſcunt, paucorumque annorum ſpatio obliuione delentur: ita fit, vt quicquid boni illi

ni illi egerint, quicquid mali, eodem habeatur loco, quoniam de vtriſq; ſilentium eſt. Atque vtinam Emmanuelis Philiberti maiores aliquando in huius rei cogitatione, curaque verſati fuiſſent: multorum ſanè procerum illorum, vnum, alterumue paullo illuſtrius factum, aut dictum vix meminimus, qui annalium monumentis celebrati, atque à magnis Scriptoribus ſuperioris, noſtræque memoriæ commendati ſempiternæ gloriæ fuiſſent. Hoc enim Sabaudæ gentis peculiare fuit, vt ex eis ſemper complures exiſterent, qui omni laude domi, militiæque cumulati eſſent; vt pietatis in Deum, artisq; bellicæ vero honore florerent, atque vt filij plerunque patribus antecellerent. Cuius rei, ne longius exempla petamus, nemini dubium eſt, quin excellentior fuerit Carolo patre Emmanuel Philibertus: Conſtat itē huius filium Carolum Emmanuelem ſic in patris veſtigijs inſtitiſſe, vt ipſum propè iam æquarit; & quò plus ætate proceſſerit, eò clariorem fore. Quarè quiuis ſatis intelliget, quales item futuri ſint eius liberi, propinqui tui: quibus præter paterni generis miram dignitatem, contigit præterea, vt ex Catherina ſorore tua naſcerentur: quam vbi optimam, prudentiſſimamq; appellaro, dicam quidem, quod non modò in lectiſsimis Reginis rariſsimum eſt, verùm etiam in quouis præclaro Principe glorioſum, ſed non omne id dicam, quod debeo. Splendet enim in ea quiddam pluſquàm humanum; atque ita elucet admirabile lumen, vt id cuiuſmodi ſit, ne oculis quidem mentis perfectè perſpiciatur, verbis autem exprimi non poſsit. Cùm vero librum eſſem editurus, multa me, ſed duo præcipuè impulerunt, vt illum cum tui nominis inſcriptione diuulgarem. Alterum, vt quod maxime conuenire, atque aptiſsimum eſſe videbatur, facerem, decebat enim acta & magni Principis, & affinis tui, & in pace clari, in bello fortiſsimi, mitti

ad

ad te ſummum Principem, affinem eius, adoleſcentem florentiſsimum, lætiſsimos, & vberrimos fructus editurum: vel cum armatus impios ſacroſanctæ noſtræ Religionis hoſtes profligabis, vel cum innumerabiles nationes, tibi ſubiectas ſapienter reges. Ad hæc, quæcumq; bella ille geſſit, labores ſuſtinuit, pericula adijt; pro patre, & auo tuo Carolo V. Roman. Imperatore fecit; ad quos curas ſuas omnes referebat, & in eis conſumebat, non tàm de ereptis patri ſuo, ſibique prouincijs recuperandis, quàm de illorum tuenda armis dignitate, dilatandoque imperio ſolicitus; vt harum rerum narrationes ad neminem, magis quàm ad te vnum mittendæ eſſe viderentur. Alterum, vt aliquid efficerem quod meam in te perpetuam, ac ſingularem obſeruantiam teſtaretur. Nam vbi primum ex pueris exceſsiſti, tuarumq; virtutum percrebuit fama, atque indies manauit latius, ſenſi me totum ad te mirificè colendum, & obſeruandum inflammari, Neque enim aliter fieri poterat, cum apertè viderem, te æque Deo, atque hominibus cariſsimum eſſe: quem is cæteris mortalibus anteferret, cui tot bona aſſignaſſet, dediſſet; in quem tanta ornamenta congeſsiſſet. Certè quoquò nos vertimus, te omnis gloriæ ſplendore præditum eſſe conſpicimus. Si genus quærimus, vetuſtiſsimum, & clariſsimum inuenimus. Si maiores, offert ſeſe longa Regum ſeries, eorum nempè omnium, qui Chriſtianæ veritatis cultores antea in Europa fuerunt: Romanorũ vero Imperatores decem, quot nulla vnquam habuit familia, ex quo tempore Romanum ortum eſt Imperium: ijque inuicti; qui non ſæpius prælium commiſerunt, quàm victoriam conſecuti ſunt. Si parentes, quid excelſius? Philippus nempe Rex, Regum maximos, vnicum iuſtitiæ columen, firmiſsimum Chriſtianæ Reipublicæ præſidium: & Anna ſui ſeculi decus, Maximiliani II. Cæſaris Auguſti filia, & Rodul-

dulphi II. Cæſaris Auguſti ſoror. Si potentiam, profectò tu populis innumeris, ac bellicoſis imperabis: immenſas opes, aceruos auri, gemmarumque, ex tuis regnis, præſertim ex vtriſque Indijs, atque ex vaſtis regionibus Americis, Magellanicisque, conſequeris. Si latitudinem imperij, ad arbitrium tuum, quod cuiquam poſt hominum memoriã præter patrem tuum non legimus à ſuperis conceſſum, per tuas ditiones, aut Regum dedititiorum, gentiumq́ue deuictarum, vti in cœlo Sol, vniuerſum terrarum orbem circum ibis. Atque illa per ſe ingentia, immenſa; ſed (ſi mihi liceat liberè dicere quòd ſentio,) non plane tua: quia, cùm externa, tùm varijs caſibus propoſita. Hæc verò tua omninò, ac propria, quæ tibi auferre queat nemo, quæ nullo caſu poſsis amittere. Magna indoles, magnum acumen ingenij, mens omnis diſciplinæ capax: animus non ſolum ad litterarum ſtudia propenſus, ſed etiam ab ijs optimè iam informatus; iam ijs excultus; iam ità expolitus, vt tua eruditio magiſtrum etiam, & moderatorem tuum illuſtret, magnanimitas, fortitudoque; qua præ te fers, cùm vſus fuerit, bella tè alacriter ſuſcepturum, fortiterque pericula pro communi ſalute ſubiturum. amor, & cura cognoſcendi quid vbique geratur; quomodo publicæ res tractentur; qua ratione regna gubernentur: ſi qui durioribus moleſtijs conflictati ad clementiam tuam confugerint, quo pacto eis conſulas, opé feras, rationibus eorum proſpicias, taceo eximiam bonitatem. prætereo benignitatem. ſileo morum ſuauitatem, cum grauitate, & integritate coniunctam, cupiditatem bene omnibus faciendi, benè de omnibus merendi, quorum partem fautrix quidem natura tibi largita eſt; ſed pars maior, & ſine dubio melior ex ijs doctrinæ fontibus emanauit, è quibus ſapientiſsimi Regis patris tui iudicium ſecutus, vitæ tuæ inſtituta haurienda cenſuiſti. Hæc ſunt, quæ incredibilem

tui

tui expectationem concitarunt; quæ magnam admirationē habere mihi viſa ſunt: quæ incredibili tui ſtudio me adeò incenderunt, vt optarem, quàm celerrimè te aliquod meæ ſummæ in te pietatis teſtimonium habere. Itaque mitto ad te librum hunc vigiliarum mearum munus, tenuem prædioli mei fructum: quo tamen neque maius quicquam habui, neque quod in meis exiguis facultatibus pluris æſtimarem. Is liber, ne tibi inuiſus, aut ingratus ſit, magnoperè laboro; immò legi à te libenter, ac probari vehemēter opto. Quod ſi ex ſententia ſucceſſerit, me fortunatum putabo. Sin ſecus, in eorum numerum referri me non ægrè patiar, qui magna conantur, & aſſequi nequeunt: neque enim reprehendendi videntur, ſi labor eorum inanis eſt, non vitio quopiam, ſed virium imbecillitate. At, quoniam rectè, atque meo pede me ipſum metiri non didicerim, neque diſcernens quantum inter celſitudinem tuam, & humilitatem meam intereſſet, his literis tibi obſtrepere auſus ſim; aut etiam dum mihi, meiſque ſtudijs impenſius faueo, quòd prudens, & ſciens id egerim; ſi qua debetur pæna, eam te mihi pro tua vel manſuetudine, vel animi magnitudine facilè remiſſurum ſpero, Mediolani Kalen. Auguſti. M. D. XCVI.

INDEX.

INDEX.

A

ACADEMIA è Monteregali Taurinum transfertur. fol. 180
Acies inſtructa aduerſus Memorantium. 141
Acies Tornei. 151
Asies Egomontij. 151
Alba Dux, & Dux Nemoroſij ab Emmanuele Philiberto hoſpitio accepti. 230
Alexander Farneſius Taurinum in Belgas iturus. 246
Alfonſo Aualo ſumma belli permittitur, & que in Subalpinis gerit. 24.23
Allobroges olim Regem habuerunt. 1
Allobrogum regio diuiſa in Delphinatum, & Sabaudiam. 1
Amodeus VII. ſummus Pontifex. 5
Diuini Mauritij militiã inſtituit. 5.222.223
Amedeus filius ad patrem perductus. 229
Angelus Mediceus ſummus Pontifex renuntiatur. 171
Andreas Auria periculum vitat. 71
Andreas Prouana per medios hoſtes in oppidum Beapalmium peruadit. 101
Claſſi preficitur. 171
Andreas Prouana cum triremibus quatuor Melita ſubſidio mittitur. 194
Andreas Prouana cum triremibus Meſſanam mittitur. 214
Cum fœderatorum claſſe ſe coniungit. 215
Mandata Emmanuelis Philib. Ioanni Auſtriaco exponit. 216
In pugna nauali vulneratur. 217
Belagardiũ vrget vt Hugonotos dimittat. 264
In Italiam mittitur ab Emmanuele Philiberto. 113
Antonius Leua Chabodo ſe opponit, impetum eius retardat. 21
Exercitui preficitur. 24
Paullò poſt moritur. 24
Apparatus belli Germanici. 47
Apparatus belli Belgici 136
Aqueductus ædificatur. 227
Horti fonte & ſpecu ornantur. 227 228
Aqua alia in oppidum inducta. 228
Aqua perducta ad irrigãdã Foſſani planitiẽ. 228
Arces Vercellis, Montemeliani, Taurini, & alijs locis extruuntur. 194
Arci Ioſephus Careſana preficitur. 195
Arx Taurini perfecta, & in ea puteus inſignis. folio. 196
Arx ad Montemregalem conſtruitur. 227

B

BArchinon Emmanuelis Philib. prudentia, & virtute, conſeruatur. 73
Beatrisis Sabaude fœcunditas, & virtutes. 8.9.
Beatrix Emmanuelis Philiberti mater Niceæ moritur. 26
Belagardius Gallie Mareſcallus in Delphinatum mittitur legatur ad Polonos. 256
Cum Emmanuele Philib. de Rege conqueritur. fol. 257
Milites cogit. 259
Biragum perſequi ſtatuit. 262
Pollicetur non vſurum Hugonoto milite. 262
Acceptis ab Adigeria auxilijs è Salutio Biragum pellit. 264
Ab Emmanuele Philiberto dimittitur. 269
Eius mors. 270
Belgarum noua defectio. 246
Belgæ ad Gallorum caſtra accedunt. 92
Funduntur. Ab Emmanuele Philiberto occurrente recipiuntur. 94 95
Belgarum prefectorum conſiliũ improbatur folio. 106.107
Belli initium, & cauſſa inter Philippum & Henricum Reges. 69
Belli inter Gallum & Hiſpanum Reges finis. 152
Bellum à Rege Gallorum motum. 13
Quibus rationibus Gallorum Reges affirment Mediolanen. ditionẽ ad ſe pertinere. 15.16
Bellum in Germania aduerſus Cæſarem excitatum. 41 42
Bellum inter Paulum IIII. Pontif. Max. & Philippum Regem. 130.
Bellum inter Reges Hiſpanum & Gallum renouatur. 132
Bellum à Sebaſtiano Luſitaniæ Rege aduerſus Regem Maurum. 248
Trium Regum eo bello mors. 249
Beroldus Saxo Allobrogibus à Cæſare auxilio miſſus. 2
Beroldus Sabaudorum Ducum origo. 2 3
Eius maiores, Põtifices, Cæſares, Reges Duces. 3
Genuenſes bello reprimit. 3
Sequanorum regno preficitur. 3
Bella multa feliciter gerit. 3.4
Beroldus primus Sabaudiæ imperium à Conrado Cæſare accipit. 4
Beroldus & eius poſteri vſq; ad Philippum Emmanuelem Caroli Emmanuelis filium, Principes. XXVII. 4
Bincium à Gallis inceditur. 114
Biragus ab Emanuele Philib. colloquiũ petit. 259

Digitized by Google

Briſatus Regis Gallorum præfectus cum Emmanuele Philiberto ut eum Regi adiungat. 44
A Cuneo repellitur. 133
Oppidum obſidet. 133

C

CAletem Galli expugnant. 149
Carectus, & Titiones in gratiam recipiuntur. 180
Carolus III. Sabaudus Emman. Philib. pater, Beatricem Emmanuelis Luſitaniæ regis filiam uxorem habuit. 8
A Gallorum Rege bello improuiſo propè oppreſſus. 13
Filium, & uxorem Mediolanum mittit. 20
Ibi Catherinam filiam amittit, Niceam petit. 21
Legatos ad Cæſarem mittit. 33
Ipſe Vermatiam ad Cæſarem. 33
Cum Emmanuele Philiberto ad Cæſarem. 34
Philippo Regi nauiganti munera mittit. 60 61
Eius mors. 98
Carolus V. Cæſar Guleta expugnata Neapolim proficiſcitur. 21
Cognito Gallorum motu Romam venit. 22
Cum Summo Pont. quæritur de Gallorum Rege. 22.23
Per Aemiliam ad Inſubres peruenit. 23
In Prouinciam contendit. 24
Quanta ei moleſta acciderint. 32
Genuam venit Algerium iturus. 34
Ad Ingolſtadium caſtra ponit. 49
Caſtrorum eiuſdem ſitus. 49
Emmanuelem Philibertum poculis inuitat. 55
Quæ ab eodem dicta atque reſponſa. 55
Ducem Saxoniæ perſequitur. 58
Albim tranſit. 58
Exercitum eius fundit. 59
Ipſum & Bruſuicienſium Ducem capit. 59
Philippum filium, ex Hiſpania euocat. 60
Maximilianum illuc mittit. 60
Ad oppugnandum Metim. 76
Incommoda exercitus. 77
Re infecta diſcedit. 78
Copias ſuas non auget. 91
Emmanueli Philib. ſcribit ut ſe tueatur. 92
Eius in Emmanuelè Philibertũ humanitas 98
Emmanuelem Philibertum ad ſe è caſtris euocat. 110
Eidem ſtipendium auget. 113
Nuntium accipit de victoria Iacobi Medices aduerſus Strozzam. 116
Concilium conuocat.
Quærit an mouenda ſint caſtra.
Multi cenſent mouenda.
Emmanuel Philib. diſſentit, & ibi eiuſdem oratio. 120 121 122
Sententiam Emmanuelis Philib. probat. 123
Rex Gallus Rentino diſcedit. 123
Relicto imperio & regnis in Hiſpaniam ſeceſſit. 129
Eius mors. 152
Carolus Regis Gallorum filius in Belgis moritur. 44
Carolus Emmanuel Emmanuelis Philiberti filius naſcitur. 175. 176
Priuatim ſine põpa ſacro fonti admouetur. 176
Sacro fonti ſolemniter admouetur. 204
In puero indoles, & virtutum indicia. 205
Nonnulla ab eo præclare geſta. 295
Regi Gallorum ebuius. 236
Semina virtutis in puero. 236
Carolus auſtriacus ab Emmanuele Philib. hoſpitio accipitur. 288
Carolus IX. Frãciſco II. Gallorũ regi ſuccedit. 173
Carolus IX. Gallorum Rex moritur. 231
Carolus Cardinalis Borromeus Taurinum ad inuiſendam Sindonem. 250
Catherina Medicea Gallorum Regina Gratianopolim. 264
Emmanuelem Philibertum rogat ut eodem veniat. 265
Cartuſiani ſcriptores eruditi. 2'3
Cæſar Belagardius ab Anſelmo detentus, & dimiſſus. 270
Certaminum Ludicrorum trium deſcriptio. 39
Conditiones æquas impetrat Caſtileti Præfectus. 145
Coniuratio perditorum prodendæ Niceæ detecta. 214
Coniurationes in Allobrogibus. 247
Miſſus illuc Andreas Prouana. 247

D

DAnuilla Taurinum ad regem. 237
Conſeruatur ab Emmanuele Philib. 237
Deſcriptio tormenti parui, & magni, quæ ſclopeta, & Bombarda dicuntur. 52.53.54
Et quo tempore inuenta ſunt. 55
Deſcriptio ſãctæ Sindonis, et eius virtus. 250. 251
Quomodo ad Sabaudos Duces peruenerit. 252
Deſcriptio putei in Taurinenſi arce. 196
Deſcriptio ſpecus, & fontis. 227
Diligentia Emmanuelis Philib. in ſecuritate Belagardij. 274
Diligentia eiuſdem in euitanda in ſuis prouincijs peſtilentia. 245
Diſſenſio inter Præfectos Cæſarianos. 108
Dominicus Volueta Cæſarem Belagardium ex arce Carmagnola expellit. 273
Dux Guiſia cum copijs in Italiam mittitur. 131

Digitized by Google

E

EMmanuel Philib. natus Camberij. 1528. 9
Quæ de eo Mathematici dixerunt. 9
Similitudines inter ipſum & patrem. 9
Quomodo à matre educatur. 10
Annum agens tertium à Clemente VII. Cardinalis dicitur. 11
Ad militarem diſciplinam propenſus. 12
Eius indoles, & quibus rebus ſe exerceret. 27
Litteras didicit.
Mathematicis deditus.
Pueritiæ eius moderatores. 28
Eius verba ad Cæſarem, & reſponſum eius, & iudicium de puero. 34
Eius modeſtia. 40
Vormatiam vt bello Germanico militet. 42
Magno honore excipitur. 43
Briſaco prudenter reſpondit. 41
Agmini Cæſarianæ Aulæ præficitur. 48
Bello Germanico præclarè ſe gerit, & de eo Cæſaris iudicium. 59.60
Regi Philippo occurrit; & humaniſſimè accipitur. 63
A Rege laudatur, & ibi eius modeſtia. 65.56
Cum Philippo Rege in Italiam venit. 66.67
Impetrat à patre vt in Hiſpaniam proficiſci liceat nonnullis non probantibus. 67
Philippum Regem proſequitur, vſq; Cæſaream Auguſtam. 68
Templum Mariæ Virginis in Monteferrato petit, & ibi eiuſdem pietas. 68
Bacchinonẽ redit, & eam vrbẽ tuetur. 72.73
Cum Maximiliano Genuam. 74
In exercitu Gonſagæ equitatui præficitur. 71
In Belgas ad Cæſarem. 75
Equitibus Belgicis præficitur. 76
Amore capitur, & eiuſdem ſumma virtus & continentia. 78
Exercitui omni Cæſariano præficitur. 81
Multa in caſtris deprauata corrigit. 82
Numerus copiarum, & præfectorum nomina ſub eo poſt captum Taruanam. 82.83
Hedinum oppugnat. 83
Prudentia in oppugnando. 84
Oppidum expugnatur, diripitur, deletur. 89.90
Caſtra ad Lyſum ponit. 92
Caſtra mouet, in Beapalmium præſidium mittit. 95.96
Copijs Gallorum ſe opponit, ne Beapalmium oppugnent. 99.100
Eiuſdem animi præſentia. 108
Aquitanos è colle quem occuparant eijcit. 117
Oppidum extruit quod Hedinum fert appellat. 113
Eiuſdem in inimici filium humanitas. 125
In Britanniam, & inde ad Cæſarem. 125
A Regina Britanniæ legitur in ordinem diui Georgij. 125
Vno via comite in Italiam venit. 127
Bruxellas redit, & ibi magna eius cura, & in deliberando prudentia. 129
A Gallorum Rege ſolicitatur. 130
A Philippo Rege omnibus copijs præficitur 135
Santumquintinum oppugnat. 137
Eius oppidi ſitus. 137
Colignij natura, & mores. 138
Eiuſdem aſtutia in ferẽdo Santoquintino ſubſidio. 138
Tormenta ad Santumquintinum promota. 139
Aduerſus Memorantium. 141
Aciem inſtruit. Prælium committit. 142
Memorantius funditur, capitur, copiæ eius cæduntur. 143
Santumquintinum vi expugnatur. 144
Colignius Dux capitur. 144
Caſtiletum oppugnatur, & deditur. 145
Hana arx deditur, & alia minuta oppida. 145
Comitẽ Egmontiũ cõtra Termeũ mittit. 110.
Prælium: quo Termeus funditur, & capitur. 111.152
Exercitum reducit, Bruxellas proficiſcitur. 146
Eiuſdem diligentia. 149
Eiuſdem in captiuos benignitas. 154
Emmanuel Philib. è Belgis in Galliam. 160
Margaritam Regis Henrici ſororem vxorem ducit. 162
Bruxellas proficiſcitur. 163
Philippum Regem comitatur. 163
Lugdunum, Auenionem, Maſſiliam, Niceam peruenit. 165
Eiuſdem lenitas, & clementia. 166
Publicas res ordinat. Vectigalia auget. 167
Vitia in Iuredicundo corrigit. Decreta & ſanctiones edit. 170
Gymnaſium inſtituit, & qui viri inſignes in eo docuerint. 170
Ex Ripuli Foſſanum cum vxore, & filio. 177
Pecuniam mutuo accipit.
Aureum nummum Gallorum Regi centumuiginti millia mutuo dat. 180
Gymnaſium Taurinum transfert. 180
Mediolanum, Brixellum, Camberium item, & Auguſtam petit. 181
Quæ geſſit eo itinere. 181
Periculoſe ægrotat. 181
Morbo leuatus Sauonem petit. Templum Mariæ Virginis inuiſit. 183
Oblatum à Solymano Cypri regnum reſpuit.
Diſputatur in vtramque partem.
Summum Pont. Regem Philippum, & Venetos certiores facit. à 184. ad 191.

Ipſe & vxor Lugdunum, Auenionem, Cuneû. 292
Legibus ſuis paret. 192. *Eiuſdem liberalitas.* 193
Iacobum Sabaudum Ducem Gebennenſium dicit. 193
Ex familiaribus Cataſractorum turmam conficit. 195
Numerum Conſiliariorum minuit. 165
Auguſtam ad Caſarem. 197
Eidem auxilia mittit. 198
Pedeſtrem militiam in ſuis ditionibus inſtituit. 199
Eiuſdem diligentia. 204
Equitatum conſcribit. 207
Ei Philippum generum præficit. 207
Emmanuel Philib. in benemeritos gratus. 221
Eiuſdem cura de tuenda Republica Chriſtiana. 222
Magnus Magiſter creatur Militiarum Diuorum Mauritij, & Lazari. 223
Venetias ad Gallorum Regem. 232
Ayamontium perſuadet vt Gallorum Regem inuitet. 232
Eiuſdem conſilium de ſedandis Gallorum motibus. 234
In morbum incidit. 239
Eodem tempore nuntij de periculo vxoris, & filij. 239
Henricus Rex ad inuiſendum eum. 239
Lugduno diſcedit. In itinere cognoſcit de morte vxoris. 239
Taurinum incolumis peruenit. 243
Amedeum filium, & alios in Ordinem Nuntiata legit. 244
Regi Gallorum ſcribit quid de Belagardio ſentiat. 259
Andream Prouanam ad Biragum, & ad Belagardium mittit. 259 260
Regem Gallorum de malis imminentibus docet. 260
Regem, & Biragum monet quid faciendum cenſeat. 260
Belagardium in officio continet. 261
Cum Lanceſino prudenter loquitur. 261
Conatur Belagardium Birago conciliare. 262
Eius conſilium. 265
Grattanopolim peruenit. 266. *Colloquium cũ Regina.* 266
Belagardius illuc euocatur, Mareſcallus appellatur. Regis legatus in Italia conſtituitur. 267. 268
Auxilia Valetta mittit, quibus Anſelmus expellitur. 272
Veluoram in officio concinet. 274
Suburbana frequentare incipit. 276
Publicas res filio committit. 276
Quomodo horas noctis, & diei partiretur. Alia ad priuatam vitam pertinentia. 276
Lepidè ab eo dicta. 277
Studium Chriſtianæ Religionis, Iuſtitia, Clementia, & alia eius virtutes. 278
In otio quid ageret. 279
Statura, & totius corporis cõſtitutio. 280
Febris eum inuaſit. & ſanguis copioſus è naribus. 281
Expiatus criminibus, & ſacramentis Eccleſia munitus moritur. 281. 282
Nuntij de morte ad Philippum Regem, & alios Principes. 283
Philippi Regis iudicium de Emmanuelo Philiberto. 283
Eporedia à Gallis capitur. 125

F

Fœdus inter Gallorum Regem, & Selymanum. 36 37
Fœdus Germanorum aduerſus Caſarem. 41
Eiuſdem fœderis cauſſa. 42
Franciſcus Ferdinandus Aualus Cuneo obſeſſo ſub ſidium fert. 134
Franciſcus II. Galliarum Rex Ditiones Emmanueli Philib. reddit, retentis oppidis non nullis. 163. 164
Franciſcus Baccodus nuntius Sum. Pont. ad Emmanuelem Philibertum. 172
Item à Republica Veneta, & Ferrarienſium Duce, & alijs ad Emmanuelem Philib. legati. 173
Franciſcus II. Gallorum Rex moritur. Regnum ad Carolum fratrem defertur. 173
Friburgenſes, & Bernenſes Vantuatum, & Chablaſij ditiones occupant. 19. 20

G

Galli oppugnationem Beapalmij dimittunt. 102
Rurſus Belgarum fines inuadunt. 111
Gaſparis Colignij natura & mores. 138
Genouenſes Epiſcopum expellunt, à Carolo Sabaudo deficiunt. 19
Georgius Coſta aduerſus Angronianos, 173. 174
Prælium cum Angronianis. 144
Geſtain Subalpinis ab Alphonſo Aualo Caſariani exercitus Imperatore. 38
Gratulationes de reditu Emmanuelis Philib. 166
Gregorius XIII. Legatum ad Regem Gallorum mittit. 235
Gymnaſium in Monteregali. 170

Hedi-

Digitized by Google

H

HEdiunum capitur,& deletur. 89
Heluetij Ditiones Chablaſii, Gaij, & Ternaci occupatas Emmanueli Philiberto reddunt. 194
Heluetiorum Legati ad Emmanuelem Philibertum fœdus ſanctiunt, donati diſcedunt. 260
Henricus II. Gallorum Rex in Belgas cum magnis copijs. 91
Cameraci oppugnationem tentat. 102. Re infecta diſcedit. 106
Ad Caſtra Emmanuelis Philib. accedit, & repellitur. 100
Rurſus cum exercitu in Belgas. 113. Ad oppugnandum Rentinum. 115
Eiuſdem conſtantia,& animi magnitudo. 147
Exercitus duos conficit. 148
Copias contrahit,& in regnum ſe recipit. 152
Henrici Regis filij Emmanueli Philiberto obuij. 160
Eiuſdem Regis ſplendor in ſororis, & filia nuptijs. 161
Eiuſdem interitus, & cauſſa. 161.162
Henricus III. Valeſius Polonorum Rex eligitur. 229.230
Occultè è Cracouia diſcedit. In Germaniam, & Venetias venit. 231
Nuntium, & litteras Emm. Philiberto mittit. 231
In Galliam per Inſubres proficiſcitur. ex Emmanuelis Philib ſententia. à 232. ad 235.
A Principibus Italis excipitur 235. Ibidem de eius breui felicitate.
Benignitas eius in Emmanuelem Philib. & Emmanuelis Philib. modeſtia. 237.238
Penarolium, & Sabinianum Emmanueli Philiberto dimittit. 238
Hieronymus Ruuereius ab Emmanuele Philiberto ad Regem Gallorum Legatus. 164
Taurini Archiepiſcopus. 164
Hiſpani in Belgas redeunt. 246
Horatius Farneſius interficitur. 87
Hoſtes ad caſtra Cæſaris,& eius conſilium. 50
Hugonotæ factionis initium. 173
Eorumdem conatus,& maleficia. 176
Eorumdem factio difunditur. 205
Hugo Boncompagnus Sum. Pont. Gregorius XIII. appellatur. 221

I

IAcobus Sabaudus Nemoroſii Dux Taurinum. 228
Iannoctus Caſtilioneus ad Emmanuelem Phil. 233
Ieſuitarum collegio duo Camberij, & Taurini. 212
Vtilitas ex eorum familia. 213
Indutiæ inter Cæſarem,& Gallorum Regem. 25
Induttiæ illæ in annos nouem producta. 31
Inſidiæ ab Hugonotis Emmanueli Philib. 204
Inſigne Ordinis Nunciatæ. 209
Ioannes Federicus Saxon. Dux,& Langrauius copias coniungunt. 48
Iulius III. Pont. Max. moritur. 127

L

LAncoſmus à Gallorum Rege ad Belagardium mittitur. 261
Langrauius gloriatur ſe victorem fore. 49
A Duce Saxoniæ diſiungitur. 56.57. Cæſari ſe dedit. 59
Lætitia communis de pace. 157
Leo Strozza Barchinonem occupare conatur. 70
Liberalitas Emmanuelis Philib. dum Reginam Gallorum hoſpitio accipit. 268
Litteræ Cæſaris ad Carolum Sabaudum, & reſponſio. 46.47
Eiuſdem Litteræ ad Emmanuelem Philib. 146
Ludouicus Sabaudus Emmanuelis Philib. frater in Hiſpania moritur. 11
Ludouicus II. Sabaudus Cypri Rex. 7
Luſitanum Regnum ad Philippum Regem peruenit. 249
Luſſanius à Rege ad Belagardium. 263

M

MArcellus Ceruinus Sum Pont. creatur. 127
Marcus Antonius Galeatius Liburnicas expugnat. 225
Margarita Emmanuelis Philib. uxor Niceam venit,& eius Ciuitatis lætitia. 166
Eiuſdem prudentia, charitas, conſtantia ægrotante viro. 182
Eiuſdem virtutes,& mores. 240.241
Quam piè è vita diſceſſit. 241.242
Maria Britannia Regina Philippo Hiſp. Regi deſpondetur. 112
Maria Emmanuelis Philib. filia Philippo Ateſtino nubit. 206
Matrimonium Emmanuelis Philib. & Margarita Valeſia. 162
Maximilianus Cæſar moritur. ſufficitur Rodulphus filius. 246
Mehemetis aſtutia. 198
Memorantius Magiſter Equitum à Gallorum Rege ad Santumquintinum. 139
Dimicare nolebat, ſed cogitur. 141
Eiuſdem de pace conſilia. 152

Per-

Permittitur eidem vt ad Gallorum Regem proficiſcatur. Redeunte agitur de pace. 155
Miniſtrorum vitia: 187
Metus magni in Gallia, miſſa ab Emmanuele Philiberto Regi auxilia. 176
Metus in Subalpinis. 254
Metus ex morte Belagardij. 270
Motus in Allebrogibus. 152

N

Naualis belli cauſſa. 255
Nauarcti Hiſpani virtus. 139
Nicea à Gallis, & Turcis expugnatur. Arx fruſtra oppugnatur. 37.38
Nuntiata Ordo ab Emmanuele Philiberto reſtituitur. 210
Duo & viginti equites diuerſis temporibus leguntur. 210 211

O

Octauius Farneſius cum auxilijs ad Caſarem. 48
Ocſialinus, & Maminus Pirata ad Niceam. 171
Odia inter Belagardium, & Biragum renouata. 258
Offenſiones inter Pium V. & Emmanuelem Philibertum. 201
Officia Emmanuelis Philib. in Pium V. & eius propinquos. 202
Oneſlia, & Beſtania ab Emmanuele Philiberto emuntur. 244
Oppidum quod Nuntiata dicitur munitionibus firmatum. 247
Ordines, & Militia Equitum qua ratione inſtituta. 208
Ordo Nuntiata ab Amedeo V. Sabaudo inſtitutus. 209
Eiuſdem Ordinis Inſigne. 209

P

Paulus III. Pont. Max. Niceam venit. 30
Eodem tempore Caſar ad Villamfrancam, Rex Gallorum ad Villaneuam. 130
Paulus IIII. Pont. Max. matrimonium Emmanuelis Philib. probat, & de filio pradicit. 159
Pax inter Reges Hiſp. & Gallum. & pacis conditiones. 156
Pax inter Paulum IIII. & Hiſp. Regem conciliata. 152
Petrus Caraffa creatur Summ. Pont. & Paulus IIII. appellatur. 127
Petrus Mediceus hoſpitio acceptus ab Emmanuele Philiberto. 253
Philippus Chabodus Regis Galli Legatus Sabaudiam occupat. 17
Alpes tranſit Penarelio. Foſſano, Cherio, Taurino potitur. 18
Philippus Hiſpan. Rex Claſſe Genuam. Ab Auria hoſpitio accipitur. 60.61
Mediolanum venit. 61
Inuiſit Carolum Sabaudum, 62
In Belgas ad patrem proficiſcitur. 62
Bruxellas peruenit. 66
Belgarum prouinciam cum patre percurrit. in Hiſpaniam remittitur. 66.67
Ad bellum compellitur. 144
Exercitium comparari iubet. 136
Omnibus copijs Emmanuelem Philiber. prafi cit. 136
In Hiſpaniam nauigat. 163
Pila ferrea in caſtra Caſaris emiſſa. 100
Pius IIII. & Philippus Rex de Solymani conſilio certiores facti ab Emmanuele Philib. 190
Pius IIII. moritur ſufficitur Pius Quintus. 200
Pius V. moritur. 220
Penarelium, & Sabinianum recipiuntur. 243
Polonorum motus. & Nuntij Pont. prudentia. 231
Populorum pietas in Sabaudos Duces. 6
Eorum amor in Emmanuelem Philib. 169
Et quare tributa ab eis libenter conferebantur. 169
Populi ditionum Emmanuelis Philiberti iurant ſe fideles fore ſibi. 244
Penzilionus mittitur ab Emmanuele Philiberto ad Ferdinandum Caſarem Qua Caſar reſpondit. 158.159
Ad Summum Pont. mittitur. Auxilium petit. 172
Prafecti regij tergiuerſatio in reddendis oppidis. 179
Pralium leue à Ferdinando Gonſaga committitur. Caſariani pelluntur. 157.158
Pralium cum Augronianis. & quare ijdem, oppugnati. 174
Pralium ad Santumquintinum & Emmanuelis Philiber. victoria. 142.143
Pralium aduerſus Termeum & victoria.
Prudentia Caſaris. 35
Pugna ludicra in itinere, & Emmanuel Philib. partis alterius Dux. 64
Pugna naualis ad Echinadas. 219

R

Ratie ſtatus qua hodie appelletur. 17
Raueria ad Caſarem miſſus de lite Montiſferrati. 192

Rem-

Remiges Mauri, & Turcæ prætoriam triremem abducunt, comprehenduntur, pęnas dant. 225
Renſius ad Taruanam cum Cæſarianis copijs ante oppidi expugnationem moritur. 81
Rex Romanorum filiam Emmanueli Philiberto deſpondet. 33
Rex Gallorum flectitur ad pacem. 155
Emmanuelem Philib. in Equitum Ordinem diui Michaelis legit. 161
Taurinum, Cherium, Villamnouam, & Clinaſium Emmanueli Philiberto reddit. 177
Rex Hiſp. dimittit Haſtam, & Santaghatum 238
Rodulphus, & Herneſtus Max. Cæſaris filijs ab Emmanuele Philib. hoſpitio accepti. 191
Runerei opera de reddendis oppidis. 177

S

SAbaudæ gentis fœminæ illuſtres. 8
Sabaudi Duces alba cruce vtuntur. 7
Sabaudia nomen nouum, & quare ſic appellata. 2.
Sabaudiæ Duces familiæ nomen non habent. 2
Sabaudorum Ducum Chriſtiana pietas, & virtus bellica. 5
Salutienſis ditio quare ad Sabaudos Duces pertinet. 257
Santumquintinum oppidum vi expugnatur. Colignius Dux capitur. 143
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex Prælium committit, & interficitur. 248. 249
Seditio Hiſpanorũ auctoritate Emmanuelis Philib. ſedatur. 114
Sigiſmundus Poloniæ Rex moritur. 220
Simultas inter Belagardium, & Biragum, & conciliatio Emmanuelis Philib. opera. 254
Solymanus claſſem ad Hydruntum mittit, acceptis nonnullis detrimentis diſcedit. 28
Ad Siguetum moritur. Siguetum expugnatur. 198
Splendor Taurini in Regis hoſpitio. 136
Subalpina prouincia tota in Emmanuelis Philib. poteſtate. 239
Subſidium Cameraco miſſum ab Emmanuele Philiberto, à 102. ad 106
Suſpicio orta in arce Niceæ, & Emmanuelis Philib. ſcitè dictum. 31

T

TAurinum Gallis obſidetur, & ad deditionem compellitur. 18
Taurinum Emmanueli Philiberto redditur.
Termens exercitus præfectus in Belgas Oceano adiacentes mittitur. 150
Multa oppida in poteſtatem redigit. 150
Capitur, & magna nobilitatis Gallicæ pars copiæ funduntur. 151. 152
Tormenta ad Sanctum Quintinum promota. 139
Tranſlata corpora Sanctorum quinque. 243
Triumphus Marco Antonio Columnæ decretus. 220
Tumulus in Italia excitati. 57
Turcæ Galliq; tentata Villafranca, & Nicea re infecta diſcedunt. 104

V

VAldecij Comes Emmanuelem Philib. interficere tentat, ſed interficitur. 124
Valentia oppidum Mediolanenſis ditiones occupatur. 131
Valleta Dux Eſpernonius ad Cæſarem Belagardium. 271
Venetorum gratus animus. 191
Verba Cæſaris ad Emmanuelem Philib. & eius reſponſio. 112. 113
Vercellæ occupantur, & è veſtigio amittuntur. 112. 113.

Digitized by Google

DE VITA EMMANVELIS PHILIBERTI ALLOBROGVM DVCIS, *ET* SVBALPINORVM PRINCIPIS, *LIBRI DVO:*

Ioannis Tonſi Patricij Mediolanenſis.

GENTES Allobrogum notiſſimas regem habuiſſe, quandiu principis vnius imperio paruerunt: & earum prouinciam ob amplitudinem, & potentiam, & opes, regnum appellatam fuiſſe, grauiſsimi hiſtoriarum ſcriptores tradidere. Ea deinde prouincia multis ab hinc annis diuiſa eſt in partes duas: alteram, quam Galliarum Reges obtinent, & Delphinatus dicitur; alteram, quæ Sabaudia vocatur, & ab ijs poſſidetur principibus, qui Sabaudiæ Duces *Allobroges Regē habuerunt.*

Allobrogum Prouincia in partes duas diuiſa.

Sabaudia, nouum nomen.

appellantur. Nam tempeſtatis noſtræ principes, qui proximè ad Regum dignitatem accedunt, Duces nominantur: cæteri verò inferiores, vel Marchiones, vel Comites, vel alijs nouis nominibus nuncupantur. Vocem porrò, Sabaudia, apud veteres ſcriptores non legimus; neque auctorem, qui literis prodiderit, qua ratione Allobrogum regio ſic appellata ſit, adhuc inuenimus: ſed, quæ ab eruditis, & grauiſſimis viris diligenter inueſtigantes accepimus, breuiter exponemus; vt vel nominis huius rationem, cauſſamque obſcuritate inuolutam, in lucem reuocemus; vel ſaltem ne in ea perquirenda negligentes fuiſſe videamur: nam eorum opinionem, qui dictam à Vadis Sabatijs Sabaudiam putant, locorum varietas, & diſtantia refellit. Beroldum igitur Saxonem adoleſcentem fortiſſimum, cum ad Allobroges perueniſſet, ad quos tuendos à Cæſare cum exercitu miſſus fuerat, pulſis, ſuperatiſque iam hoſtibus, affirmant rei nullius maiorem curam ſuſcepiſſe, quàm vt furta, ac latrocinia depelleret: feruntque vias, quibus in Gallias ex Italia tranſitus eſt, cæteraſque prouinciæ illius, quæ omnes tùm à maleficis hominibus, ſicarijſque obſidebantur, his ſublatis pacatiſſimas breui tempore reddidiſſe. Quarè vti Flamminia, & Caſsia, & Appia via ab ijs nomen acceperunt, à quibus munitæ ſunt; ſic Allobrogum regionem primum Gallica lingua, Sax Voiam dictam, quaſi viri Saxonis viam, quòd is oram omnem illam tutiſsimam effeciſſet: deinde dempta aſperiore littera, Sauoiam, vulgari ſermone, latino verò, Sabaudiam, appellatam. Beroldi poſteros certum eſt in hunc vſque diem ſemper Sabaudos fuiſſe dictos: neque aliud illos familiæ nomen habuiſſe quàm prouinciæ illius, cuius imperium obtinebant. quod item contigiſſe, vſuque veniſſe regibus pleriſque, alijſque ſummis principibus iampridem obſeruatum eſt. Nam Cæſares Auſtriaci plures, & Galliarum, & Luſitaniæ reges, & Saxones Duces, & alij prætereà multi, vel nullum familiæ proprium nomen habuerunt, ſed à regionum nominibus, quas poſsidebant, ſibi familiæ nomen aſciuerunt; vel ſi qui habuerunt, ijs vſi non ſunt. Conſtat Sabaudum genus à Beroldo,

Beroldus Allobrogibus auxilio miſſus.

Quare ſit appellata Sabaudia.

Sabaudiæ Duces familiæ nomen non habent.

Beroldus Sabaudorũ Ducum origo.

quem

quem diximus, originem habuiſſe. Beroldum autem Germaniæ Saxoniæque annales, ex antiquiſsima ſtirpe Saxonum Regum ortum, atque auorum longo ordine, à Siguenrdo Saxoniæ rege profectum eſſe teſtantur: hic enim Vitichindeæ familiæ princeps, tametſi Chriſtianæ veritatis lumine non illuſtratus, ab anno Chriſti. DCXXXIIII. ad annum DCXC annis LVI. regia dignitate floruit; bella multa in Henetis & Pannonia fortiter geſsit: victoriam reportauit; triumphos egit. Vitichindus verò, pariter Saxoniæ rex auis ſuis eò melior & felicior, quòd Carolo Magno Cæſare auctore, Chriſtianam veritatem agnouit, & coluit; mira naturę bonitate, animique celſitudine præditus, clarus adeò domi militiæq; fuit, vt Magni cognomen, ex rerum geſtarum amplitudine traxerit: regnauit annis duobus, & triginta, ab anno DCCLXXV. ad annum DCCCVII. Vitichindeam familiam mirum in modum propagauit: ex qua Reges, Cæſares, aliique ſummi principes. Nam quòd ad Beroldi maiores attinet, præter Siguenrdum & Vitichindum Reges, de quibus diximus, numerantur præterea, vnus ſummus Pontifex Gregorius V. qui prius Bruno vocabatur; Cæſares Auguſti quinque: Henricus, cognomento Auceps, Othones tres, Henricus. II. & Saxoniæ Duces quatuor; Vigbertus, Ludolphus, Otho, & Hugo: atque alij complures, quorum nomina, ſingillatim hoc loco repetere, neceſſe non putauimus: quoniam illa ſcriptorum multorum ſtudio collecta, atque ordine collocata, Germaniæ annalibus monimentiſque continentur. Beroldus igitur hiſce tam claris maioribus inſignis, à prima ætate militari diſciplinę deditus, eiuſque gloria incenſus: cum bellum eſſet inter Genuenſes & Boſonem Allobrogum, & Arelatenſium Regem, Boſoni ab Henrico ſecundo Cæſare cum magnis copijs auxilio miſſus, Genuenſes adoleſcens adhuc, multis ſecundis prælijs repreſsit, pacatoſque reddidit. Boſone poſtea ſine liberis mortuo, regnique Arelatenſis, ac Sabaudi hæreditate, ad Rodulphum II. tunc Regẽ Sequanorum redeunte, rex vacuo Boſonis regno, Beroldum pręfecit: à quo bella multa fortiter, feli-

Beroldi maiores, Sum. Pont. Cæſares Reges, Duces.

liciterque geſta ſunt. Maurianam enim in primis, aliaſque ditiones ſuo adiecit imperio: tum magno certamine Manfredum Secuſinorum Marchionem, qui Veliates dicebantur, in Cottijs Alpibus deuicit: deinceps Arduinum Regem apud Salaſsios illos, qui Canapitij dicuntur, ſuperauit. Eo deuicto, pacataque vndiq. prouincia, primus in ea Allobrogũ parte, quæ Sabaudia dicitur, conſedit, & eius imperium à Conrado Cæſare, & amico, & affine obtinuit, cum Rodulphus Rex ſine filio, hæredeque Regni deceſsiſſet. Ab hoc, tanquam à fonte Sabaudorum Principum progenies longa ſanè perpetuaque ſerie manauit: quorum omnium ſucceſsio felici quodam ordine, atque ab alienigenis nunquam interrupto, in hunc vſque diem continuata eſt. Contigit enim Beroldi poſteris, quod omnibus locis, omniqueteempore, rariſsimum fuit, vt annis ſexcentis, & amplius, ſemper ferè patri filius ſucceſſerit: nonnunquam, ſed raro frater fratri, vel patruo fratris filius: ad alienos certè, remotioreſuè, nunquam Sabaudæ ditionis hæreditas peruenerit. Eorum autem nomina apud ſcriptores hæc leguntur: primus poſt Saxones Principes Beroldus, Humberti tres, Amedei octo, Thomas, Bonifacius, Petrus, Philippi duo, Edoardus, Aymo, Ludouicus, duo Philiberti, Caroli tres, Emanuel Philibertus, Carolus Emmanuel; & qui ex eo, & Catherina Philippi Regis Hiſpaniarum filia natus eſt agens nunc annum decimum Philippus Emmanuel, qui numerum explet Principum ſeptem & viginti. Sunt qui pro Aymone Amedeum ponant, ſed differentia nominis eſt non hominis: nam de patre, & matre, & vxore, & liberis, & morte conſtat: quibus omnibus, eundem eſſe Aymonem probatur, qui à nonnullis Amedeus V. dicitur: quare Amedei, (ſi Aymonem demas) nouem, non octo erunt. Non deſunt item, qui Thomam alterum, & alterum Ludouicum hiſce principibus adnumerent: & ambo ſanè ex eadem ſtirpe prodierunt, filij fratreſque Principum, ſed non ipſi Sabaudiæ Principes. Noſtri verò conſilij non fuit, proceres omnes familiæ Sabaudæ recenſere, ſed eorum ordinem verè referre, qui legitimo iure ſuccedentes, alius

Primus Sabaudiæ imperium accepit.

Beroldi poſteri vſq; ad Philippũ Emanuelem.

alij,

alij, Allobrogum, & Subalpinorum imperio in hunc vſq; diem potiti ſunt. Atque Principes iſti primum Sabaudiæ Comites, Maurianæque dicti ſunt, vſque ad Amedeum tertium: ſeptem ſcilicet Principes. Nam Amedeus III. Chablaſij, & Auguſtæ Prætoriæ Dux eſt appellatus: ſimiliterque octo alij, qui Amedeo ordine ſucceſſerunt, vſque ad Amedeum ſeptimum. Hic enim Amedeus ſeptimus, primus à Sigiſmundo Cæſare dictus eſt Sabaudiæ Dux: & poſt eum cæteri omnes, qui hæredes imperij fuerunt, ad hæc vſque tempora. Nam Philippus Emmanuel Sabaudiæ Dux erit duodecimus, Chablaſij verò, & Auguſtæ vigeſimuſprimus. Atque ab his omnibus omne ſtudium, cùm in Chriſtiana pietate colenda, tùm in bellica virtute poſitum eſt. Plerique eorum ſacras ædes, vel regijs ſumptibus ædificarunt, vel magnis vectigalibus, fructuoſiſque fundis ditarunt: à pluribus etiam vtrumque factum. Humbertus III. & Aymo, & Amedeus VII. & Ludouicus huius frater, & Amadeus VIII. & Philippus II. tanta præ cæteris pietate, pureque adeò omnem ſuam ætatem egerunt, vt a populis, quibus imperarant, alijſque finitimis, pro diuis colerentur. Conſtanti adhuc fama celebratur, multa ab eis edita, quæ mira omnino viderentur; & quæ præſtare non poſſint, niſi qui dum viuunt, diuina virtute præditi ſunt: vel qui poſt huius vitæ curſum æuo beato, ſempiternoque perfruuntur. Amedeus quidem VII. parcè ſemper continentiſſimeque vixit: populis ſuis iuſtè, & clementer imperauit: captiuos Chriſtianos magno auri pondere redemit: & in ijs Ianum Cypri Regem, à Sultano captum. Saluberrimas leges condidit: equeſtrem militiam inſtituit, eamque diui Mauritij militiam appellauit. Cum vltrò depoſuiſſet imperium, & Ludouico filio tradidiſſet, paucis comitibus Ripaliam conceſſit: vbi, dum omnibus pietatis ſtudijs deditus, priuatam, quietamque vitam traducit, patrum omnium conſenſu qui ad Concilium Baſileenſe conuenerant Summus Pontifex creatur, Felixque appellatur: abrogata prius Eugenio IIII. poteſtate, Et quidem Eugenius Concilium illud conuocarat, ſed non proborat; qua ratione negabatur inuitum

Ducum Sabaudorũ pietas, & virtus bellica.

Amedeus VII. Sum. Pont.

Diui Mauritij militiã inſtituit.

cum

Sponte Pontificatu ſe abdicauit.

Principes populis chari.

eum & repugnantem priuari potuiſſe. Eugenio mortuo, ſuffectoque in eius locum Nicolao V. Amedeus Pontificatu, quẽ inuitus acceperat, ſponte ſe abdicauit. Nicolao, qui poſtea eum in Cardinalium numerum legerat, perpetuaque ad Germanos legatione ornarat, rogatus obtemperauit, & oblatos honores accepit. Deinde quandiu uixit, nulli unquam labori pepercit, ut publicas diſcordias ſedaret, controuerſiasque dirimeret: quare, & uiuo, & mortuo diuini propè honores habiti ſunt; crediturque ex hoc carcere ad celeſtem patriam euolaſſe. Cæteri quos nominauimus Principes boni omnes, bonos item, fideleſque nacti ſunt populos: à quibus adeò chari habiti, impenſeque dilecti ſunt, ut illi Principum ſuorum fortunam qualiſcumque eſſet, conſtantiſsimè ſequerentur; incommoda perferre, pericula ſubire pro ipſis non dubitarent; ſæpeque propriæ ſaluti ſalutem eorum anteferrent. Cæterum, Principum illorum nemo legitur interfectus: nemo inſidijs appetitus: nulla vis cuiquam eorum adhibita: nulla ſeditio conflata: nulla in aliquem facta coniuratio: Vix vnus, aut alter cum aliqua veneni ſuſpicione mortuus eſt: reliquis omnibus (præter eos qui bello perierunt) vel ſenium, vel morbi grauiores, vitæ finem attulerunt. Regioni Sabaudiæ, quam primò in Beroldi ditionem redactam fuiſſe diximus, regiones alias partim Romanorum Cæſarum benignitate, partim armis adiecerunt. Neque tantùm in prouincias finitimas, ſed etiam in longinquas ea gens imperium latè propagauit. Nam Humbertus primus, præter veteres ditiones Sabaudiam, & Maurianam, & Secuſiam, poſſedit præterea regni Sequani partem; & eidem vallis Auguſtæ populi, Salaſsij, & Chablaſij, & Agauni, & Sedunenſes bello ſubacti, domitique paruerunt. Humbertus III. Subalpinam prouinciam obtinuit, quam Pedemmontium vocant; & Salutienſes in eius poteſtate atque imperio fuerunt. Thomæ huius nominis primo Albingauni, Sauonenſeſq. ſeſe vltro dediderunt. Thomas II. Subalpinorum, & Capuanorum, ſed non Sabaudiæ Princeps, Belgis etiam imperauit. Petrus, & Philippus fratres Thomæ primi filij, Bernenſes ar-

mis in poteſtatem redegerunt, ad ſuumque imperium Brixiam prouinciam ſiue Sebuſianos populos adiunxerunt. Amedeus IIII. Geneua potitus eſt. Cum Cæſaris Henrici VIII. copijs Rhodum venit: ac naualis pugnæ initio, cæſo à Turcis Rhodiorum equitum magnò magiſtro, militare ſagulum eiuſdem, magna alba Cruce ornatum, ab equitibus exoratus induit: oris, & corporis, & veſtitus ſimilitudine, magnum magiſtrum referens, ipſius officio functus eſt: prælium reſtituit, claſſem hoſtium profligauit, cepit, depreſſit. Ptolemaidem, quæ Acris dicitur, obſidione liberauit: petentibus equitibus, vt inſigni illo vteretur, negauit quoniam prius Cæſarianum accepiſſet. Sed Cæſar poſtea rogantibus illis, eandem albam Crucem Amedeo bellicæ virtutis ergò donauit; egitque, vt ipſe, & poſteri eius, deinceps in gentilitia inſignia illud inſererent.

Quare Sabaudi Duces alba Cruce inſigniti.

Philippus Thomæ III. nepos, Subalpinorum Princeps, ducta in matrimonium Eliſabetta, Gulielmi Villæ Peloponnenſi, & Achaiæ Principis filia, & hærede, earum prouinciarum diu cum hæreditario iure, tum armis potitus eſt: quas etiam Iacobus Philippi filius, & nepotes eius duo, Amedeus Ludouicuſque quietè poſſederunt. Amedeus V. Turcarum copias fortiter in Græcia profligauit: regionem illam ab hoſtibus incredibili virtute tutatus eſt; ipſumque Cæſarem Conſtantinopolitanum Ioannem, à Rege Bulgaro in pugna captum, liberauit. Ludouicus primus bella multa feliciter geſſit: finitimos principes nonnullos arma temerè ſumentes, alioſque populos tumultuantes repreſſit; in ijs Salutienſium Marchionem, Ludouicum Delphinum, Renatum Lotharingium. Friburgenſes ſuæ ſe ipſos fidei permittentes in deditionem accepit. Ludouicus autem ſecundus huius filius, & Amedei VIII. Sabaudiæ Ducis frater, Cypri regnum longo tempore, aduerſante nemine, poſſedit. Vxorem enim duxerat Carlotam vnicam Ioannis Cypri Regis filiam, & regni hæredem: nam in Ioanne Luſinianorum vetuſta progenies defecerat. Sed aduerſus inopinatam vim, & dolos, iuſta poſſeſſio, legitimumve ius, momenti nihil, vel parum habuit. Neque verò fœminæ Sabaudæ

Ludouicus II. Cypri Rex

Fœminæ Sabaudæ gentis illuſtres.

gentis,

gentis, minus quàm viri, gloriæ, & ſplendoris habuerunt: nam eas quæ à Sabaudis Principibus in matrimonio datæ ſunt, Cæſarum, Regumque vxores, aut nurus; quæue ab iiſdem Principibus ductæ, Regum pariter, Cæſarumque filiæ, vel neptes, conſtat eſſe circiter quadraginta. Thomæ autem primi filia Beatrix nomine, Raimondo Berengario Narbonenſis prouinciæ Comiti nupta, filias quinque peperit; quarum vna Cæſari, aliæ quatuor, totidem Regibus in matrimonio collocatæ ſunt. Nam Sanctia Ricardo Cæſari nupſit; hic erat Britanniæ regis filius: Margarita Ludouici, Eleonora Henrici, Beatrix Caroli, Ioanna Philippi; Galliarum, Britanniæ, Siciliæ, Cantabriæ (quæ Nauarra dicitur) regum vxores fuerunt. Itaque minime dubitandum eſt quin Sabaudi Principes vetuſtiſſimo, atque ampliſſimo genere nati, cum omnibus Italiæ principibus, totiuſque Europæ Chriſtianis regibus propinquitate, affinitateùe coniuncti ſint. Quæ quidem, tametſi externa ſunt bona; eaque ratione minus propria videntur; multum tamen referre exiſtimamus non ignorari patriam, & gentem, & quibus maioribus, is, de quo ſcribitur, ſit oriundus. Sunt enim qui ſummo loco nati ſuorum lucem, gloriamque ignauia; vel ſceleribus obſcurent: Sunt item, qui rerum geſtarum magnitudine, & conſtanti, perpetuaque vitæ integritate humilitatem ſuam ſubleuent; nouitatemque illuſtrent: ſed ille demum cæteris hominibus ad honorem antecellere videtur, planeque diuinus eſſe, cui maioremne ſplendorem afferat nobilitas generis, an veræ gloria virtutis, dijudicari facile non poteſt. Carolus Sabaudus huius nominis tertius Philippi, & Claudiæ Puncteuriæ filius, vxorem duxit Beatricem Emmanuelis Regis Luſitaniæ, & Algarbiorum, quæ Tudertania eſt, filiam: duas enim Rex filias habuit, Iſabellam, & Beatricem, quæ Carolis duobus nupſerunt: Iſabella natu maior Carolo Quinto Cæſari: Beatrix Carolo III. Sabaudiæ Duci. Nactus eſt Carolus Sabaudus vxorem, qualem maxime optabat; & qualeis eſſe vxores decet; (quod in coniugij in commodis nec paucis, vt fertur; nec exiguis, magnæ felicitatis eſt) præter generis claritatem,

Regis Luſitaniæ, filiæ duæ Iſabella & Beatrix. Beatrix vxor Caroli III. Eiuſdem fæcunditas & virtus.

antiquæ

antiquæ præterea probitatis, grauem, fœcundam, prudentem, amantem viri, caſtis, & ſanctis moribus ornatam. Ad hæc in regiæ, generoſæque ſtirpis fœmina, regij item ſpiritus inerant, celſus animus, magnæ virtutes, quibus rectè prouincias regebat, & populos moderabatur. Ex ea toto coniugij tempore liberos nouem ſuſcepit, ſex mares, & fœminas treis, quorum hęc fuere nomina; Adrianus Ioannes Amedeus, (tribus enim ijs nominibus primus appellatus eſt) Ludouicus, Emmanuel Philibertus, Emmanuel vnus & alter, Ioannes Maria, Catherina, Maria, Iſabella; ſed omnes adhuc infantes mortui ſunt præter Ludouicum, qui paullò diutius vixit, neque tamen annum decimum tertium exceſſit; & Emmanuelem Philibertum; de cuius vita, & rebus geſtis ſcribere inſtituimus. Natus eſt Emmanuel Philibertus Camberij: quæ vrbs eſt Allobrogum nobiliſſima, rerumque omnium, & inſignium virorum copia florens, anno M. D. XXVIII. Octauo Idus Iulij, hora poſt meridiem quarta. Mathematici tempeſtatis illius tota Europa celeberrimi dixerunt patri perſimilem filium fore, ſed patre maiorem. Ac fuerunt ſanè nonnullæ inter patrem, & filium magnæque ſimilitudines, non ſolum vultus, & morum; ſed etiam maximorum caſuum, & euentuum. Oris enim, & aſpectus in vtroque ſumma dignitas: in vtroque ſermonis comitas cum admirabili grauitate coniuncta. Vterque integris moribus, inſigni pietate, fide, religione, animi liberalitate, miti, clementique ingenio. Vterque item, erepto per vim, repentinaque, & grauiſſima bella omni ferè à finitimis imperio, multis annis propemodum extorris, non quidem dignitatem amiſit; ſed priſtinum ſplendorem, veteremque amplitudinem retinere ſemper non potuit. Veruntamen vt illi prædixerant patre maior filius; quòd ad illa magna animi bona cum patre communia rei militaris ſcientiam, & bellicam præterea virtutem adiecit. Patre item felicior: ſiquidem longè durius, & acerbius eſt in calamitatem incidere cum ſeneſcimus, quàm cùm integra ætate floremus. Si enim ſenex ea ratione ſeipſum conſolari velit, quòd calamitas nequeat eſſe

Emmanuel Philibertus naſcitur Cãberij.

Similitudo inter patrem, et filium.

diuturna, quoniam breui morituro finis omnibus miſerijs eodem tempore ſit futurus; maximæ difficultatis eſt, ex horribilis rei cogitatione, ſolicitudinis, grauioriſque curæ leuationem petere. At iuuenis, qui ſene viuere diutius ſolet, ſi de ſtatu ſuo ſolicitus eſt, ac metuere poteſt nè nimium diu ærumnæ producantur; dum longius vitæ curriculum ſibi conficiendum putat, ex alia parte facilius animum erigit, colligitque ſeſe, & confirmat, & ſpem in rerum omnium viciſſitudine, caſuſque, & euentuum creberrima varietate poſitam habet: qui quidem vti numquam perpetuò ſunt boni; ita nec ſemper mali. Carolus autem pater annos circirer quinquaginta abſque vlla externa perturbatione, motuque rerum, quietiſſimè, feliciterque vixerat, ad regendos, quàm ad propagandos fines ſuos propenſior: poſtea fortunis ſpoliatus, belliſque acerrimis fine iuſta cauſſa preſſus, cum nullus eius malis finis fieret; ſed magnis adhuc; grauiſſimiſque incommodis conflictaretur, iam ſenex interijt, ijs porius, quàm ætaris grauitate defatigatus. Contrà, filij prima tempora vſque ad trigeſimum primum ætatis annum, dura admodum, & turbulenta; poſtea vſque ad vitę finem læta, & tranquilla. Emmanuel Philibertus, vbi in lucem editus eſt, primis menſibus tam imbecillo corpore erat, tamque tenui, & infirma, & afflicta valetudine; vt parum abeſſet, quin parentes de ipſius incolumitate deſperarent; poſtmodum valere paullatim cœpit: ac melius in dies: ætate verò progrediente, confirmata ſalus eſt, & magnum corpori robur acceſſit; vt omnes ætate æquales virium firmitate ſuperaret. Mater infantem ſumma diligentia educauit; nihilque habuit antiquius, quàm vt eius animum, cum primùm per ætatem licuit, Chriſtiana religione imbueret; atque ad omnem pietatem informaret. Sacras ædes crebrò inuiſere, ſacrificijs intereſſe, ſacerdotes venerari, pias preces, precandique ritum facilè, infantem, in quo magna erat virtutis indoles, edocuit. Quæ quidem omnibus ijs, qui Chriſtianis legibus tenentur, neceſſaria ſunt: ſed eum decebant magis, de quo ſperandum erat, potius fore, vt patrum ſuffragijs, Summum Pontifica-

Optimè à matre filius educatur.

tum

tum aliquando obtineret: quàm vt in patris locum ſuccederet, populis præeſſet, auitæque ditionis prouincias adminiſtraret. Dum enim Ludouicus frater viueret, qui ipſum ætate anteibat, ad hunc imperia paterna iuſtè, & legitimè pertinebant. Præterea, cum Carolus pater ipſius Bononiam acceſſiſſet, quo tempore Carolus V. Cæſar ſolennibus cerimonijs imperij Romani coronam de manibus Clementis VII. Summi Pontificis accepit, Emmanuelem Philibertum, tametſi infantem, & tertium ætatis annum vix ineuntem, Clemens Cardinalem dixit. Extat adhuc in penitioribus Principum Sabaudorum ſcrinijs diploma, quo à Summo Pontifice Cardinalis deſignatur, decerniturque renunciandus, & danda rubri galeri inſignia, cum primum ex ephebis exceſſiſſet; quæ ætas idonea ad eam dignitatem eſſe videbatur. Sed quoties rei illius ei mentio fieret, diceretur que, paucorum annorum acceſsione fore tempus, quo purpura inſignis ad vrbem contenderet; atque in Vaticano inter ampliſsimos totius orbis patres conſideret; ſubitò vultum demittere; frontem contrahere; dolere, ægrè ferre, angi, iraſci. pueri enim natura ſimplices, & aperti; neque magni ſimulandi, diſsimulandive artifices, intimos animi ſenſus plerunque produnt: vt facilè cuiuis ſit, omnem eorum naturam introſpicere, liceatque, quid cupiant, quid oderint, quid metuant, quid ſperent cognoſcere, & à quibus rebus alienum, vel ad quas procliue illorum ſit ingenium. Verumtamen ea cura breui tempore liberatus eſt, erepto acerba, & immatura morte Ludouico fratre, quem Cæſar ſecum in Hiſpaniam tribus annis antè perduxerat, idque maximè agebat, vt puer in aula regia aſſueſceret, atque cum Philippo filio ab eiuſdem pueritiæ rectoribus diligenter educaretur. Eius quidem morte Cæſar, & Iſabella Auguſta maximè doluerunt, eamque ægerrimè tulerunt, alieno malo, quaſi proprio, perculſi; dum cogitant, quod alijs acciderat, ſibi ipſis accidere potuiſſe: nec non ſenſu, beneuolentiaque permoti, quòd affinem chariſsimum amiſerant, quem mirificè diligebant; puerum ſanè florentem, optimæ indolis, ſummæque ſpei, magno præ-

Annum agës tertium Cardinalis creatur.

Ludouicus Emmanuelis Philiberti frater moritur.

ditum ingenio, magnam ſui expectationem concitantem. Parentum etiam ipſius miſerabantur, qui tot liberis orbati erant, neque dubitabant, ſi caſu aliquo Emmanuel Philibertus, qui ex tanta familia reliquus erat, vitam amitteret, quin in Gallia continuò magni motus orirentur. Cum tamen ſe ipſos collegiſſent, caſumque æquo animo ferendum, & futuris rebus proſpiciendum putarent; paucis poſt diebus Ludouici parentes Carolum, & Beatricem per legatos ſummos viros, & per litteras conſolati ſunt, quæ res vtriuſque animum mærore confectum magnopere recreauit. Agebat eo tempore octauum annum Emmanuel Philibertus. In quo vno cum ſpes omnis poſteritatis Sabaudæ reſideret) nam & Beatrix mater minus frequenter concipiebat, & ipſe ſolus, reliquis fratribus extinctis, ſuperſtes erat) parentes omnem curam, ſtudiumque in tuenda pueri valetudine ponunt: cuſtodibus multis moderatoribuſque appoſitis, nihilo ſecius anxij nimis omnia momenta obſeruant, ſoliciti ſunt quid agat, quid moliatur, quid cogitet: à ſeueritate recedendum putant, quòd omnibus, maximeque pueris ea moleſta ſit: indulgentiam non probant, quæ diſſolutionem parit: ſemper metuunt, ne quid filius cibo, aut potu, aut defatigatione, aliquave, vel corporis, vel animi perturbatione detrimenti patiatur. Ipſe depoſita omni moleſtia, quam ex cogitatione ſumendæ purpureæ togæ, capiebat, iamque de alio, gratioreque vitæ inſtituto animi ſecurus, quibus rebus duceretur, delectareturque, multò liberius aperire cæpit. Itaque frequenti pilæ ludo, propeque quotidiano ſeſe exercere, milites, & cohortes armatas libenter aſpicere, arma ipſa, & quibus nocet, & quibus tegitur miles, manibus ſæpè contrectare; quem haberent vſum, aſſiduè ſciſcitari; in eorum ſermone multus eſſe; neque finem inquirendi, & percunctandi facere; quamuis puer minime loquax, quin potius verborum parcus, totiusque oris ſpecie ſeuero, quàm hilari propior: quod tamen non ad aliquam animi triſtitiam, ſed ad modeſtiam, grauitatemque referres. Dum autem Carolus pa-

ter

Digitized by Google

ter præſentibus bonis, tranquilloque rerum ſtatu perfruebatur, & in ijs cogitationibus dies, noctesque verſabatur, vt optimæ indolis, ſummæque expectationis filium magis, ac magis ad ſtudia virtutis accenderet; atque vt populis, quibus imperabat, mutuam gratiam referret, iuſto, & clementi, & moderato imperio, pro ſumma eorum fidelitate, ſingularique beneuolentia, graui, nec opinato malo perculſus eſt. Cum enim nihil minus, quàm de inferenda, vel propulſanda iniuria cogitaret; quòd ab altero abhorrebat, de altero neque aliquid erat cauſſæ quare metueret, neque ſine cauſſa ſibi metuendum putaret; repentino motu, armiſq; Gallorum propemodum oppreſſus eſt. Belli huiuſce explanandi, prius, quam initium ordiamur; quibus cauſſis ortum ſit, paullo altius repetemus. Mediolanenſi ciuitate Inſubrum copioſiſsima, florentiſsimaq; ac totius orę, atque prouinciæ illius imperio Vicecomites principes diù potiti ſunt. Quod imperium cum initio permagnũ eſſet, Galeatius primus, & Actius, & Ioannes poſtea mirum in modum dilatarunt: ſed Ioannes Galeatius populos multos, magnaſque prouincias vi, & armis ad illud adiunxit: bellorum euentu, quæ plerunque per alios geſsit, fortunatus, principatu filiorum breui tempore finem habituro, & peruenturo ad alienos, infelix. Nam filiam vnam Valentinam nomine, filios duos Io. Mariam, & Philippum, ex Catherina vxore ſuſcepit, ſed ex filijs nepotes fuerunt nulli. Principes autem Mediolanenſes Cæſaris Auguſti, Romanorum Imperatoris beneficiarij ſunt: ad quem pertinet eos Duces appellare, dignitatemque; & poteſtatem eiſdem tribuere; vti ipſi Io. Galeatio contigit, qui primus à Vinciſlao Cæſare Dux Mediolanenſium appellatus eſt; cùm ſuperiores Principes ante id tempus Vicarij dicerentur. Is Valentinam filiam, de qua diximus, Ludouico Aurelianorum Principi Regis Gallorũ filio, in matrimonio collocauit: eique, vti vt inter eos conuenerat, dotem dixit. Cauit præterea, ſi Io. Maria, & Philippus filij, non ſuſceptis ex iuſta vxore liberis morerentur,

Carolus Sabaudus b. l. oppreſſus.

Qua ratione Galli contendant de Mediolanen. ditione.

vt ad

vt ad Valentinæ filios, nepotes, poſteroſque legitimis nuptijs natos Mediolanenſis ditionis rediret hæreditas. Quæ ſcita, vt infirmari iure non poſſent, ſtabilique fundamento niterentur, Cæſarem iubere, rata, firmaque eſſe, neceſſe erat. Sed cum eo tempore fortè interregnum eſſet, neque tùm inter eos Principes, qui ferendi ſuffragij ius habebant, ſatis de renuntiando Cæſare conueniret; Galli ſe ad ſummum Pontificem conuertunt: petunt, vt auctoritate ſua, quæ Io. Galeatius ſanxerat, comprobare velit; facileque impetrant. Negabant autem Cæſariani, id à Gallis ritè, ordineve factum fuiſſe. Neque tamen quicquam de Pontificis Maximi poteſtate ſumma detrahebant: ipſum enim prouinciarum ditiones transferre, & regna adiudicare poſſe fatebantur: ſed nimirum illorum, qui ab eius imperio deſciuiſſent, dictove audientes non fuiſſent, vel aſſentientibus ij s, quorũ intererat; vel alia grauiore cauſſa, firmioreque impulſum: affirmabantque, non conſueſſe ipſum, quæ cuiuſq; priuati hominis propria ac legitima eſſent, ne dum Principum, ipſiuſque Cæſaris, ijs inuitis; quorum intereſſet, pro arbitrio ſibi vendicare, vel alijs adiudicare: alioquin permiſceri, & peruerti omnium hominum iura; quæ vt clariſsima, maximeque diſtincta eſſent, in primis ei, qui Deum referret in terris, omni eſſet ſtudio, atque diligentia curandum: vt verius, & prudentius facturi fuiſſe Galli viderentur, ſi die expectato, quo Cæſar renuntiatus eſſet, ipſum adijſſent, & quæ poſtulabant, ab eo, qui concedendi ius, legitimamque haberet poteſtatem, impetraſſent. Nam, cum Philippus Vicecomitum Ducum, Principumque poſtremus, ex vxoribus Beatrice Tenda, & Maria Sabauda liberos nullos habuiſſet, Blancam ex concubina natam Franciſco primo Sfortiæ nuptui collocauit, eumq; ſibi filium adoptauit, & ille poſtea imperium armis inuaſit & obtinuit. Franciſco orti ſunt ex vxore, Galeatius, & Ludouicus, & Aſcanius: Galeatio, Io. Galeatius, qui adoleſcens interijt, & Hermes, qui ante Io. Galeatij interitum in ſolitudinem ſe recipiens, exiguum vitæ curſum confecit. Ludouico Maximilianus, & Franciſcus ſecundus. Ludouicus au-

tem fratre à coniuratis interfecto, cum Maximiliano Cęſare egit, vt Mediolani Dux appellaretur, impetrauitque. Datum eſt ei diploma, quo permittebat Cæſar, vt ipſe, & filij, & nepotes, & qui ex eorum iuſta vxore naſcerentur, Inſubrum imperium obtinerent. Sed Ludouicus ad Nouariam ab Heluetijs, vt fama fuit, proditus, à Gallis captus eſt. Neque diſſimilis Maximiliani filij fortuna fuit: qui ab eiſdem hoſtibus Gallis, Mediolani in arce obſeſſus, ſe ipſum, & ſua omnia in eorum clementiam,& fidem permiſit, & captiuus in Galliam, vti pater, perductus, ibi mortuus eſt. Franciſcus autem primò aduerſus Gallos, præſertim, quo tempore ad Ticinum ab eis malè pugnatum eſt; à Cæſare Carolo V. adiutus, deinde ab eodem Mediolano pulſus, quòd fœdus feciſſe aduerſus eum cum nonnullis Principibus Italis argueretur; poſtremo in gratiam receptus, & Mediolani Dux appellatus,in paternum imperium reſtitutus eſt. At Ludouicus Aurelianorum Princeps, ex Valentina vxore, de qua diximus, filios treis procreauit, Carolum, Ioannem, & Philippum. Carolo ex Maria vxore ortus eſt Ludouicus XII. Galliarum Rex. Hic, vt ius hæreditarium, quod ex decreto Io. Galeatij Vicecomitis habebat, facilius obtineret, petijt per Georgium Amboſium Cardinalem à Maximiliano Cæſare, vt ſcitum Vicecomitis ratum, firmumque eſſe iuberet: iuſſit id quidem Cæſar: ſed cum memoria teneret, ſeptem ante annis idem quod petebatur, datum, conceſſumque à ſe Ludouico Sfortiæ: illud in diplomate excepit, ne per eam conceſſionem quicquam de iure, quod alius haberet, derogatum cenſeretur. Neque tamen ea res Gallos permouit, aut de ſententia deduxit; cum prorſus ſibi perſuaſiſſent, ad ſe Mediolanenſem ditionem optimo iure pertinere. itaque multa ab eis ſuſcepta bella, magnis exercitibus ſuperatæ Alpes: pluribus locis magno certamine, varioque euentu pugnatum eſt: modò calamitates acceptæ; modò parta victoria; vt commodine, an detrimenti, plus acceperint, iniri facilè ratio non poſſit. Poſtremò Galliarum regnum obtinente Franciſco Valeſio huius nominis primo, qui Claudiam Lu-

douici

douici XII. filiam in matrimonium duxerat, quique armis Mediolanum in poteſtatem redegerat, atque è veſtigio amiſerat: poſt incommodum ad Ticinum acceptum, meliore loco cœperant eſſe Inſubrum res: ac ſublato bello, paceque inter Cæſarem, & regem conciliata, Rex Franciſcum II. Sfortiam æquo animo paternum imperium poſſidere patiebatur: in quod à Carolo V. Cæſare, vti demonſtratum eſt, iam fuerat reſtitutus. Verum Sfortia, nullis ſuſceptis liberis, nondum præcipitata ætate extinctus eſt. Quæ res animum regis vehementer incendit, veteremque curam de repetenda, armiſque acquirenda Mediolanenſi prouincia renouauit. Reuixit illicò ſpes; & priſtinæ cogitationes, conſiliaque intermiſſa potius, quàm dimiſſa redierunt; cum dubitationem iam nullam amplius eſſe putaret, quin ipſe Sfortiarum legitima progenie deficiente, ex æquo, & bono, atque etiam ex ipſo ſummo iure hæres eſſet. At longe aliter ſentiebat Cæſar: cui perſuaſſimum erat, iuri omni, rationique conſentaneum eſſe, vt, quæ prouinciæ alicuius genti, familiæve ab Imperatoribus Romanis permiſſæ eſſent, ea conditione, & lege, ne ad alios peruenirent, nemine gentis illius ſuperſtite, cui eſſent permiſſæ, ad Cæſarem, Romanumque imperium redirent. Itaque

Belli cauſa. hæ belli cauſæ: inter duos maximos, & potentiſsimos Reges: eadem de re ſumma diſſenſio, par in vtroque Mediolanenſis prouinciæ obtinendæ cupiditas; par in ſententia retinenda conſtantia: poſtremò in pertinaciam euadens, cum vterque vulgi opinione in communem errorem raperetur; veritus, ne, qui prior de ſuo iure deceſſiſſet, is non ſponte, ſed metu deceſſiſſe videretur; nulla ſella, tribunal nullum, de quo iudici pronunciandum eſſet; ius in armis, ad quæ cum ventum eſt, eius eſt conditio deterior, qui minus poteſt. Ad hæc ferebatur, offenſiorem eſſe Carolo Sabaudo Regem Gallum, exulcerato eius animo ſuſpicionibus; verentem, ne ille Cæſari magis cuperet, ſtuderetque, quàm ipſi: quoniam is Beatricem Emmanuelis Luſitaniæ Regis filiam, vxorem duxiſſet Iſabellæ Auguſtæ ſororem; quodque iam antea Ludouicum filium,

quaſi amicitiæ obſidē, ad Cesarem potius, quàm ad ipſum miſiſſet; ac teneram pueruli mentem Hiſpanorum, quàm Gallorum moribus imbui maluiſſet. Cæterum Rex, cui certum, & deliberatum erat bello Mediolanenſem ditionem repetere, cum magna cura parat omnia; feſtinat, milites conſcribi iubet, delectus habet, magnum numerum peditum, magnum equitum leuis armaturæ, cataphractorumq; contrahit, rem frumentariam prouidet, arma, tela, tormenta conquirit, Heluetios mercede conducit: omnibus copijs Philippum Chabodum, cuius virtutem, & conſilium probat, legatum præeſſe iubet. Iter antea fecerant ſæpe Gallorum Imperatores, cum magnis exercitibus, ſine vlla iniuria, & maleficio per Allobrogum, & Subalpinorum prouinciam, dum in Italiam, vel obtinendæ Mediolanenſis prouinciæ, vel occupandi Neapolitani regni gratia, vel alia, quacunque de cauſſa contenderent: ſed longe ſecus, eo tempore factum eſt: mandatum enim erat à Rege Chabodo legato, vt progrediens, quæcunque poſt ſe relinquebat oppida munita, vrbes, arces, in poteſtatem redigeret. Id ferunt, magni Principis Itali admonitu mandaſſe Regem; dum ea nimis facile probantur, quæ arrident, & vtilia potiora honeſtis habentur: ab ijs, præſertim; qui neſciunt, vel ſe neſcire ſimulant, ſola honeſta vtilia; nihilque vtile eſſe, quod non honeſtum. Inuaſit enim, hæc falſa opinio, vel potius ſæuiſſima peſtis, potentium animos, ſiue ij Reges ſint, ſiue inferioris conditionis Principes, paucis exceptis, vt non modò vitæ, ſed etiam Imperij conſeruandi cauſſa, vel amplificandi quoque, omnia ſibi licere putent. Id in primis perſuaſiſſimum illis eſt, adeoque obſtinatè in eorum animis confirmatū, vt euelli vlla ratione non poſſit; omnia ſibi experiunda, moliend, agenda, ne quid vnquam de ſua potentia minuatur. Impellunt eos cupiditas, & ſuperbia par: à quibus nunquam abſunt nequiſſimi comites, immoderatus amor ſui, metus, iracundia, ſuſpicio, immanitas: ex quibus ſexcenta ingentia mala oriuntur: illud verò, quod agunt quo iure, quà ve iniuria conſequantur, non curant. Nam mentiri, quod cuiq; atq; adeò

Regis Galli legatus Sabaudiā occupat.

Quæ dicatur ratio ſtatus.

Principi viro turpiſſimum eſt, neque flagitioſum, neque indignum putant. Amicitiam verò cōmodis ſuis tantùm, & vtilitate metiri, opes, & diuitias ſibi primas ducere, eas omnibus rebus, & modis coaceruare, ſui reſtrictos, & tenaces eſſe, alieni cupidos, fidem fallere, aliena æquè vi ac dolo rapere, innocentes iuxta, & ſceleſtos vexare, & perdere, humana, diuinaque iura polluere, nihil penſi habent. Quòd ſi quis flagitia fieri dicat, erumpit illico nefaria illa, ac ſceleſta vox, rationem ſtatus, (vt Itali loquuntur) id poſtulare. Nam quicquid ad eū vitæ ſtatum, quem obtinent, tuendum, atque amplificandum pertinet, id ſiue fas, ſiue nefas ſit, pro ratione, proque vera eius rei lege, ac regula habent, idque Itali rationem ſtatus appellant. Quin etiam non naturam ſuam cauſſæ, ſed naturæ cauſſam accommodant: ſcelera ſua ad eam cauſſam ſtatus referentes. Chabodus igitur, vti imperatum erat, Allobroges, qui à vetuſtiſſimo tempore Sabaudis Ducibus paruerant, vi, & armis Gallorum imperio ſubijcit. Traſalpinas ditiones maximas quinque, Beugeſium, Maurianam, Tarantaſiam, Baugiacos, Gebenneſium facilè occupat; in quibus vrbes quatuor inſignes, oppida circiter centum, pagi, vicique prope innumeri. Caroli Sabaudi milites Italos, è Montemeliano, Petra, Miolano, alijſque arcibus, & oppidis munitis eijcit; eaſdem Gallicis præſidijs firmat. Alpes obuiò nemine pugnandi cauſſa, ſed ne reſiſtendi quidem, ſine mora ſuperat. Penarolio, Foſſano, Cherio potitur. Taurinū obſidet, atq; nemine ſubſidiū ferente ad deditionem compellit. Quæ quidem omnia tanta celeritate geſta ſunt, vt Gallorum aduentus prius videretur ab omnibus, quàm fama, ac nuntijs afferretur. Itaque tanto, nec opinato malo Carolus, vti diximus, ferè oppreſſus eſt. Ipſe enim ingenio liberali, animoque aperto, & ſimplici, quietus, pacis artibus ornatus, militiæ, ac bellorum inſolens; præterea, grauiſſimo, & repentino illato bello, nihil eorum quæ vſui futura eſſent, prouidere potuerat. Non ei præſtò ad bellum duces, non exercitus, nullus armorum apparatus, nullæ in bellicos ſumptus paratæ pecuniæ. Domeſtica auxilia, infirma

Chabodus multis oppidis potitur.

ma externa; fera & prius damnum, quàm vtilitatem allatura. Populorum leuitas (ſi qua eſſet) incommoda; conſtantia inutilis. Denique omnia ad ſalutem deerant, ſi animi firmitudo, prudentiaque defuiſſent. Biennio ante Gallorum motum Geneuenſes Petrum Balmium Epiſcopum ſuum, indicta cauſſa ſeditioſè, & populariter è ciuitate expulerant, & veram Chriſtianam religionem exuentes, impia, contaminataque ſuperſtitione animos impleuerant, atque à ſuo Principe Carolo defecerant. Ij poſtea legatos cum miſiſſent, qui pollicerentur, ſe imperata facturos, & in eius poteſtate futuros, dummodo non cogerentur Summo Pontifici Romano parere: ſinerenturque à priſtina Chriſtiana diſciplina recedere, & arbitratu ſuo, quam maluiſſent, ſequi vel Zuuinglii, vel Lutheri ſectam; Carolus oblatas conditiones tã fœdas, & iniquas præſenti animo reſpuit. Affirmauit enim, æquiore ſe animo, & Geneuenſem ditionem, & vnicum filium, & ſalutem, & vitam amiſſurum; quàm probitatem, & innocentiam. Innocentem autem, & probum, qui Chriſtum, & Vicarium eius vera religione, ac ſumma pietate non coleret, appellari poſſe neminẽ. Quòd ſi vnicuique magnoperè cauendum eſſet, ne in religionis opinione laberetur; Principi viro multo magis. Nam priuati hominis errata plerunque in occulto latere; ita fieri; vt quicquid peccet, peccanti tantummodo officiat, vel prætereà paucis. Principem autem in excelſo, & illuſtri loco poſitum eſſe in quem omnium oculi coniecti ſint; itaque plùs etiã illum exemplo nocere, quàm peccato. Eodem fermè tempore, quo Chabodus intento, atque infenſo exercitu Allobrogum fines ingreſſus eſt, Friburgenſes, & Bernenſes, qui duo Heluetiorum pagi ſunt (nàm omnis eorum ciuitas hac tempeſtate in pagos tredecim diuiſa eſt) quàm maximas poſſunt copias armant: ex improuiſo fines Vantuatum, & Veragrorum, qui Chablaſij dicuntur, inuadunt; magna præda acta, magnoque hominum numero capto, eos venire in deditionem cogunt. Vtra pars ad violandos Caroli fines alterã prior ſolicitauerit, Galli ne Friburgenſes, & Bernenſes, an hi Gal-

Geneuenſes à Duce Sabau. deficiunt.

Friburgenſes & Bernenſes Ducis Sabau. fines inuadũt

Digitized by Google

los, compertum non habemus: ſed vtramque vnà conſenſiſſe, belliq́ue conſilia communicaſſe, edita fuit in vulgus opinio. Multa erant, quæ Caroli animum perturbarent, quòd antè armis offenſus eſſet, quàm armorum vlla commoueretur ſuſpicio: quòd perpetratum propemodum bellum eſſet, neque ſaltem prius indictum, aut denunciatum: quòd erepta ſibi immerenti, qui nullam armorum cauſſam dediſſet, à Rege ſororis filio, eſſet vetuſta Allobrogum ditio: quòd Subalpinæ prouinciæ magna pars occupata: quòd eodem tempore à Bernenſibus, & Friburgenſibus grauem iniuriam accepiſſet. Nequeminùs angebatur Geneuenſium perfidia, quos execrandos putabat, duplici ſcelere contaminatos, vtroque fœdiſſimo, cum & ab ipſo temerè defeciſſent, & ab antiquis, probatiſſimiſq́ue Chriſtianæ religionis inſtitutionibus, ideſt, ab ipſo Chriſto, præcipites propeq́ue amentes deſciuiſſent. In his malis tamen non planè deſperat, neque ſeipſum deſerit: animum colligit: & quod inermi, & imparato reliquum erat, ne omnis etiam Subalpini imperij poſſeſſione deturbetur, conſilio prouidet. Exiguam militum manum, vt poteſt, ſubitò cogit; in nonnullis oppidis lectorum militum præſidia, ſpectatæq́ue fidei præfectos imponit: ipſe Vercellas in tutiorem locum ſe recipit: Emmanuelem Philibertum filium, & Beatricem vxorem procul à belli periculis, tumultibuſq́ue Mediolanum mittit. Ibi adhuc erat Chriſtierna Regis Cimbricæ Cherſoneſi filia, Franciſci ſecundi Sfortiæ vxor; qui, vtiſupra demonſtrauimus, paucis ante menſibus obierat. Ad eam Beatrix deducta magno ſumptu, ſummaq́ue cum amoris ſignificatione accepta eſt. Hilaritas, & lætitia defuerunt, quas vtraque aduerſis caſibus amiſerat. Itaque Regiæ, & lectiſſimæ fœminæ, quæ paullò ante ex mutuo aſpectu, conſuetudineque mirifico gaudio exultaſſent; tunc ærumnis cumulatæ, altera ſuis lachrymis, & mœrore, alteri lachrymas mouebat, & mœrorem augebat. Duos circiter menſes Beatrix Mediolani commorata eſt: vbi amiſſa Catherina filia infante, Niceam ſe contulit: eodemque poſtea Carolus etiam vir eius conceſſit. Erat

Car V. & filij Ducis Sabau. Mediolanũ.

Mediolani mortua Catherina.

eo tempore Mediolani Antonius Leua Hiſpanus, vir rei militaris peritiſſimus, quem Cæſar in Africam traiecturus ijs copijs, quas Galliæ Ciſalpinæ præſidio relinquebat, cum imperio præeſſe iuſſerat. Mandarat item, ex ea prouincia ne diſcederet, finitimorum Principum conſilia exploraret, neminem bello laceſſeret, neuè ſponte aduerſus quemquam arma ſumeret: quòd ſi laceſſeretur, cogereturque, conſilium pro re caperet, & priſtinæ virtutis non oblitus, rem, vti conſueſſet, prudenter, & fortiter adminiſtraret. Itaque Leua, ijs cognitis rebus, quæ trans Alpes geſtæ erant; quæque in Subalpinis gerebantur, primùm crebris litteris, nuntijſque Cæſarem de omnibus diligentiſsimè certiorem fecit. Deinde nihil ſibi dubitandum putauit; quin primo quoque tempore labentibus, propeque afflictis Caroli Sabaudi rebus opem ferret. Planè enim intellexit, illum, & Cæſarem, in eadem eſſe cauſſa; ac niſi conatibus hoſtium fortiter obſiſteretur, breui vtrumque in eadem fortuna fore. Gallorum enim fuiſſe conſilium, vt adempta iam Carolo Allobrogum ditione, Subalpinam eidem regionem adimerent, continuòque Mediolanum aduolarent. Quod niſi prius caueret ſibi quàm vulnera inferrentur poſtquam illata eſſent, ijs ſanandis, ſerò remedia quæſiturum. Quare veteranos Hiſpanos confeſtim ex præſidijs educit, Italos conſcribit, Germanos mercede conducit, equitatui ſtudet, magniſque coactis copijs celerrimè aduerſus hoſtes proficiſcitur. Chabodum audacter progredientem, longeque, ac latè terrorem inferentem comprimit, impetum eius retardat, vires imminuit. Nam ſecunda aliquot paruula prælia fecit. Franciſcum Salutienſium Marchionem à Rege ad Cæſarem traduxit, Foſſanum recepit, Palitiamque, qui oppidum tuebatur, ad deditionem compulit. Paucis antè menſibus Neapolim ſe contulerat Cæſar. Cum enim arcem Europa tota celebrem, quæ Guleta vocabatur, Turcæ in Africæ littoribus extruxiſſent, vt oſtium ſtagni tuerentur, quod Tunetem verſus latè diffunditur; quoniam in eo paratas ſemper habebant triremes, quibus omnem Italiæ oram celeberrimè uexabant;

Antonius Leua aduerſus Chabodum.

Carolus V. Cæſar expugnata Guleta Neapolim.

eam

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

eam Hariadenus Aenobarbos archipirata inſignis la te aggeribus ſepſerat, magnis munitionibus firmarat Sinam Iudæum ei præfecerat, cum lecta fortiſsimorum militum manu, ut, niſi obſidione, expugnari non poſſe uideretur. Sed eo profectus Cæſar uerberatam muralibus tormentis, fortiterque irrumpentibus Italis, & Hiſpanis in poteſtatem redegit: ingentes Hariadeni copias profligauit. Cum ille fuga ſibi ſalutem petiſſet, Tunete potitus eſt: Muleaſſem antea pulſum in Regnum reſtituit: Regem, & amicum appellauit. Quibus confectis rebus ex Africa in Siciliam, indeque Neapolim profectus eſt. Ibi paullo poſt, de Franciſci Sfortiæ morte, atque paucis interiectis diebus, de Gallorum motu cognouit. Pax erat tunc Cæſari cum Rege, fereque ſemper fuerat, ex quo tempore Rex in Hiſpania aliquandiu in liberis cuſtodijs habitus, poſtea liberatus in Galliam cum ſumma beneuoli animi ſignificatione redierat: (nam, quæ poſtea Lautrechius Neapoli tentarat, eiuſdem morte atque exercitus internecione expiata, & magis à Clem. VII. S. Pont. quam à Rege profecta uidebantur) vt Cæſar ſatis mirari non poſſet, quid cauſſæ fuiſſet, quare tunc nulla prouocatus iniuria ad arma repente deſcenderet. Itaque permotus tanta eius commutatione uoluntatis, ineunte vere Neapoli diſcedens, Romam magnis itineribus contendit. Adueniens ab omnibus ciuitatis ordinibus, in primis vero à patribus obuiam prodeuntibus ſummis honoribus exceptus eſt: atque ad Summum Pontificem deductus. Is erat Paulus III. Farneſius, generis claritate, & prudentia, & pietate maximè inſignis: præterea literis eruditus, bonis artibus præditus, & ſingulari humanitate, grauitateq; ornatus. Paucis poſt diebus Senatus cōuocatus eſt, frequensq; cōuenit, propter famā, & expectationē Cæſaris. Qui poſtea quā ingreſſus cōſedit paullo poſt cōſurgens, grauiter de Rege queſtus eſt. Inconſtantiam illi in amicitia tuenda, & nimiam alieni imperij cupiditatem obiecit: Bello, quod ſubito exarſiſſet, ſe nullam dediſſe cauſſam affirmauit: ſeque non volentem, ſed coactum, ad vim non inferendam, ſed repellendam iturum, ne

Neapoli Romā contendit

Cum Summ. Pont de Gallorum Rege queritur.

Caro-

Carolum Sabaudum amicum, & affinem Regno, fortuniſque omnibus ſpoliari & ſua ſibi eripi per ſocordiam pateretur. Maximè verò dolere ſe, & angi iјs incommodis, & calamitatibus dixit, quæ bella comitarentur penuria, laboribus, rapinis, agrorum vaſtationibus, direptionibus oppidorum, contumelijs, cladibus, incendijs, alijſque ſexcentis malis. Quibus vt parceretur, ſe illam inijſſe rationem, vt Rex, & ipſe, nemine prætereà in diſcrimen vocato, rem ferro decernerent. Oblaturum verò ſe quàmprimum conditionem eam Regi, quam ſi is non recuſaret, poſſe omne belli incendium ſine aliena iniuria, detrimento vè breui, facileque reſtingui. Quibus paullò vehementius expoſitis, ad ea Summus Pontifex tranquilla quidem, ac ſerena fronte, ſed paucis, grauibuſque verbis reſpondit in eam ſententiam, vt eius animum alienatum, & offenſum placaret, leniretque. Ac quoniam ad pacem concordiamque rem deduci magnopere cupiebat, ſumpſit, poſteà eũdem laborem ſæpius, vt in familiaribus colloquijs eum Regi reconciliaret: cuius factum tametſi laudandum non putabat; quibus tamen poterat rationibus excuſare conabatur. Sed deducere illum de ſententia non potuit: ſiue, quòd nimis recentes adhuc erant cauſſæ offenſionis, & iracandiæ; ſiue quòd viri magno animo, tunc demum facilè ignoſcunt, cum iniurias vlciſci poſſunt. Itaque Roma paullò poſt diſceſſit, ac Bononiam per Aemiliam contendit; nuſquam in itinere commoratus, niſi Senis paucos dies, dum precibus ciuitatis exoratus lepidiſsimam Comædiam, & vetuſto ciuitatis illius more, quod patricij edere ſolent, certamen pugilum ſpectat. Propè Placentiam Padum traiecit, atque ad Inſubrum fines peruenit. Poſtquam eo ventum eſt, veterem exercitum, quem in Africa habuerat, ſecumque adduxerat, recenſet; nouas manus Italorum, Germanorumque peditum addit, numerum equitum adauget, concilium conuocat, adhibitis legatis, alijſque præterea paucis ſummis viris, ſententias exquirit, qua maximè ratione bellum illud adminiſtrandum videatur. Alii alia dixerant, vt Alfonſus Aualus, qui Taurinum in pri-

Per Aemiliã ad inſubres peruanit.

mis

mis expugnandum cenſebat: vt Auria qui prius id agendum affirmabat ne Rex auxilijs Heluetiorum confirmari poſſet: vt Ferdinadus Gonſaga, qui ſententiam Alfonſi paucis additis ſequebatur. Sed reſtitit omnibus, & peruicit Antonius Leua; Cæſari perſuaſit peruadendum nulla interiecta mora in mediam Galliam, atque per Prouinciæ fines intrandum. Itaque Cæſar ad obſidendum, oppugnandumque Taurinum Duces quatuor relinquit, Iacobum Mediceum Mediolanenſem, Guterium Lopem Padiliam, Iacobum Fozarum Scalengum, & Ludouicum Viſtarinum. Iis pedites, equiteſque tribuit, quibus Taurinum eodem tempore, & oppugnarent, & obſidione premerēt. Reliquæ copiæ partim claſſe, partim per maritimarum Alpium iuga celeriter in Prouinciam perueniunt, quibus Læuam præficit, & ei ſummam imperii, belliq́ue adminiſtrandi permittit, Antipolis primo aduentu capta eſt: Gratia in deditionem venit: in fines Arelatenſium factæ excurſiones, vaſtati agri, oppida direpta, prædæ factæ. Sed cum Cæſar adulta iam æſtate in Prouinciā veniſſet, diuq́ue ſupra Maſſiliam ad Aquas Sextias caſtra habuiſſet, ineunte aútumno cœperunt milites uti minus commoda ualetudine: Germani uerò grauibus etiam morbis conflictari, & paſsim interire: exercitus enim longius à mari diſceſſerat, neque facilè commeatus poterat in caſtra comportari. Ii uerò Ficu, & Vua, & Amygdalo, quorum omnis ea regio fertiliſsima eſt, non ad tolerandam, ſed ad explendam famem nimis intemperanter uteſcebantur. Itaque multis mortuis, pluribus diuturno morbo intabeſcentibus, Cæſar exercitum contraxit, & ex Gallia deducens, Genuam peruenit. Ipſe etiam Leua, cum infirma eſſet ualetudine, in grauiorem morbum incidit: additaq́ue magna animi ægritudine, quòd eorum, quæ ſperauerat, nihil proſperè ceſsiſſet, ex hac uita migrauit, Cum autem Guido Rangonius, Genuæ oppugnatione tentata, ſe cum Gallicis Ducibus coniunxiſſet, Taurinumq́ue obſidione liberaſſet; Cæſar in Hiſpaniam profecturus, ad Alfonſum Aualum totius Subalpini belli ſummam detulit. Ille Neapoli ſummo genere

Partem copiarum ad expugnādum Taurinum relinquit.

Cum reliquis in Prouinciā contendit. Leua exercitui præficitur

Leua moritur. Cæſar diſcedit.

Summa belli Alfonſo Aualo: & quæ in Subalpinis geruntur.

natus

natus, Bellicaque virtute clariſſimus, ſuperiore anno bello Tunetano, Cæſarianis item copijs præfuerat. Sed idem, vbi Cæſar Genua diſceſſit, Haſtam coloniam legionibus perductis, equitatuque in hybernis collocato, in ea vrbe hyemabat. Accepto autem repente de Caſalenſium defectione nuntio, qui Burriæ Gallorum præfecto portam vrbis aperuerant, celerrimè oppidum vi recepit. Paullo poſt Humerium Gallorum imperatorem, cum magnis copijs Haſtam oppugnantem re infecta diſcedere, ſeque recipere coegit. Diebus circiter quindecim Cherium, Cheraſcum, Albam, magna munitiſſimaque oppida ſumma vi oppugnauit, atque ad deditionem compulit. Omnis deinde Subalpinæ regionis vſque ad Alpes breui tempore potitus eſt, oppidis, vel expugnatis, vel in deditionem redactis, præter Taurinum, Sabinianum, & Penarolium: quod circumuallauit, obſeditque: Taurinenſes etiam, omni propè commeatu intercludens. Henricum Franciſci Regis filium, ipſumque Regem cum magno exercitu ſuis laborantibus ſubſidio venientes ſuſtinuit: quoad factis indutijs ab armis diſceſſum eſt. Id factum grauiter tulit, non minus Alfonſus Aualus, quàm Carolus Sabaudus: quamuis enim ambo, non eadem optarent, tamen pari ſtudio diuerſa cupiebant: Aualus gloriam militarem, Sabaudus meliorem fortunam: quæ ita inter ſe connexa erant, vt penderet ab altero alterum. Cum autem vtriq; eorũ conſequendę optatę rei nõ dubia ſpes ſeſe oſtendiſſet, quæ quodammodo tenebant, elabi, atque ſibi è manibus excidere, non æquo animo ferebant. Dum hæc in Subalpinis geruntur, Beatrix Caroli vxor, quam cum filio Niceam ardente iam bello Italia, à viro præmiſſam, ipſumque paullopoſt ſubſecutum fuiſſe diximus, cum grauida penè præter ſpem facta eſſet, & iam pariendi tempus non multum abeſſe videretur, ſe quodammodo triſtitiæ tradere: ſemper in aliqua graui cogitatione defixa eſſe: rariſſimè loqui: filium Emmanuelem Philibertum creberrimè complecti. Conſolanti eam viro, quærentique quare curis conficeretur, nihil reſpondere: occultè ſuſpirare: lachrymas non tenere, quaſi mali

Indutiæ inter Cæſarem, & Regem.

Beatrix Emmanuelis Philiberti mater moritur.

aliquid animus ei præſagire videretur. Cum autem III. Non. Decemb. anno M. D. XXXVII. filium peperiſſet, qui Io. Maria appellatus eſt; doloribus laborauit vehementer, diuque febri iactata eſt: atque ingraueſcente indies morbo, cum vim eius ſuſtinere non poſſet, eodem die, ſexto Idus Ianuarij M. D. XXXVIII. trigeſimo ſexto poſt partum editum die, ipſa, & filius è vita migrarunt. Funus ei pro copia quæ Niceæ erat, ampliſſimum factum eſt. Secuta eſt familia omnis, atque in primis filius, tanta cum pietatis in mortuam matrem ſignificatione, tantamque vim lachrymarum profundens, vt lugendi modum ægrè facturus eſſe videretur. Carolus variè afficiebatur: ex quo fonte manabat dolor, ex eodem non nihil conſolationis hauriebat. Quòd coniugem amiſerat, ex qua liberos multos ſuſceperat, qua cum concordiſſimè diù vixerat, magnis præterea virtutibus ornatam, maximum dolorem capiebat: quòd eadem virtutibus illis, & vitæ innocentia viam ſibi muniuiſſet ad cœlum; quodque, ex magnis malis ſeſe eripuiſſet, quæ labefactato, propeque conuulſo priſtinæ dignitatis ſtatu, ferre neceſse eſset, ſollicitudinem alleuabat. Præterea viro graui indignum putabat, quod allatura eſset ipſa diuturnitas, id conſilio, prudentiaque non præripere. Itaque animum erexit: cumque impendentes calamitates neque ante prouidere, neque deuitare potuiſset, in eis tolerandis, fortiterque ferendis inuictum ſe præſtitit. Suſtentabat autem cũ maximè filij indoles, & expectatio, quam is de ſe maiorem in dies concitabat. Neque enim vnquam dubitauit pater, quin incolumi filio magna quandoque futura eſset rerum viciſsitudo, magna temporum commutatio, præſentiſque ſtatus conuerſio. Quin etiam hortabatur amicos, ne contraherent animum, aut demitterent: quoniam ipſe proſpiceret ventos, qui tunc aduerſi vndique erumpebant, tandem ſecundos fore: & eos, maximam aliquando tranquillitatem cõſecuturam. Haud inanis coniector, & vates: felix etiam, ſi ei contigiſset, vt producta paullo longiùs vita, fructu vaticinationis ſuæ frueretur. Nam illum, quàm habebat de filio, non fefellit opinio: qui

Emmanuelis Philiberti in

puer

puer adhuc inertes, deſides, & otio diffluentes oderat: nō eum quies remiſsióve, aut pueriles ludi delectabant: ſemper aliquid agebat; neque oſcitanter quicquam, aut tardè, ſed accuratè, & diligenter, miraque cum animi alacritate. Cœpit autem paullatim aſſueſcere labori: curſu cum æqualibus certare, iaculari, venari, equitare: vt poſteà nemo aptius, maioreùe cum venuſtate equo inſideret: eiuſdem agitandi, flectendi, moderandi nemo peritior euaderet. Progrediente verò ætate bellicæ diſciplinæ ſtudio inflammatus, ad eam ſe totum conuertit. Iamque & pugnæ ſimulacra ſumma cum animi voluptate ſpectabat: & illis intererat: & arma induebat: & eques modò, modò pedes decurrebat: auidiſſimis auribus eos audiens, qui de militis, & Ducis, & Imperatoris officio, de metandis caſtris, de oppidis muniendis, obſidendis, expugnandis, de acie inſtruenda, de prælio committendo, de totaque belli gerendi ratione differerent. Itaque felicitate quadam ei contigiſſe videtur, vt omnem artis militaris ſcientiam conſequeretur; ſine qua nunquam in priſtinum, de quo deiectus fuerat, ſtatum redire potuiſſet: vtque ſponte, & libenter faceret, quod ei neceſſariò faciendum erat. Literas etiam didicit: quamuis ab earum diſciplina, multa illum abſtraherent: animus ad militarem artem longè propenſior: bella ineunte ipſius ætate in paternis ditionibus concitata: ſtatus, rerumque omnium perturbationes: fortaſsis etiam parentum metus; dum verentur, ne filij valetudo, ex ſtudiorum laboribus, aliquid incommodi patiatur. Communi ſanè multorum Principum vitio: qui, dum nimis de liberorum incolumitate ſoliciti ſunt, non animaduertunt, animum excoli doctrina, eaque magnum præſidium ad coercendas cupiditates, & ad effugienda uitia cōparari: qua ratione præſtare, tenuiore ualetudine filios, modò bonis artibus ſaltem informatos, quàm firmiore, rudes, & ignaros ad regendos populos, & ad gubernandas Reſpublicas accedere. Emmanuel Philibertus tamen ui, ac magnitudine excellentis ingenij in liberalibus ſtudijs non mediocres progreſſus fecit; primùm à Iacobo Boſsio, deinde à Ludouico

Doles, & quibus rebus exercet.

Literas didicit. Mathematicis deditus.

Quibus Magiſtris eruditur.

Alardeto, uiris eruditiſsimis latinas literas edoctus: nam in græcis perdiſcendis haud multum laboris ſuſcepit: pronior etiam ad eruditionem; quàm ad eloquentiam. In poeticæ ſtudio, nõ admodum uerſatus eſt: quamuis poetarum ſui temporis amator. hiſtoricorum uolumina, auidiſsime, ſæpiſsimeque euoluebat. Philoſophiæ partes eas attigit, quæ ad mores, & ad Reipublicæ adminiſtrationem pertinent. Mathematicis impenſius operam dedit, eorum ſtudium nunquam intermittens. Itaque poſtea adulta iam ætate, & omnis bellicæ machinæ expediendę rationem optimè didicit; & ingentis ponderis moles facilè, quò uellet, impellere; & oppida munire; & murorum, turriumque altitudinem procul metiri; & quantam uim, quantoque exinteruallo unumquodque tormentum, uel ad petendum hoſtem, vel ad diruenda mœnia vim haberet. Treis diuerſis temporibus pueritiæ moderatores habuit: primum, Ludouicum Caſtellioneum, poſtremum Aymonem Gebennenſem: illum Monſmenſijs populis, hunc Lulinijs imperantem: ambos ſummo genere, & militari diſciplina, & moribus optimis, & longo rerum vſu præſtantes: medium Ioannem Baptiſtam antiqua, clariſſimaque familia Prouana ortum (quæ gens à vetuſto tempore Linienſium ditionem tenebat) ſobrium, innocentem, fide, prudentia, pietateque ſingulari: quem poſtea, cum Carolus Emmanuelis Philiberti pater, à Paulo III. Summo Pontifice Niceæ, quæ infero mari alluitur, Pontificem renuntiandum curaſſet, incertum reliquit, maius ne grati animi, beneuolentiæque inditium in Prouanam, an in ciues Nicenſes oſtendiſſet. Cæterùm manente adhuc bello, de quo diximus, & nondum factis inducijs, Solymanus gente Othomana Turcarum Rex, cum diuturnum odium, quod in Rempublicam Chriſtianam iam inueteratum habebat, ſaturare cuperet; ex diſſenſione inter Cæſarem, & Regem oblatam ſibi occaſionem arbitrabatur ad occupandam Italiæ partem. Erat autem multitudine nationum, quibus imperabat, terra marique potentiſsimus, immenſis opibus, atque diuitijs affluens, pedeſtribus, & equeſtribus copijs, maximeque prætorianis militibus,

...ibus moderatoribus.

Solymanus ...ſsem ad ...druntum ...ttit.

litibus, qui Iannizzeri dicuntur, metuendus; præterea natura ferox, & inſolens, ac ſecundis rebus elatus; qui cum ſemel, atque iterum cum ingenti exercitu in Pannoniam veniſſet, Europa propè omnis metu contremuerat. Eo verò tempore claſſem centum, & quinquaginta triremium ædificandam curauit, inſtruxitque: his naues onerarias, plurimaque alia nauigia addidit, atque ex Helleſponti faucibus egreſſus, Aegeo ſecunda nauigatione tranſmiſſo, in mare inferum inuectus eſt; & curſum ad dexteram flectens Peloponneſum, & Epeirum circumuectus, atque ad mare ſuperum perueniens, Auloném appulit. Ibi cum eſſet, Luſtibeiuim Baſſam, quamuis officij maritimi ignarum, & eundem claſſi præficit, atque ad oppugnandum Hydruntum mittit: ipſe Aulone ſubſiſtit. Luſtibeius Caſtrum oppidum cepit, ac nonnulla Hydruntinæ oræ loca depopulatus, à conſilio oppugnandi ipſius Hydrunti deſtitit; quòd loci natura, & manu munitum longam, & difficilem oppugnationem habiturum eſſe videretur. Cùm præterea Solymanus Petrum Toletanum, qui Neapolitano Regno præerat, cum magnis peditum, equitúmque copijs aduentare, omniaque Appuliæ, Calabriæque littora maximis eſſe firmata præſidijs, & claſſem ſuam non leuia detrimenta ſingulari virtute Andreæ Auriæ Cæſarianæ claſsis præfecti accepiſſe cognouiſſet, Luſtibeium reuocauit. Poſteà oppugnata diù Corcyræ arce, quæ Venetorum præſidio tenebatur, re infecta, diſceſſit. Quamuis autem Byzantium inglorius ex eo bello ſeſe reciperet (paullo enim ampliora ſpolia ex Chriſtianis referebat, quàm de claſſe ipſius, Auria dettraxiſſet) illius tamen conatus animum Pauli III. Summi Pontif. dies, noctéſque pungebant. Sciebat barbarum Regem ardere cupiditate incredibili Reipublicæ Chriſtianæ funditus euertendæ, delendæque. Cuius cupiditatis, vel conſilio, vel ratione vel precibus extinguendæ cum nulla ſpes oſtenderetur; hominem ſæpius omnia moliturum in perniciem noſtram præuidebat: verebaturque, ne rès eadem crebrò tentata, aliquando ex ſententia ſuccederet. Optatam igitur induciarum occaſionem non amiſit: ſtatuitque

Claſſis Solymani re infecta diſcedit.

Paul. III. Pont. Max. de re Chriſtiana ſolicitus.

omnia

omnia cum Cæſare, & Rege experiri vt alterum alteri reconciliaret. Quòd ſi eos ad fœdus ſanciendum allicere potuiſſet, quo vterque ſtatueret pari ſtudio contra Solymanum arma capere, ad frangendam illius audaciam furoremque reprimendum, vtilius nihil fieri poſſe cenſebat. Et quoniam ſperabat hæc omnia facilè per colloquia perfici poſſe, nuntios confeſtim dimittit, qui mutatis ad celeritatem equis, dieque, ac nocte continuato itinere ad vtrumque contendunt. Petunt, ne grauentur ad ea Prouinciæ littora conuenire, quæ commodiora videantur: ipſumque Summum Pontif. eodem tempore ibidem affuturum affirmant. Vterque, ipſius conſilium probat, ſeque ad dictum colloquio diem venturum pollicetur. Rex ad Villamnouam, Cæſar ad Villamfrancam, Summus Pontif. Niceam peruenit. Non eum labores, non longitudo, aliæ ve difficultates itineris, non ſenectus, & quæ ſenectutem incommoda conſequuntur, retardarunt. animi vires imbecillo corpori vim addebant. Certè ea tempeſtate Chriſtianorum Principum officia ſic inter ſe congruebant; vt Reges, Principeſque Pontificis Summi auctoritate magnopere permouerentur: & ipſe communi ſaluti: atque vtilitati publicæ nihil anteferret. Erat Niceæ arx munitiſſima in edito ſita, paucos, & eos anguſtos, atque difficiles aditus habens; in quam recipi Summus Pontif. cupiebat: & quandiu in ijs locis morandum eſſet, eadem vti conſtituerat. Qua re cognita Carolus Sabaudus, qui relicto Niceæ filio aduenienti Cæſari obuiam proceſſerat, Chiuetro arcis præfecto ſcribit, vt Summum Pontif. & familiam eius, in arcem perducat, & quibuſcunque poſſit officijs, colat. Cum is vnius circiter diei iter abeſſet, Petrus Aloyſius Farneſius Ducem eorum militum, quos cuſtodiæ cauſſa Summus Pontifex circum ſe habere conſueuerat, cum ducentis peditibus expeditis præmittit. ille rectà ad arcem pergit: petit à præfecto, vt eis portam aperiat: qui ſint, & qua de cauſſa adueniant, exponit. præfectus vehementer commotus, quòd de accipiendo externo præſidio nullum à Carolo mandatum habebat, ad ea reſpondet: iuſſiſſe quidem Carolum, vt Summo Pontifici, fa-

[N]iceam ve[nit]: & eodem [te]mpore Ca[sa]r ad Villã[fr]ancam, Rex [G]allorum ad [V]illamnouã.

miliæque

miliæq; eius aditus pateret, ſe verò milites armatos iniuſſu Caroli in arcem ingredi non paſſurum; quam ab eo fideicommiſſam acceperat. Rem cum pluribus primarijs viris, qui tunc in arce erant, communicat, ij aliquid mali ſubeſſe ſuſpicantur. Gruatum Prouanam, quem Carolo cariſſimum, fideliſſimumq; eſſe ſciebant, ſibi ducem aſciſcunt, ſubitò in oppidum ad Caroli filium aduolant: magni vndique concurſus fiunt; tollitur clamor: puerum Emmanuelem Philibertum in humeros ſublatum in arcem deferunt, portaſque claudunt. In magnum autem conclaue cum veniſſent, animaduertit puer pendere parieti affixum ſimulachrum arcis: cumq; multi ſermones de ijs, quæ paullo antè acciderant, haberentur; bene habet, inquit, duas arces tenemus, quibus vtrique parti facilè conſuletur: nos tuebimur hanc, in quam vos ipſi me contuliſtis; illam alteram (in ſimulachrum digitum intendens) vt Pontificij habeant, permittemus. Quæ cum ſcitè dixiſſet, magnus eorum, qui aderant, riſus eſt conſecutus. Conſtat, Summum Pontif. nihil ea re commotum, æquiſſimo animo tuliſſe omnia: compertum enim habuiſſe, abeſſe omnes à culpa, nihilque dolo malo factum; quocirca affirmaſſe etiam, neminem accuſandum videri. Cum autem propè mænia Niceæ conſtructa eſſet ædes Mariæ virginis, & ædi continuata peramplа domus, in qua Franciſcana familia habitabat, in eam domum Summus Pontifex ſe contulit. Cum eo poſtea ſemel, & iterum Cæſar, & rex, ſeorſum alter ab altero, congreſſi ſunt: neque Summus Pontif. vllum prætermiſit hortandi, monendi, orandi etiam, & obſecrandi locum: denique omnibus modis conatus eſt, pacem inter illos conciliare: ſed fruſtrà labor inſumptus. Nam de pace nihil conuenit. induciæ tantum; quæ trium menſium pactæ erant, in annos nouem productæ. Quod quidem Carolo Sabaudo perincommodè accidit; paullo minus, quàm ſi nouem annorum exilio mulctatus eſſet. Nàm, quæ Galli ei non eripuerant, ne eriperent omnia, ita à Cæſarianis præſidijs tenebantur; vt perinde, ac ſi erepta eſſent propemodum ab eis excluderetur. Qua re tametſi ſpes eius extenuata eſt, non tamen

Suſpicio ort in arce Nicea.

Emmanuelis Philib. ſcitè dictum.

Fruſtrà de pace actum. Induciæ in nouem annos.

ſubla-

ſublata; & quamuis non leuiter commotus ſit, non tamen animum demiſit. Cùm autem omnes rerum ipſius rationes ſuſpenſæ eſſent, atque ex Cæſaris ſecundis, aduerſisve caſibus penderent; obſeruabat tanquam ex ſpecula diligenter, quicquid ei vel ex inopinatò accideret: tardi enim, & hebetis eſſe putabat gerendi ſui negotij occaſionem vllam amittere: imprudentis verò intempeſtiuè, alienoque tempore rogandi cauſſa ad quemquam accedere. Nam ad cuius opem confugias, cuiuſque auxilium implores, eodem tempore moleſtum illi, & importunum eſſe, extremæ dementiæ eſt. Itaque cum Cæſar, Nicea diſcedens, Summum Pontif. Genuam claſſe deportaſſet, indeque in Hiſpaniam perueniſſet; Carolus aduerſam fortunam æquo animo tulit, nihilque aggredi, ſed rem trahere in animum induxit, quandiù Cæſar moleſtis negotijs implicitus grauem occupationum molem ſuſtinuit. Nam ex eo tempore, quo Genua diſceſsit, & induciæ parum firmitatis habere, & Rex Gallus in amicitia nutare, & ab eo bellum impendere putabatur. Ad hæc ab Hiſpanis in agro Mediolanenſi apud Galeratum oppidum, item ab eiſdem in Sicilia ſeditiones factæ. Petierat item Cæſar à Populis Hiſpanis, vt pecuniam in bellicos ſumptus aduerſus Turcas erogarent, neque impetrarat: aduerſante in primis Egnatio Velaſco magnæ nobilitatis, & auctoritatis viro, neganteque, moris eſſe Hiſpaniæ prouinciæ, vt ei pecuniæ imperarentur. Præterea Cæſariana claſſis cum Pontificia, Venetaque coniuncta ad Preueſam Caſtellum in faucibus ſinus Ambracij poſitum, benè gerendæ rei occaſionem amiſiſſe videbatur. Nec non Iſabella Auguſta Cæſaris vxor, quam is vnicè diligebat, maximo cum ipſius mœrore mortem obierat. Poſtremo Gandauni, quæ vrbs in Belgis inſignis eſt, & Cæſaris ipſius patria, magni motus extiterant: ad quos comprimendos continuò ex Hiſpania per mediam Galliam eo profectus erat. At, vbi ex Belgis diſceſsit, & Artobrigam, quæ olim Tiberia Auguſta, ab alijs Reginoburgum, ab alijs Ratisbona dicitur, peruenit, quam in vrbem Principes Germanos euocarat, ibi conuentum acturus, quo diſceptationes, controuerſiaſque de

Plura Cæſari moleſta acciderunt.

Carolus Sabaudus lega-

reli-

religione tolleret: primum Carolus, ad Cæſarem legatos miſit nobiliſſimos uiros: cuius legationis Caſsianus Puteus Senator, principem locum obtinebat: deinde paullo poſt ipſe eodem profectus eſt. Gauiſus eſt Cæſar Caroli aduentu: viri primarij Germani, qui Imperij Principes appellantur, Carolum item Imperij Principem ſumma cum amoris ſignificatione complexi ſunt. Eo vero tempore Carolus nihil laborandum putauit, vt cauſſam ſuam probaret: vtuè cuiuſquam animum ad nauandum ſibi ſtudium, & operam accenderet. Nam & Cæſar bono eum animum eſſe iuſsit, & omnia ſumma ſe eius cauſſa, velle, cupereq; oſtendit. Et Principum illorum nemo fuit, quin vicem eius maximè doleret, decerneretque: exigendam ex tota Germania pecuniam, & eum armis in paternas ditiones, quibus à Gallorum Rege exutus fuerat, reſtituendum. Prætereà Ferdinandus Romanorum Rex Cæſaris frater, Magdalenam filiam Emmanueli Philiberto Caroli filio deſpondit. Dilatæ tamen nuptiæ, quoad ille, qui nondum pubes erat, adoleſceret. Dilatum etiam bellum aduerſus Regem: vel quòd ſpes pacis oſtendebatur: cuius futura erat inter cæteras illa conditio, vt quicquid armis poſt Sfortiæ mortem Galli occuparant, ijs quibus eripuerant bona fide redderetur: vel q. Cæſar iam ſtatuerat, primo quoque tempore, piratarum, & latronum ſedem, Iuliam Cæſaream, quæ Algerium vocatur, euertere: vel quòd facilius eſt alienos euentus, fortunamque miſerari, quàm opem ferre. Peracto conuentu Carolus animo planè confirmato Niceam redijt, cum non longè abeſſet, prodeunte obuiam filio, maxima perfuſus eſt lætitia, voluptateque, vbi eum ſaluum, & incolumem, & optimo corporis habitu conſpexit, cognouitq;, quandiu abfuerat, non inaniter, fruſtra vè ab eo contritum tempus, ſed in ijs ſtudijs, quibus animus ad virtutem informatur. Cum enim diſcedens filium, & rerum omnium curam grauiſsimis viris, atque in primis Prouanæ Pontifici Nicenſi commendaſſet; ij, quoties concilium haberetur, puerum ſecum adducebant; vt grauiora tractare negotia paullatim aſſueſceret. Erat autem in eo, vt diximus, magna vis, magnum acumen inge-

tos ad Cæſ mittit. Ipſe vorma tam.

Rex R manorum f liam Emma nueli Phili berto deſpon det.

nij, quod puerilem ætatem præcurrebat; quodque ipſo vel loquente, vel tacente ſatis eluceret. Nam, in ſermone eius, nihil inſipiens, nihil ineptum, nugatorium, & leue nihil, aut omnino rarum: multa verò acuta, lepida, venuſta. Quòd, ſi taceret, vt plerunque ſolebat, oculis tamen, & fronte, & geſtu ſe celerrimè percipere, quę ab alijs dicerentur; indicabat. Vbi Carolus ex Germania rediјt, paucos Niceæ dies moratus Cæſarem perueniſſe Genuam accepit: cum primum idoneã ad nauigandum tempeſtatem nactus eſſet, in Mauritaniam Cæſarienſem traiecturum. Itaque Vercellis Genuam profectus eſt, ſecumque filium perduxit. Is purpureo ſago indutus, gladioque ſuccinctus cum eſſet; poſtquam in cõſpectum Cęſaris venit, ſtatim ſe ad eius Genua demiſit: & manum appræhenſam oſculatus: ſi voluntarijs (inquit) hoc bello licet nomina dare, quorum magnum ad te numerum quotidie cõfluere videmus, meum etiam, vt ſpero, Cæſar, accipies: non enim coactus, ſed planè volens, & libens aduenio, eandem dignitatis tuæ, commodique, quàm meæ ſalutis rationem ſemper habiturus: tu quidem in præſentia à me, nihil adiutus: at planè fortunatus ego, ſi mihi continget, vt à te ſummo omnium Rege, inuictoq; Imperatore militarem diſciplinam percipiam. Quæ cum alacri quidem vultu, ſed non ſine ſumma modeſtia dixiſſet, (nam totius oris rubor ſubitò conſecutus eſt) ad ea Cæſar humaniter reſpondens; grata mihi (inquit) tuæ erga me fuit ſignificatio voluntatis: fac igitur, vt eam conſtantiſſimè retineas: nam, quæ nunc poſtulas, non ego denego, ſed in alia tempora reſeruo. Tum ad eos, qui aderant imprimiſque ad patrem conuerſus, gratulatus eſt, quòd filium ſumma, mirificaque indole præditum haberet, tantamq; expectationem iam ſui concitantem. Affirmauit item, videri ſibi magno, & excelſo animo puerum eſſe; ac (niſi ſuum ſe falleret iudicium) maiores ſuæ gentis gloria ſuperaturum, poſteriſque præclarum bellicæ virtutis exemplar relicturum. Ea ſpe lapſus Emmanuel Philibertus, non tamen cogitationem abiecit, (etenim penitus inſederat) vt, cum primum liceret, in militiæ diſciplinam proficiſceretur. Nam,

Cæſar Genuã, Algerium iturus.

Dux Sabaudium filio ad Cæſarem.

Verba Emmanuelis Philiberti ad Cæſarem.

Reſponſum Cæſaris.

Iuditiũ eius de puero.

quæ

Digitized by Google

quæ dixerat Cæſar, altiùs in pectus eius deſcenderant, uarieque adoleſcentuli animum afficiebant; gaudebat promiſſis: rem tra hi, differrique ægreferebat: nihilq; longius ei uidebatur, quàm ut è patrijs ſedibus, tanquam ex uinculis, ad Cæſaris exercitum euolaret. Conſilijs tamen patris, & voluntati Cæſaris obtemperauit: quem vnum, cum à patre diſceſſerat, præter omnes mortales colendum, & obſeruandum ſibi propoſuerat, quare animum ad priſtina ſtudia facilè retulit, vt ingenium litterarum diſciplina, corpus quotidianis laboribus exerceret. Neque vero Gallorum Rex interim ſibi deerat. Manentibus enim adhuc inter ipſum, & Cæſarem indutijs, per idoneos homines Caroli Sabaudi animum tentare aggreſſus eſt. Petebat, vt is ſpontę Subalpinæ regionis poſſeſſione cederet: pro qua Allobrogum prouinciam, quam in poteſtatem redegerat, ſe ei redditurum, magnis alijs propoſitis conditionibus affirmabat. Sed totam eam rem, ita Carolus aſpernabatur, vt neminem de ea loquentem, niſi propemodum recuſans, & inuitiſſimus audiret. Nam eum, qui à potentiore vincatur, vi bonis exuatur, armis pellatur, dicebat accipere quidem detrimentum; committere culpam, negabat: quam vnam præſtare vir bonus debet. Qui verò non coactus fortunas amitteret, ac de gradu ſe deijci ſineret, hunc paruo animo eſſe, abiectoque, atq; in ignauos, & inertes omnino referendum; quo nihil Principi viro eſſe poſſit indignius. Quare nuntios Regios ægerrimè ad colloquium admiſit: deinde in hanc ſententiam reſpondit. Scire Regem, iure nè, an iniuria arma ſumpſiſſet, & Allobroges ſibi ſubieciſſet: quòd ſi ditionem illam liberè dimittere adhuc nollet, haberet eam ſibi, ſi lex, æquumque, & bonum permitteret, vel quandiu ſuperi paterentur. Sed tandem deſineret de compoſitione tam iniquis, duriſque conditionibus agere. Nàm, quòd ad Subalpinos attineret, neque decere, tam iniquum ſe filio eſſe, vt hæreditatem aliquando ei obuenturam ad alienos transferret: neque facinus indignum audendo, ſe ſuam exiſtimationem amiſſurum, quàm ſemper primam duxiſſet, vitaque potiorem. Per eos dies, renouato inter Cæſarem, & Re-

Cõditiones à Rege Gallorũ Duci Sabau. oblata.

Reiecta à Duce.

gem bello, cum Guilielmus Sicambrorum, & Menapiorum Dux, qui Cleuenſes, & Geldrij vocantur, ad Regem à Cæſare defeciſſet; Cæſar, cui in Belgas proficiſci, Guilielmumque bello perſequi conſtitutum erat, ex Hiſpania Genuam venit. Rurſus igitur Carolus Sabaudus, & Emmanuel Philibertus filius ad eum celeriter profecti ſunt. Carolus, vt nullum beneuoli, ſtudioſique hominis erga Cæſarem officium prætermitteret; & ei omnia ſua, qualiacunque eſſent, vltro deferret; filius; vt eſt ingenium adoleſcentium, qui facilè ſperant, quæ auide cupiunt, memor nimis eorum, quæ biennio ante eodem in loco Cæſar dixerat; confidenſque, iam moram amplius nullam fore, quin ſibi eo, quod parabatur bello militare liceret. Sed ne tùm quidem ſatis eſſe cauſæ putauit Cæſar, quare illum ſecum perduceret, adoleſcentem nempe vix decimum quintum annum agentem, neque adhuc ob ætatis infirmitatem ſatis virium habentem, vt bellicos labores ſuſcipere, periculave ſubire poſſet. Quare eum amantiſſimis verbis hortatus eſt, bono animo eſſet: ſibi enim curæ eam rem fore, quam totam ſibi permitti vellet: monere verò ſe, cupereque vehementer, interim, à patre ne diſcederet. Plus modeſtia in Emmanuele Philiberto valuit, quàm ſtudium, quo erat incenſus; & Cæſaris auctoritas adoleſcentis cupiditatem non quidem extinxit, ſed certè, quantum opus erat, eo tempore compreſſit. Cum autem comperiſſet Cæſar, Gallorum Regem ſtudere claſſi, naueſque vndique conquirere; vereretur que ne Niceam oppugnaret; Carolo Sabaudo, quid ſentiret, aperuit: ſuaſitque, vt periculum declinans, procul inde abeſſet, & Vercellas cum filio concederet. Haud inanis fuit Cæſaris coniectura: minorque ſuſpicio, quàm euentus: quem is totum principio prouidere non potuit. Cum malorum initia plerunque leuia videantur, & ſubobſcura; quæ poſteà, vbi in lucem proferuntur, augentur in dies magis, ac ſemper in deteriùs. Angebatur Rex, ægerrimeque ferebat, quòd viribus ſuis, atque potentia, potentiam, vireſque Cæſaris frangere, infirmareve non poſſet. Sed ægritudini ſuæ remedia quæſiuit ægritudine

Cæſar rurſus Genuam.

Dux Sabau. cum filio ad Cæſarem.

Prudētia Cæſaris.

Fœdus inter Gallorum Regem, & Solymanum.

peiora:

peiora: vt ijs plerunque accidit, qui dolore, ira, cupiditate, aliave animi perturbatione commouentur. Spem in externa auxilia conuertit, fœduſque cum Solymano Turcarum Rege pepigit: quo inter alia actum eſt, vt eius claſſis, quoties accerſeretur à Gallis præſtò eſſet inſtructa. Itaque ſociata ſunt arma Gallica cum Barbaris: communicata bellorum conſilia cũ diſſimillimis, cœlo, lingua, religione, moribus, inſtitutis: fides habita perfidis: petita auxilia ab aduerſarijs. Ipſe Gallorum Rex Chriſtianiſſimi nomine Regum omnium clariſſimus, mirantibus omnibus, cum acerrimis Chriſtianæ legis hoſtibus amicitiam iunxit: vt plurimi, ijque prudentes viri, tot malorum, & calamitatum, quę poſtea Rege mortuo vndique Gallias inuaſere, quarumque nullum adhuc finem videmus, hanc vnam fuiſſe radicem arbitrentur. Ea, quæ ſecuta eſt, æſtate, Solymanus magnam claſſem comparauit, inſtruxitque, & Hariadeno Ænobarbo totius maritimi imperij ſummam permiſit; Ænobarbus in inferum mare delatus, nonnulla Cæſaris oppida depopulatus eſt: tum eidem licuit, omnes Italiæ, & Galliarum, & Hiſpaniarum oras, quæ mari eodem alluuntur, pulcherrimum, & florentiſsimum orbis terrarum latus impune percurrere: poſtea Gallicis portubus receptus, magna commeatus copia ſubminiſtrata, numeratoque ſtipendio. Niceam venit. Eodem peruenerat pedibus Anghianus, florentiſsimus adoleſcens, nobiliſsima Borbonia familia natus, Subalpinis copijs Regijs præfectus. Itaque, eodem tempore terra, marique oppidum oppugnatur. Oppidani fortiter illud principio tuentur. Sed cum diutius tantam vim ſuſtinere non poſſent: æquis conditionibus ſecundo, & vigeſimo poſt oppugnationem die, ſe dedunt. Oppido in poteſtatem redacto, Ænobarbus milites ſuos exponit, Gallique, & Turcæ tormenta ingentia producunt, munera inter ſe partiuntur, atque ad arcem, quam in edito ſitam, & loci natura, operibuſque munitiſſimam eſſe demonſtrauimus, accedunt. Paucis antè diebus Carolus Sabaudus arci præfecerat Paulum Simeonem equitem Hieroſolymitanum, cuius magnè erat fidei, & forti-

Nicea à Gallis & Turcis oppugnata

Arx Nicea fortiter defensa.

tudinis

tudinis opinio. Qui cum arma, tela, tormenta, commeatum, ac cætera, quæ ad defenſionem opus erant, abundè prouidiſſet; nihil ſibi metuit: tormenta in hoſtes emittit, eos manibus, & voce ad ſuccedendum mænibus inuitat: mollitiem illis, imbecillitatem, & languorem exprobrat. Hoſtes, deſperata arcis expugnatione, ad fraudem ſe conuertunt: inſidias moliuntur, eamque occultè, ac per dolum occupare conantur. Sed ne doli quidem hoſtium, inſidiæuè Simeonis diligentiam fefellerunt. Interim Alfonſus Aualus Cæſariani exercitus in Ciſalpina prouincia Imperator, magnis coactis copijs ſubſidium Simeoni obſeſſo laturus, iam appropinquabat. Qua re cognita, hoſtes oppugnationem dimittunt: tantaque cum celeritate diſcedunt, vt diſceſſus ille conſimilis fugæ videretur, parumque abeſſet, quin tormenta deſererent. Ænobarbus claſſe Antipolim contendit: Anghianus vltra Varum amnem exercitum reducit. At Alfonſus poſtea nullum ferè tempus à bellicis laboribus vacuum habuit, quoad ab armis diſceſſum eſt: primùm indutijs factis, deinde conciliata denuo inter Regem, & Cæſarem pace: variante interim fortuna belli: quæ non ſemper ab Alfonſo ſtetit, neque eius virtuti conſtanter reſpondit. Cùm enim Nicea diſcedens Montem regalem oppugnatione, obſidioneque ad deditionem compuliſſet, Carinniano capto, oppidum fortiſſimo præſidio, munitionibuſque firmaſſet; Eporediam obſidione liberaſſet; prælia duo inter vtrumque, menſibus haud multis interpoſitis, fecit: vnum ad Cereſolium, idque aduerſum, Germanis peditibus amiſſis amplius octomillibns; alterum ad Serrauallem, ſecundum: cum Petri Strozæ copias peditum circiter duodecim millia amnem Scriuiam tranſire conantes, fudit, fugauitque. Quæ res propæ in oculis Emmanuelis Philiberti, ditioniſque, & dignitatis eius tuendæ cauſſa geſtæ, adoleſcentis animum, per ſe gloriæ militaris auidum, mirum in modum inflammabant, atque huc illuc impellebant. Sæpe verò, multumque mente agitauit, quid conſilij caperet. nihilque propius eſt factum, quàm vt patre non modo non conſulto, ſed etiam nec opinante, aut inſcio, ad Alfonſum

[A]uali in Sub[al]pinis geſta

Aua-

Aualum ſe conferret: cuiuſquidem rei cupido maior eum inceſſit, cum rem frumentariam prouideri, copias augeri, eaque omnia diligentiſſimè parari accepit, quæ ad liberandum Pyrrhum Columnam Carinniani obſeſſum pertinebant. Quod incommodè ſanè accidiſſet; ſi, quo tempore malè pugnatum, & detrimentum acceptum eſt, ad exercitum atque in militiæ diſciplinam profectus eſſet. Aegrè tamen ſibi ipſe omnino imperare poterat: nam dies tanto maiores ei bellicæ laudis ſtimulos admouebat; quanto ætate magis progrediebatur. Sed dies eadem moderationem etiam addebat, & conſideratè agere, quod ageret, docebat. Itaque in eo animum obfirmauit, ne quid de ſe ipſo, niſi ex Cæſaris præſcripto, voluntateque ſtatueret: ſe ſe interim fallendo, ſimulque oblectando pugnæ ſimulachris, dum vera fictis, & adumbratis, quantum poteſt, imitatur. Quæ enim ſpeciem ſingularis certaminis habent, in ijs ſæpiſſimè ſe exercebat. cum pedes armatus armato pediti ſe ſe offert fragilibus haſtis tribus, & præſcriptis gladij breuioris ictibus alter alterum petens: parua trabe tranſuerſa inter vtrumque è terrà vmbillico tenùs extante, quaſi fine conſtituto, quem tranſilire neutri licet. Vel, cum equites duo in diuerſa, parte, atque è regione ad lineam conſtituti grandibus equis, ijsque interdum lorica munitis inſidentes, grauioribus armis induti, quibus cataphractus tegitur miles, tubæ ſono excitantur: & illicò in citatis equis concurrunt, alter alterius ſuperiorem corporis partem infeſtis lanceis ferire contendens, atque in primis caput, qua ſuperior galeæ pars cum inferiore coniungitur. Quæ res, tametſi lanceæ tenuiores ſunt, acieque ferrea prorſus retuſa, graui tamen periculo non caret: vt ſuperioris temporis exempla, non ſine magna totius Galliæ iactura, luctuque docuerunt. Eſt & aliud exercitationis ludicræ genus, quo maximæ delectabatur. Nam ſupra viam directam, planam, ſtratamque, per quam decurrere equi commodè poſsint, tranſuerſa conſtituitur reſtis, tàm altè ſuſpenſa, vt ſupra caput equitis prætereuntis ſeſquipedem propemodum emineat. ex ipſius reſtis medio annulus mobilis pendet, paullò amplior,

Certaminum ludicrorū tri um deſcriptio

quàm

quàm ſummæ lanceæ craſsitudini conueniat. In annulum admiſſo equo, lanceæ aciem immittere, vel eum directo ferire, pulchrũ habetur: ſed pulchrius, cum eques, paullò poſt, quàm equo calcar admouerit, lanceæ calcem à femore, cui inhæreat, leniter ſub dexteram alam deducit, brachioque molliter comprimit, atque lanceam ipſam prius erectam, paullatim demittit ſupra leuam equi aurem, atque è regione annuli probè dirigit: ipſe firmus in equo, non capite, non pede, non tibia, non parte aliqua corporis nutans; lanceaque in primis, nunquam in partem alteram vacillante. Nàm parum compoſitè equo inſidere, membra commouere, lanceam crebro motu agitare, eã demittere prius, ac poſteà erigere, indecorum eſt. Nec minus, ſi cui, dum citato equo fertur, tegmen capitis, vel alia veſtitus pars in terram decidat; vel vbi plurimum is à ſcopo aberret. Turpe verò cum lancea ſupra reſtim adigitur: turpiſſimumq́; , cum è manibus excidit. Ad hæc propè quotidie vti dictum eſt pila ludebat, & ſexto, vel octauo quoque die venationi operam dabat: qua ſæpe ſummo labore fugientem Ceruum diutiſſimè inſecutus eſt: ſæpe ferocem aprum gladio transfixit: aucupio non magnopere deditus. In ijs omnibus, vbi rem ab æqualibus præclare geri contigeret, laudare eos, & extollere: nemini quicquam detrahere: nullius virtuti inuidere, ſed imitari: de alijs multum, de ſe nihil loqui: cum ab omnibus plurimum eius virtuti tribueretur, non agnoſcere: neque pleno ore laudantes pati. modeſtia, & virtute, non ambitione, potentia vè cum æqualibus certare. Præfectos Cæſarianos, militesque veteranos ſpectatæ virtutis ad ſe crebrò venientes, ꝙ ab exercitu propè aberant Vercellæ, libenter admittere, humaniter accipere, & in eos magis pro animi magnitudine, quàm pro ærarij tenuitate liberalis, & munificus eſſe. Quæ quidem & eius generis multa, mores adoleſcentis, & quali eſſet ingenio præditus, ſatis indicabant. Sed in huiuſmodi actionibus, cogitationibuſque aſſiduè verſantem nouus belli rumor, & magni denuò armorum apparatus excitarunt. Cum enim Cæſar è Belgis ingentes copias in intimam Galliam adduxiſſet, & Sã-

Emmanuelis Philiberti modeſtia.

Digitized by Google

deſirio vrbe munitiſsima, Aſprenetoque oppido in deditionem acceptis, propè Lutetiam Pariſiorum perueniſſet; magno terrore, longè, lateque illato, ad Crepinium caſtellum per ſummos viros de compoſitione tractatum fuerat; actumque, vt ab armis vtrinque diſcederetur, paxque eſſet inter Cæſarem, & Regem: cuius filio Carolo Aurelianorum Duci Cęſar Mariam filiam deſpondit, doti vel Belgarum, vel Mediolanenſium prouinciam dicturus. Itaque à Gallis eo tempore quieta, tranquillaque omnia. Sed magna Germaniæ pars belli conſilia inire, furere, & arma ſumere aduerſus Cæſarem cœpit. ſuperis volentibus, vno extincto, confectoque bello, aliud è veſtigio renaſci; fortaſſe, ne vmquam illi triumphorum, quaſi ſeges, gloriæque materia deeſſet. Indicto nonnullis ante annis à Ioanne Federico Saxonum Duce concilio, ad Smacaldium oppidum, quod Schalmo fluuio alluitur, & poſitum eſt inter Caſuaros, qui Turingij, & Incriones, qui Heſsij dicuntur, magna multitudo eò conuenerat: multi Germanorum populi, multæ ciuitates legatos miſerant; factumque fuerat fœdus, quod Smacaldicum de loci nomine appellatum eſt: quo fœdere, coniurauerant, ſe in annos quinquaginta, omnia communi conſilio acturos; atque in tuendis amicis hoſtibuſq; perſequendis numquam inter ſe diſſenſuros. Hæ fœderis cauſſæ ferebantur, quòd à Martino Luthero ſceleſtiſsimo, perditoque homine decepti, falſaque doctrina deprauati, qua multorum flagitiorum impunitas, immoderata libertas, & impudens licentia permittebatur, magno in Summum Pontif. odio flagrabant, atque à priſtina Chriſtianæ pietatis, veræque religionis cauſſa receſſerant, cuius Cæſar erat accerrimus propugnator. Fœderis Principes Ioannes Federicus Saxonum Dux, & Philippus Langrauius: ille ampliſsimo genere natus, ſummæque potentiæ: hic, propter virtutis opinionem, & Principum amicitias magnæ inter Germanos auctoritatis. Sed arrogantia elati Cæſarem principio maleuolis ſermonibus carpere cœperũt: maximas res eius geſtas verbis extenuare, de ſuis latiùs, atque inflatiùs prædicare, quos poſſent, à Cæſare alienare ſibique adiungere. cum

Fœderis cauſſa.

ad conuentus euocarentur, vel non adeſſe; vel in eis liberiùs, & audaciùs loqui, conſilia de bello agitare: poſtremò rerum ſuarum fiducia decepti, minari, propeq́ue Cæſarem contemnere. Nihil horum Cæſarem fugiebat: ſatiſque intelligebat, vtrumq; tantos ſibi ſpiritus ſumpſiſſe; vt ferendi omninò non viderentur. Et quamuis tempus animaduerſionis nō eſſe exiſtimaret, quamdiu alijs bellis diſtineretur, atque interim patientia, & modeſtia continere eos in officio conaretur; eorum tamen audaciam quam primùm armis comprimere ſtatuerat. Vtriuſque partis conſilia ad bellum ſpectabant: neutra tamen, animi ſui ſententiam adhuc aperuerat; ſed, quantum poterat, diſſimulatione tegebat. Quibus cognitis Emmanuel Philibertus cum patre agit, de mittendis ad Cæſarem nuntijs, facileq́ue impetrat. per eos etiam atque etiam petit, vt ſibi liceat, ad eum primo quoq; tempore proficiſci. Quibus Cæſar placere, gratumq́ue ſibi fore eius aduentum humaniter reſpondet. Eo nuntio magna affectus eſt lætitia filius: quòd ea, quæ tamdiu concupiuerat, ſe conſecutum videbat. Gauiſus item eſt Carolus pater: non tamen vt veri gaudij vſura frueretur. Nam ſenem, & varij caſus, & pericula, quæ militantem adire neceſſe eſt, & amor, & ſpes, & metus, &, quæ paternos animos mirificè torquet, diuturnior abſentia ſolicitum habebant. Vbi verò profectionis dies aduenit, & filium ad ſe venientem, ad iter expeditum, petaſatumq; conſpexit; nihil eum hortandum putauit, iam ſua ſponte ſatis incitatum; ſed complexum, vixq́ue dimittens; i fili (inquit) quò te Cæſaris fortuna vocat, &, quæ fortuna maior eſt, virtus. quòd, ſi virtutem imitaberis, fortunam etiam, mihi crede, conſequeris. Plura dicere fletus prohibuit; nam ſubito ſe lachrimæ profuderunt. Tum filius bono (inquit) ſis animo pater. Non.n. committam, vt vmquam de me, vel maioribus, vel te, vel me ipſo quicquam indignum audias: virtutem verò Cæſaris, ſi minus imitari potero, certè voluntate proximè accedam: atque Deum, qui iuſtas cauſſas tueri ſolet, noſtræ, quę tantoperè cum Cæſaris cauſſa coniuncta eſt, non defuturum ſpero. Quæ cum tranquilla quidem fronte dixiſſet, quoniam tamen lachrymis

Emmanuel Philibertus Vormatiam ad Cæſarem

patris magnoperè commouebatur, ſeſe demittens, eiuſque manum oſculatus, è conſpectu eius celeriter abijt, neque moram vllam interpoſuit, quin equum conſcenderet, & iter ingrederetur. Quos ſecum perduxit, non tàm multi, quàm lecti. in familiarium numerum receptus nemo, (præter eos, qui viliore munere fungerentur) niſi honeſto loco natus. in ijs inſignes viri circiter quadraginta. In primis autem Prouana Nicenſis Pontif. & Aymo Gebennenſis, quos ſupra memorauimus. Ad hos ſumma omnia referebat, atque de eorum conſilio gerebat. Toti familiæ Iacobum Prouanam præfecit, patrem adoleſcentuli Andreæ: cuius poſteà fideliſſima, fortiſſimaque opera ſemper eſt vſus. Sforzaſcum ijs qui promptiores ad ſuſcipiendos militares labores, alacrioreſque ad ſubeunda pericula eſſe videbantur, præeſſe iuſſit. Diſceſſit Vercellis anno M. D. XLV. ſex. Calen. Iunij: ſed quoniam eum in itinere incommoda valetudo Nazareti nonnullos dies tenuerat, (quod oppidum non longè diſtat ab Oeniponte) paulò ſeriùs ad XI. Calen. Auguſti Vormatiam peruenit. Ibi tunc erat Cæſar: qui cognito eius aduentu, nihil prætermiſit, quod ad honeſtandum adoleſcentem pertineret. Itaque iuſſu eius aduenienti prodierunt obuiam extra oppidi portam, omnes aulæ Cæſarianæ primarij viri: Duces, tribuni militum, præfecti multi, & qui paucis antè diebus eò venerat Alfonſus Aualus in Ciſalpina Gallia Cæſariani exercitus imperator. Is magna hominum frequentia illum ad Cæſarem recta perduxit: à quo humaniſſimis verbis appellatus, & lætiſſimo animo acceptus eſt. Paulliſper ibi moratus abijt. cumq; Cæſaris fratrem Ferdinandum Romanorum Regem, & filios ſalutaſſet, ad Cæſarē redijt. hi omnes eo die fortè cænabant apud Comitem Palatinum, ſummum virum. itaque triclinium ingreſſus Emmanuel Philibertus, à Cæſare iuſſus eſt menſæ eidem accumbere. Poſtero die ſacrificio interfuit ſtans apud Cęſarem, eodem ſub velo quo Cęſaris ſella ſupra, & circum tegebatur: quem in locum Regijs propinquis tantùm aditus eſt, præterea nemini. ab ijs item qui adibant vel negotij, uel officij cauſſa, honorificentiſſimè appellari cœpit. nam maieſtatis nomen, hac

Emmanuel Philibertus magno honore excipitur.

noſtra tempeſtate Regi magno, Regis filio altitudinis conuenit; cuius verbi honor illi tributus eſt: præſertim à potentibus viris, ipſiſque Cæſari intimis: facilè vt quiuis intelligeret, id probante, volenteque Cæſare fieri, quòd ab eo in filij loco duceretur. Diligebant item eum mirificè, charumque habebant Ferdinandi Regis filij: quos ille, atque in primis Maximilianũ (nam propemodum æquales erant) ſtudioſè coluit. dum autem ſimul equitant, venantur, militaribus ludis ſe exercent, ſic inter eos aucta eſt familiaritas, vt nihil videretur eſſe coniunctius. Fuerat eodem tempore Vormatię Carolus Regis Gallorum filius, quem Cæſar generum ſibi deſtinarat: ſed grauiſſimi, propeq; improuiſi morbi vi paucis diebus abſumptus eſt. Eius morte cum magnæ ſpes Cæſaris, Regiſque concidiſſent; Rex Briſacum, ex præfectis vnum, cuius inter Gallos magna erat prudentia, atque rei militatis vſus opinio, ad Cæſarẽ miſit officij cauſſa: ſimul, vt inueſtigaret, pacem ne is ſeruaturus eſſet, an noua conſilia initurus. Venit etiam Briſacus ad Emmanuelem Philibertum, eique cum Regis nomine ſalutem dixiſſet, oſtendit, in eam partem propenſum eſſe Regem, vt eum breui tempore in ditionum ſuarum poſſeſſionem reſtitueret. Sed redditis eidem Regis litteris, quibus eum tantummodò conſobrinum, & Ducis Sabaudi filium appellabat, mirati ſunt Cęſariani: magnaque fuit omnium ſuſpicio, ita ſcripſiſſe Regem, quòd veritus eſſet, ne quid de ſuo iure derogaret, ſi eum Subalpinæ Galliæ Principem, vt æquum fuerat, appellaſſet. quam quidem rem nullam, vel exiguam admodum compoſitionis ſpem afferre iudicabant. Id animaduertens Briſacus, antequam rediret in Galliam, ruſus Emmanuelem Philibertum conuenit. remotis omnibus longum ſermonem inſtituit: pluribus affirmauit, mente optima eſſe Regem: affinitate, neceſſitudineque quibus alter alteri coniunctus eſſet maximè permoueri: facilèque in eam venturum ſententiam, vt, quæcunque armis ademerat, eum ſibi habere generoſo animo permitteret. monere verò ſe eum, magnoperèque hortari, vt Regis liberalitatem aliquo obſequio, beneuolique animi ſigni-

Caroli Regis Gallorum filij mors.

Rex Gallorũ Briſacum mittit ad Cæſar.

Briſacus cũ Emmanuele Philiberto ut eum Regi adiungat.

fica-

ficatione prouocaret: ei ſe totum adiungeret: eius partes ſequeretur: ſe, ſuaque in eius clementiam permitteret. hac vna ratione, in priſtinum ſtatum reſtitutum iri: cęteras ſpes oẽs pertinues, fallaces, & inanes fore. poſtremò addidit, de ijs, quæ dixiſſet omnes alios cælari velle: petijtque, vti ne efferrentur, diligenter caueret. Ad ea Emmanuel Philibertus reſpondit, de Regis voluntate eò minùs ſibi dubitandum videri, quòd fama eſſet, eum animi magnitudine, iuſtitiaq; non minùs, quàm regni amplitudine, & opibus, & potentia clariſſimum eſſe. Sed ſe duorum hominum Cæſaris, & patris imperio regi. vtri plus deberet, nondum conſtituiſſe: à patre enim genitum quidem; ſed à Cæſare ſumma beneficia conſecutũ eſſe. illud ſcire ſe, nihil vmquam de ſe, ſuiſque rebus moliturum, ſed ne cogitaturum quidem, niſi quod ij iuſſiſſent, voluiſſentque. quare, quæ proponebat, cum vtroque communicaret: quodcumque enim ij cenſuiſſent, ſe libentiſsimè facturum: quod verò improbaſſent; ab eo ſemper ſe alienum atque auerſum fore. hoc vnum ſibi propoſuiſſe, ac decreuiſſe; conſtanter adeò, firmeque, vt erui non poſſet: ſibique facilius duceret ſponte de vita, quàm de ſententia decedere. Ea deinde ſecretò Cæſari delata ſunt. itaque Emmanuelem Philibertum ad ſe vocat; quæritque, quænam eſſent, de quibus cum eo legatus Regius egiſſet. Is liberè, & ingenuè rem omnem aperit. Quam Cæſar, cum ita ſe habere comperiſſet, vti Emmanuel Philibertus affirmabat, liberalem adoleſcentis animum, & conſtantiam, & in reſpondendo acumen ingenij laudauit: cumque eum antea maximè diligeret, magnus ad priſtinam in eum voluntatem beneuolentiæ cumulus acceſſit. Poſt eos dies excurrit Cæſar in Belgas, & Batauos: & ijs, quæ ad eos populos pertinebãt, paucis diebus conſtitutis, inde diſcedens, Spiram primò, deinde, cum Rhenum flumẽ tranſiſſet, per Sueuos Tonabertam, & Ingolſtadium, & Ratisbonam venit. Eo in oppido de ijs, qui Chriſtianam pietatem, religionemque violabant, concilium habuit, in quod Emmanuel Philibertus vocatus eſt. Eodem in oppido duas fratris filias in matrimonium duobus nobiliſſi-

Emmanuel Philibertus Briſaco reſpõdet.

Rem omnem Cæſari aperit.

biliſſimis, ac potentiſſimis viris collocauit: Norici, quæ Bauaria dicitur, Ducis filius Annam duxit: Maria Duci Sicambrorum, & Menapiorum, quos Cleuenſes, & Geldrenſes eſſe diximus, nupſit. Iam Germani propè omnes in armis erant, & fœderati populi maximas copias coēgerant, peditum octoginta millia, equitum amplius decem, & ænea tormenta magna centum triginta. Bellum maximum, difficile, valdeque formidoloſum impendebat. Quare Cæſar, ſecum reputans, quàm incerti, quàm varij, plerumque eſſent bellorum caſus, vti ſibi ipſe nihil metuens, ita de amicorum ſalute ſolicitus, litteras Carolo ſcribit Emmanuelis Philiberti patri, humanitatis, & officij plenas, quæ damna, quæ incommoda, quæ pericula bellum conſequantur, docet. Suadet, vt aliquam occaſionem quærat, qua filium reuocet, eumque apud ſe, quoad bellum illud confectum ſit, retineat. Ea clàm per amicos Emmanueli Philiberto indicata, tametſi animum eius magna afficiunt ſolicitudine; nihil tamen cum Cæſare conqueritur. Vultu curam tegit, ægritudinem animi probè diſſimulat: ſed omnibus modis conſilium eius anteueniendum putat. Spectatæ fidei, diligentiæque familiarem ſtatim ad ſe vocat: breues ei litteras ad Carolum patrem dat, mandat vt ad eum protinus aduolet: quid ei ſignificari velit, exponit. Is nihil ſibi reliqui ad ſummam celeritatem facit. Itaque, neque die, neque nocte intermiſſo itinere, cum priùs, ad Carolum perueniſſet, quàm ei Cæſaris litteræ redderentur: continuò de filij mandatis diligenter agit. Quibus cognitis, litteriſque Cæſaris paullò poſt acceptis, Carolus in eam ſententiam reſpondet. In primis, maximas ſe gratias agere, quòd ei ſalus filij tantæ curæ ſit: qui tamen, cum ad eum non caſu, ſed conſilio, ſummaque vtriuſque eorum voluntate profectus ſit; turpe videri, è ſententia, tam citò diſcedere, atq; ſuſcepti conſilij è veſtigio pœnitere. Quinetiā rem eiuſmodi eſſe, vt propemodum explicari non poſsit. ſi enim à filio petat, maximeq; contendat, vt è Germania diſcedens domum reuertatur; primùm ſe aduersùs animi ſententiam facere; quandoquidem ea proponat, quæ non probet. Deinde, quoniam

Litera Caſaris Duci Sabaudia.

Dux Sabaudia Caſaris literis reſpōdet.

optimè filij ingenium noſcat, credere eum, quo cum ſibi nulla prorſus antea fuerit diſcrepantia voluntatis, id vnum audacter, & liberè negaturum. Quòd ſi modeſtè agat, paternoque dicto audiens ſit, modeſtiam illam ingratam ſibi, atque inuiſam fore. Neque enim ſe illum tantopere diligere, quòd filius ſit; quàm quod virtute, atque animi magnitudine præditus eſſe videatur. Proinde ignoſci velle, ſi rem non aggrediatur, primùm ipſi non vtilem; deinde, quòd ad ſe & ad filium pertineat, alteri parùm honeſtam, alteri indecoram, vtrique verò grauem etiam, & moleſtiſsimam. Neque ſe bellicis periculis magnopere commoueri. Scire enim hominum vitam ſummi Dei arbitrio, vel produci longiùs, vel ocyùs amitti: incommodis autem, & laboribus à teneris aſſueuiſſe filium: quibus perferendis, iam eius ætatem, ſi qua alia, idoneam eſſe. Præterea fieri vix poſſe, quin bellum iuſtiſsimum, & Imperatorem inuictum, ſumma, feliciaq; omnia, ſubitus hoſtium terror, victoria, triumphi conſequantur. Non igitur æquum eſſe, vt pater animo, quàm par eſt, mollior, & imbecillior, filium, quem augeri, & ornari cupiat, fructu quodãmodo priuet illius gloriæ, cuius particeps futurus ſit, & militiæ diſciplinam, in quam ſumma animi alacritate profectus ſit, fortiter, & conſtanter colat. Poſtremò, ſatis ſibi eſſe, ſi omnes æqui, & iniqui intelligant, ſe Cæſarem ſequi: ſuaque omnia, ditiones quæcunque reliquæ ſint, & filium, & ſe ipſum, Cæſaris fortunæ, fideique permiſiſſe: atque in eius poteſtate ſemper fore. Lectis Caroli litteris, magnam Cæſar ex eius beneuolentia, & fide, & conſtantia voluptatem cœpit. Inciderunt hæ literæ in tempus, quo ſumma diligentia Cæſar omnia prouidebat, quæ neceſſaria videbantur ad id bellum tantiſper ducendum, ſuſtinendumuè; dum magnæ copiæ, quas in Germania conſcribi iuſſerat, atque ex Italia, & ex Belgis expectabat, conuenirent. Imperij ſummam eo bello Albæ Duci Ferdinando Toletano tradit. Præfectorum illorum, tribunorumque opera vtitur, quorum virtutem, fidemque, antea ſæpius erat expertus, Aliprandi Madrucij, Renſpurgij, Iacobi Medicei, Samburgi: Hiſpanos duces duos fortiſsimos, Alua-

Belli Germanici apparatus.

Emmanuel Philibertus agmini Cæſariana aulæ præficitur.

tum Sandeum è Pannonia, & Arzem è Gallia Ciſalpina, cum veteranis Hiſpanis, quibus præerant venire iubet. Erat item aulæ Cęſarianæ agmen non tàm magnum, quàm inſigne; cui ſuperioribus bellis præfuerat Maximilianus Ferdinandi Regis filius. nam imperium habebat in lectiſsimos viros, ſummæquè virtutis, Cæſaris familiares: atque præfecto ipſi, longiùs vmquam à Cæſare abeſſe non licebat. Agmini huic Cæſar Emmanuelem Philibertum præfecit. Hoſtes, qui ſciebant Cæſarem imparatum, propeque inermem eſſe, improuisò opprimi poſſe ſperantes, Auguſta Vindelicorum copias educunt. Partem earum Sertelo duce ad Cluſam occupandam mittunt. Eſt Cluſa munitiſsima arx, in faucibus vallis poſita: quæ, quoniam venientibus ex Italia, atque in Vindeliciam, quæ Bauaria dicitur (Bauariæ enim duæ ſunt, ſuperior & inferior) contendentibus vallis illius exitum claudit, Cluſa appellatur. Sertelus eam, nihil aduerſante ſed ſubitò dedente ſe præfecto, in poteſtatem redegit. Tentataque Oenipontis oppugnatione, inde repulſus, atque Auguſtam reuertens, confeſtim Tonabertam capit. eodem paullò poſt Ioannes Federicus, & Langrauius coniunctis ſimul omnibus copijs, cum toto belli apparatu proficiſcuntur. Raino Bauariæ Ducis oppido potiti, Neoburgum accedunt: idque poſitis ibi caſtris oppugnare conſtituunt. Oppidum id eiuſdem Ducis Bauariæ poſitum eſt in via, quæ à Ratisbona ad Oenipontem eſt. Ea via iter facere legiones oportebat; tùm Italorum, & Hiſpanorum, quas ex Italia, tùm Germanorum, quas ex Montenigrò, Renſpurgio duce, Cæſar expectabat. Qua re cognita veritus, ne ab ijs copijs excluſus Ratisbonæ obſideretur, eo in oppidò præſidium, quod ſatis viſum eſt, relinquit: cæteras copias educit, ac ſecundis caſtris Lã ſuetum perueniens caſtra extra oppidum ponit. Ibi cum eſſet, peruenit ad eum Octauius Farneſius ipſius gener, & Pauli III. Summi Pontif. nepos, cum legionibus, quas Pontifex auxilio mittebat. Erant autem Itali pedites amplius duodecim millibus, equites leuioris armaturæ ſexcenti: lecti omnes, optimeq; inſtructi: atque eodem propè tempore pedites, equiteſque, qui

Arx Cluſa amittitur.

Dux Saxo. & Langrauius copias coniungunt

Octauius Farneſ. cum auxilijs ad Cæſarem.

in ſuperiore Germania conſcripti fuerant, adducti ſunt. Ita aucto ſatis exercitu, cohortes illas etiam quas Ratisbonæ præſidio reliquerat, cum tormentis triginta ſex pleriſque muralibus, addit, atque celeriter cum omnibus copijs Ingolſtadium petit. Verebatur enim, ſi hoſtes prius illuc perueniſſent, oppidoque potiti eſſent, ne ſe à Florentio Lutiberorum Principe (is Buræ comes appellabatur) qui magnum equitum, peditumque numerum in Belgis coēgerat, aduentareque ferebatur, intercluderent. Vltra oppidum Ingolſtadium aduerſus hoſtes exercitum adduxit, & caſtris idoneum locum delegit. Nam ſiniſtrum eorum latus Danubio flumine; cænoſaque palude muniebatur: & quæ poſt caſtra erant, oppidum tuta reddebat, vt à tergo circumueniri non poſſet. Ad frontem verò, & ad dexteram aperti campi patebant: quibus partibus Ferdinandus Toletanus caſtra vallo, foſſaque diligenter muniri iubet. Quo die Cæſar Ingolſtadium venit, cum Sulmonenſium Principi, & Antonio Toletano pedites Hiſpanos ducētos, magnumque numerum equitum tribuiſſet, eoſque cognoſcendi cauſſa, quibus in locis eſſent hoſtes, quidve conſilij caperent, præmiſiſſet; leuibus prælijs bis certatum eſt. Quibus tametſi Cæſariani non inferiores fuerant, tamen eos in caſtra reuocari iuſsit, ac propter multitudinem hoſtium, magnamq; virtutis opinionem, ſeſe ijs continere, prælioque ſuperſedere ſtatuit, quòad ſe cum Florentio coniungeret. Hoſtes propiùs ad caſtra Cæſaris accedunt, & à millibus paſſuum circiter tribus munitiſsimo natura loco caſtra ponunt: quæ, vt fumo, atque ignibus ſignificabatur, in magnam latitudinem patebant. Dicitur, eo tempore glorians Langrauius apud ſuos affirmaſſe, ſe breui victorem fore: pollicitumque eſſe menſibus tribus proximis, omnino, vel Cæſarem viuum capturum, vel ex Germania pulſurum. Quæ ij facilè credebant, quòd tanto militū numero ſuperiores erant, quòdque à tam perito Imperatore nihil temerè confirmari videbatur. At Ferdinandus Toletanus, omnem operam dabat, vt, ſi quid in Caſtrorum munitionibus perfectum non erat, celeriter perficeretur; cum Cæſari nuntiatum eſt, hoſtes ante lu-

Cæſar ad Ingolſtadium caſtra ponit

Caſtrorum ſitus.

Langrauius gloriatur.

cem tormenta, & copias omnes eduxiſſe,atque acie inſtructa, ad caſtra contendere. aliquid enim prius ſibi conandum cenſebant,quàm omnes Cæſaris copiæ conuenirent. fuerat autem in eorum cōcilio diſputatum,præſtaret nè caſtra eius oppugnare, àn ita tormentis verberare,vt ea deſerere, indeque abire cogeretur. Sed vicerat poſterior ſententia: quoniam Cæſarianũ exercitum tormentorum vim,non laturum putabant: neq; dubitandum videbatur,ſi neceſſariò caſtra mouiſſet,quin agmine impeditus,pugnaque in itinere commiſſa,magnum detrimentum eſſet accepturus. Cognito hoſtium aduentu Cæſar, acies in caſtris inſtruit: peditum, equitumque agmina ordine collocat: quid fieri velit, iubet. Omnes in armis eſſe: iniuſſu ſuo neminem caſtris egredi imperat: ſe enim, cum tempus videatur, pugnæ ſignum daturum. Armatus in equum aſcenderat, circumibatque legiones: ac modò Italos, modò Hiſpanos, & Germanos hortabatur, vt parati ad pugnam eſſent, neque priſtinæ virtutis obliuiſcerentur. Erat eius conſilium caſtris tenere ſe,ſi hoſtes non progrederentur: quòd ſi propiùs accederēt, & caſtrorum oppugnationem tentarent, rem prælio committere ſtatuerat,& eruptione pugnare. Munitiones igitur caſtrorum,quæ pridie perfici non potuerant,aliquibus locis humiliores eſſe facilè patiebatur, & locis iiſdem foſſam æquari: vt per eas equitatus commodiùs egredi,atque,vbi vſus poſceret, fortiter impetum facere in hoſtes poſſet. At ij, cùm propè caſtra paſſus circiter ſexcentos peruenirent, conſiſtunt. Magna tormenta producunt: locis idoneis collocant: pilas ferreas magni ponderis,omni regione,horribili ſonitu latiſsimè perſonante, emittunt. Nàm illæ in maximas æneas fiſtulas cum ſulfureo puluere inditæ; vbi pulueri ignis admouetur, tanto impetu extruduntur, vt flammam,& ſtrepitum, & feriendi vim fulminis imitentur. Pilæ,quæ in vallum impellebantur, parum nocebant: quæ verò intra caſtra accidebant, quicquid obuium erat, homines, equos, arma, ſarcinas, tabernacula miſerrimè diſcerpebant,magnãq; ſtragem edebant. Vulnerati multi, multi interfecti; pauciores tamen,quàm pro earum multitudine.

Hoſtium conſilium.

Conſilium Cæſaris.

Hoſtes ad Caſtra Cæſaris.

Con-

Conſtat enim in Cæſariana caſtra eo die emiſſas fuiſſe muralibus tormentis pilas propè innumerabiles. Nonnullæ in Cæſaris agmen inciderunt. Alia militem prætorianum occidit: alia vexillum abſtulit: alia propè ipſum Cæſarem adeò concidit; vt, ſi reſilire eam contigiſſet, quod plerunq; fit, ſalus ipſius in ſummum diſcrimen adducta videretur. Ipſe nihil commotus, cum ab hac acie, ad illam adequitaſſet, ante agmen ſuum cum Emmanuele Philiberto conſtitit. Ac tanta fuit bellicæ diſciplinæ vis, tantaque militum virtus, vel ex animi fortitudine, vel ex eorum in Cæſarem amore, & obſeruantia, ſub cuius oculis hęc gerebantur, vt nemo ex acie excederet, nemo de loco, in quo ſtabat, demigraret. non proxima clade perterriti, non commune periculum miſerantes, neque proprium metuentes: ſub ſignis omnes auidiſſimè pręlij committendi ſignum expectabant. Ac ſanè, quoniam tormentorum, de quibus diximus, ſiue maiora, ſiue minora ſint, inuentum nouum eſt, & recens, paullò ſupra patrum noſtrorum memoriam: de artificio, & natura, & vſu eorum hoc loco tractandum cenſuimus: ne vel noua vocabula legentium animos permoueant, vel res nō adhuc ſatis dilucidè explicata, maiores eis tenebras offundat.

Pilæ ferreæ in caſtra Cæſ. emiſſæ.

Qui primus rem excogitauit, eius perficiendæ rationem hanc inſtituit. Carbonem ex virgis auellanæ, adiecto ſulfure, factitioque nitro, quod ex opacis, atque humidis parietibus, veluti lanugo enaſcitur, in pilas ahæneas inditum, pinſuit ad ſummam tenuitatem. hæc omnia ſimul aceto conſperſit: impoſitaq; corbulis, vbi ſubſterni voluit chartam, ne puluis periret, diſpandit in ſole: & vſque eò manu miſcuit, quoad petareſcerent. ita puluerem confecit, qui celerrimè ignem conciperet; eoq; celeriùs, quò puluis eſſet tenuior. Ad hæc ferream laminam pondo trigintaquinque, longitudinis pedum trium; & ſexcunciæ, latitudinis ab infimo digitorum ſex, ab ſummo quatuor, ita expediuit, vt craſſitudinis in imo digitum, ac ſemiſſem, in aduerſa parte, hoc eſt à vertice digitum haberet. Ex huiuſmodi porrò lamina, tanquam vectem (ſcapum vocemus licet) ad arborum ſimilitudinem; quarum truncus ad

Deſcriptio tormēti quod ſclopetum dicitur.

radicem amplificatur, cacumen verſus progrediēs attenuatur, hac ratione conformauit. Candefactæ laminæ ferream virgulam, paullò minus digitum craſſam inuoluit, laminamque circum virgulam egit, circumagendi, & inuoluendi initium è media lamina commodè petiuit & laminæ ora, alia aliam ſcandēs, plus præſtat ferruminationi tenacitatis, quàm ſi compoſita oræ ora coagmentetur. Laminam particulatim rotundauit, hunc in modum maximè. Et ea re, vt quamque illius partem recuruauit; ſic inde ictu mallei extruſit virgulam. Inuolutione, ac rotūdatione perfecta, ſcapus è lamina, fiſtulæ inſtar, peruius, atque inanis remanſit: quem deinceps ab alterutro capite facto initio, facilè pertērebrauit in longitudinem. craſsioris capitis foramini immiſit ferream cochleam; cuius caput, alioqui paullò latiùs, tamen imi ſcapi craſſitudini conueniret. capiti huic continuauit anguſtam, ac palmarem regulam, & ſub regula anſam ferream, duabus alijs maiorem, quæ duæ ad ſcapum ſeſquipedis interuallo inter eas relicto adglutinantur. Eximitur cochlea interdum detergendi gratia, quòd foramen fuligine, quæ tenacius adhæreſcit, continenti vſu circumcirca oblinitur: eadem rurſus iniecta, trium fermè digitorum ſoliditatē efficit. Dextrum ſcapi latus ita traiectum eſt, vt exiguum foramen, ad eiuſdem ſcapi inanitatem, quà finis eſt cochleæ, pertineat. ſub id foramen proximè ſcapus exciſus, leuiter deprimitur; in exciſione includitur cōchula: in cuius labro ſtabilis axiculus defixus eſt: in quo vertitur operculum cum manubrio, quod foras propellitur, & intro reducitur, vbi opus eſt operire concham, aut aperire. Supra foramen in ſcapo medio ferri laminam in rotundum flexam collocauit; per quam eminētem in ſummo ſcapo verruculam altero oculo ſpectant collimantes. Tunc è ligno aſcia perpolito loculamētum fecit, quod capſam ideò, quòd ſcapum iacentem capiat, ex vſu ipſo nominarunt. Exciditur autem in ligno longus canalis, quanta eſt ſcapi totius cum cochlea longitudo. Foramina item in canali fiunt, quæ anſis ferreis conueniant, tria tribus pari latitudine. Pertunditur etiam loculamentum tranſuerſa terebratione, quæ per

fora-

foramina in canali facta permeat: ſic loculamentum vnà,& anſæ per hæc tria foramina,quòd non magna ſunt, clauis ligneolis traijciuntur. Ijs repoſitus in canali ſcapus cohærere loculamento cogitur, tàm arctè, vt reuelli nequeat,ab altero alterum. Loculamenti quoque dorſo,qua parte dextra manu præhenditur, regula ferreis clauis traiecta adfigitur, eaque magis, magisque inter ſe colligantur. Terebratur porrò ſub canali loculamentum; vt in ea parte condatur virga, cuius pars ſumma induitur radula ferrea, ad abradendam fuliginem,cum in ſcapi foramine inſedit vberior, vt purum fiat. Sumpſit prętereà è ferro, ſiue virgulam, ſiue vecticulum, quem ad vnci ſimilitudinem retorſit. is ſupernè capite biſulco eſt, ac modicè diuaricato: infernè defixum habet axiculum, qui traiectus per ferreā regulam loculamento adfixam vnà cum virgula verſatur manubrio: quod, vbi dextra premitur ad loculamentum; inclinatur vnca virgula, & primore roſtro conchulam attingit: rurſus è manu cum dimittitur; retrò eadem recurua virgula confeſtim recellit. Quibus perfectis rebus,pulueris eius,quem docui, pondo tantum,in ſcapi foramen infundit,quantū pendet, qui eodem contruditur ex nigro plumbo globulus: vel eiuſdē treis ex quatuor partes: tum conchulam ſulfureo puluere,eoq; maximè tenui explet: funiculum item accenſum in virgulę diuiſum, & diuaricatum caput inſerit. Tum apprehenſo manubrio virgulam inclinat, ibi ſuppoſitus puluis,vt primùm accenſa reſti tangitur, exardeſcit. flamma illico fulget, quam per lateris tenue foramen inſinuatam,vbi ſcapo inditus puluis rapit, ingens fit ſonitus: effugit globulus,ab incluſo igne per vim foras extruſus: atque hic tanto impetu agitur; vt ſæpe vnum,interdum etiam alterum hominem, ex alio alium tranſuerberet. galeas uerò,& loricas,& ſcuta; niſi ſi qua nimio plus craſſa ſūt, nunquam non traijciat. Virgulam recuruam, cuius caput eſt bifidum, quod ſpeciem conuolutæ ſerpentis gerit,ſerpentinam vulgo vocarunt. totum verò tormentum à ſonitu primò ſclopetum, & qui eo armantur milites, ſclopetarios; poſtea etiam alijs nominibus appellarunt. Eadem ratione,vt eſt hominum *Deſcriptio Bombardæ.*

ſolers natura, rerumque omnium magiſter vſus, ære liquato, atque, vt in ſignis ſolet exemplari ex argilla, quod futuri operis inſtar eſt, circumfuſo, maiora tormenta conflata ſunt, eorumque nonnulla, tantæ magnitudinis, ac ponderis, vt ægre à viginti bobus trahi poſſint, quamuis ferratis aſſeribus incluſa ſint, ac rotis impoſita. In ea globi ferrei maximi ponderis inijciuntur. Qui autem puluerem inflammat, ad tormenti latus accedit, haſtæque longiori reſticulam accenſam illigans, propè aſſiſtit, quantum in longitudinem haſta porrigitur: ne vel à retruſi tormenti vi comminuatur, vel à ſubita flamma corripiatur. Tormenta hæc, vti diximus, proximè ad naturam fulminis accedunt. nam flamma tonitrum præcedit; & ſtrepitus ipſe horribilis eſt, & ingens, vt quamuis longè remotus ſit, ex planis tamen, atque apertis locis ſpatio paſſuum quadraginta, vel quinquaginta millium non impediatur quo minus exaudiri poſsit. Eodem propè puncto temporis pila emiſſa ferit, quo fulgor ignis conſpicitur: è veſtigio tonat. quæcunque obiecta fuerint, ſternit: neque ſolum quodque magnum, atque confertum armatorum agmen facilè diſsipat, eos miſerè diſcerpens, quos attigerit: ſed etiam mænia lateritia diruit; nam nullum iam extrui propugnaculum poteſt, tanta vel craſsitudine, vel firmitudine; quod, ſi aſsiduè hiſce maioribus tormentis quatiatur, eorum vim, atque impetum ferre diutius poſsit: concidat enim, & corruat tandem neceſſe eſt. Eis varia ab Italis nomina ſunt impoſita. nam ab ingenti ſonitu, quem emittunt igne correpta, Bombardas vocarunt. item pro magnitudine, vel paruitate, vel vi, vel feriendi celeritate, vel artificio, vel alijs cauſsis varia nomina indiderunt. Mali huius inuentrix fuit Germania. Ea prouincia ſolertium ingeniorum ferax toti orbi maximam quidem vtilitatem attulit, inuenta imprimendarum literarum arte (vt nonnulli exiſtimant) nam alij Belgis id tribuunt, alij Batauis: ſed prius eundem terrarum orbem longè maiore calamitate affecerat, cum annis ab hinc circiter ducentis Gregorij XI. Pōtif. Max. vel, vt alij malunt Vrbani VI. temporibus

Germania horum tormentorum inuentrix.

Quo tempore inuenta.

peſtem

peſtem hanc in humani generis perniciem fabricata eſt. Nam & in prælijs longè amplior cadere poteſt quam anteà mortaliũ numerus; & quod penè grauius eſt, ſublatum eſt inter gregarium militem,& Ducem, atque inter ignauum, & fortem virum, omne diſcrimen. Vterque enim ex eodem loci interuallo peti eminus poteſt; ac neuter altero ad ſuſtinendum ictum tegumentis ferreis eſt tutior. Vti verò quemquam vel timidiſſimum, nihil impedit ignauia, quominus cauens ipſe interim ſibi fortiſsimum quemque eminùs poſsit occidere: ſic nemini præſtantiſsimo virtus animi,ſeu robur virium prodeſt, quominus cadat imbellis hominis atque inertiſsimi militis manu. Quòd ſi quis quem deſtinauerit locum ferire velit (cuius rei ſcientia facillimè comparatur) eo ictu neque certiùs quicquam, neque ad exanimandum potentiùs: cum ab exiguo ſcopo, qui modò diſcerni oculis queat,nõ aberret,ne dum ab humano corpore, ſitque plerunq; vnici vulneris ſocia mors: ac prius te mori ſentias,quàm quis te petierit,vel omnino fuiſſe petitum intelligas. Cæſar poſt meridiem vt ſibi,& Emmanueli Philiberto,qui nũquam ab eius latere diſceſſerat afferretur cibus imperauit. cumque vterque, vti armatus erat in equo, tantum cepiſſet, quantum ad reficiendas vires ſatis erat; Emmanuelem Philibertum,vt Germanorum mos eſt poculis inuitauit: tum addidit,quem animum,quem ſenſum optimi viri patris tui futurũ fuiſſe putemus, ſi te vnicum gnatum in tanto vitæ diſcrimine verſantem conſpexiſſet? tum ille,ſi me pater (inquit) latus tuum tegẽtem,& in ijs officijs,quæ noſtræ in te pietatis propria ſunt,conſtanter manentem vidiſſet, aut videret: mihi crede, Cæſar, magnopere lætaretur. certè ego neque locũ hunc vlla conditione permutarem;neq; vſquam eſſe poſſem, quàm vbi ſum libentiùs. Grauiſsimus is dies Cæſarianis fuit: ſed hunc euentũ habuit; vt hoſtes ſub ſolis occaſum copias in caſtra reducerent, Cæſariani tandem in tabernacula ſeſe tutò recipere,& corpora curare poſſent. duobus item alijs diebus hoſtes eadem tormenta produxerunt; magnum pilarum numerum emiſerunt: Sed eo biduo, & acta res eſt paullò remiſsiùs

Ceſar Emmanuelem Phil. ad biben. inuitat.

quàm

quàm primo die; & caſtra Cæſariana vndique altiore vallo munita: vt in eis militi conſiſtere, & vagari per ea iam liberè atque ſine periculo liceret. At Cæſar interim munitiones ſuas ita produxit, vt ab hoſtium munitionibus, parum diſtarent. Ex eis ſæpe impetus in hoſtes factus eſt: & eorum commeatus equitatu interceptus: & leuibus prælijs creberrimè certatum. Quare die, noctéque fatigati hoſtes, nullo vnquam ad quietem dato ſpatio, ſpe fruſtrati; cum Cæſarem caſtra mouere, & diſcedere coactum iri ſperaſſent; priores ipſi caſtris egredi, & inde recedere coacti ſunt. Langrauius, ſilentio præmiſſis nocte impedimentis, cum omnibus copijs ſubſecutus ſecundis caſtris Neoburgum peruenit. Conatus eſt, quidem Rheni tranſitu Florentium prohibere, quem cum magno peditum; equitumq́ue numero aduentare cognouerat; ſed fruſtra ſuſceptus labor. nã Florentius omnibus copijs incolumibus equitum ſeptem, peditum circiter decem millibus, paucis diebus Ingolſtadium peruenit. Itaque Cæſar hoſtem continuò perſequi conſtituit; aucto præſertim, tantopere exercitu. Nam omnes copias ad Ingolſtadium recenſuit: repertuſq́ue eſt numerus equitũ nouẽ millium: pedites verò fuerunt, ad millia quinquaginta. Diſcedentibus hoſtibus, in itinere Cæſar eos ad pugnam elici poſſe ſperabat. Quare hoc modo copias ſuas diuiſit. Ferdinandum Toletanum primo agmini præfecit. Ipſe medium tenebat, & propè eum Emmanuel Philibertus, cui præter Cæſarianæ aulæ agmen, ducentos præterea alios equites tribuerat; & Maximilianus Ferdinandi Regis filius. nouiſſimum ducebant magnus magiſter Rutenus, & Albertus Marchio Brandeburgenſis, & Renſpurgius. Sed cum hoſtes rem prælio committere non auderent, confertoq́ue agmine progrederentur, vergente in occaſum ſole caſtra metabantur, ſeſeque ijs tenebant. Itaq; Cæſar nouiſsimo eorum agmini inſtare, illud laceſſere, carpere, morari. hoſtes ſub ſarcinis impeditos, vel in opere occupatos adoriri, ad caſtra nonnunquam accedere; numquam pati diutius eos conquieſcere, neque vſquam tutò commorari: vt, dum locum ſæpius mutant; vel aliquam dimicandi occaſionem nan-

Langrauius à Duce Sax diſiungitur.

Copia Cæſaris quanta.

Emmanuel: Philib. ducenti alij equites tributi.

ciſce-

diſcerctur, vel eos cõtinuis itinerum laboribus defatigaret. Semel ad Ingolſtadium caſtra mouere coacti ſunt: rurſus ad Tonabertam; tertiò ad Norlingam; poſtremò ad Guengam. Nam paullo poſt, cum eos res frumentaria, pecuniariaque deficeret (liberæ enim ciuitates iam exinanitæ lentius exercitui ſtipendia mittebant) diem ex die ducentes, dilabi plures milites, & præfecti, domumque redire cæperunt: atque ipſe Langrauius tandem à Ioanne Federico diſceſſit. Itaque vterque diuiſis viribus ad reſiſtendum infirmior factus, facilius oppreſſus eſt. Ex eo enim tempore multæ Germaniæ ciuitates, quæ à Cæſare defecerant, in deditionem ab eodem acceptæ ſunt. Federicus item comes Palatinus, vir ampliſſimo genere ortus, & Vdalricus Dux Vitembergenſis ad Cæſaris clementiam confugerunt: qui in fidem recepti ſunt,& conſeruari. Dum hæc in Germania geruntur; magni motus in Italia extiterunt. Neapoli enim graues tumultus excitati: dum Petrus Toletanus, qui Regno præerat, nouum in ea prouincia magiſtratum (is Inquiſitio appellatur) creari vult: quem vniuerſa ciuitas conſtantiſſimè recuſabat. Genuæ Ioannes Aloiſius Fliſcus Sinibaldi filius, vaſto, & immoderato animo nimis alta cupiens,opprimendæ Genuenſis Reipub. conſilium ceperat: ſed in ipſo conatus initio, graui, inopinatoque caſu ſubmerſus interijt. A coniuratis Placentinis Petrus Aloiſius Farneſius Parmenſium, & Placentinorum dux interfectus eſt, & occupata Placentia: Exciti paullo poſt Galli,qui ſe Cæſarianis,à quibus Parma oppugnabatur, opponerẽt. Vt Carolus Sabaudus aliquando vereretur, ne tot incendijs excitatis Emmanuel Philibertus filius,ſibi ex Germania reuocãdus eſſet: cuius virtute ditiones ſuas,ab omni improuiſo impetu tueretur. Sed magnorum initia motuum, qui ſolicitos Italos Principes habebant, eorum opinione celeriorem, ac faciliorem exitum habuerunt. Cæſar,qui Alcimenij (Vlma dicitur) non leui morbo tentatus, aliquandiu ſubſtiterat: quique Florentium cum ijs,quas adduxerat copijs, in Belgas redire iuſſerat,atque ex itinere Vſipetum vrbem Franfordiam in poteſtatem redigere;

Liberæ Ciuitates Cæſari ſe dedunt.

Item Comes Palatinus & Dux Vitemberg.

Tumultus magni in Italia.

Cæſar Ducem Saxo. perſequitur.

Cum res Italas, ſublato omni motu, in ſtatum commodiorem perueniſſe cognouiſſet: ubi primùm per ualetudinem potuit, aduerſus Ioannem Federicum profectus eſt. Is Alberti Marchionis Brandeburgenſis exercitum fuderat, ipſumque ceperat. Saxones eos, quibus non imperabat, omnes ad amicitiam adiunxerat; Marcomannos, qui Boemi ſunt, donis pollicitationibuſque, omnique alia, qua potuerat, ratione ad defectionem ſollicitarat. Cum autem Cæſarem aduentare cognouiſſet; equitum tria millia, peditum ueteranorum ſex millia colligit: nam cum reliquis copijs Tumeshiernes præfectus eius nō longè aberat. Maiſenam Mauritij ducis oppidum, quod paulò ante occuparat, contendit: caſtra munitionibus firmat: pontem in Albi flumine, quod ortum in Boemia Saxoniam aluit, reſcindit: neque multum ibi moratus caſtra mouet, & Milburgum contendit. Qua re cognita Cæſar, ad quem Ferdinandus Rex frater, & Maximilianus fratris filius cum magna peditum, & equitum manu uenerant, omnibus conſilijs anteuertendū putat, ut manum prius cum Ioanne Federico conſerat, quàm is cum Tumeshierne ſe cōiungat, uel Vitembergā, Gotamuè, aut Sonebaltum, aut Eldrunum oppida munitiſſima, atque ad ducendum bellum aptiſſima perueniat. Itaque celeritati maximè ſtudet; atque ad Albim flumen peruenit; hoſtes in aduerſa ripa diſpoſitos, ut copias Cæſarianas tranſitu prohibeāt, tormentis ſubmouet. magnæ latitudinis, & altitudinis, & rapiditatis amni cum peditatum obijciendum non putaret (neque enim confidebat ſupra, atque infra, in flumine diſpoſito equitatu uim eius ſatis reſtringi poſſe) naues, quibus iunctis pontem efficiat, undique conquiri iubet. Albis ijs locis uado tranſiri nō ſolebat; ſed eo per equites inuento, ſatis pro rei neceſſitate opportuno, cum prætereà agricola iuuenis quidam Cæſarē adijſſet, ſeque tranſitus eius ducem forè profeſſus eſſet, equitatus omnis incolumis flumen traiecit: equitum genua ſuperante aqua, & maioribus equis uix ſummo pectore ex ea extantibus, minoribus uerò, alueo profundiore natantibus. Tranſierunt primi Pannonici equites, & cataphracti Neapolitani, & leuio-

Albim flumē vado tranſit.

ris armaturæ Sulmonenſium Principis: quorum unuſquiſque peditem in equum tollere iuſſus eſt, traiecit poſtea Cæſar, cũ reliquis equitibus,& eodem tempore Rex Ferdinandus,& Maximilianus,& Emmanuel Philibertus, cui Cæſar eo die grãdiorem equum adduci iuſsit, donauitque. Hoſtes primo aſpectu perturbati, celeriter è conſpectu Cæſarianorum diſceſſerunt: ad quos inſequendos, itinere impeditos, & perterritos moram nullam intulit Cæſar. præmiſſi equites, nouiſſimumq; agmen conſecuti demorari illud, & carpere cœperunt, interimq; nauibus effecto ponte pedites traducti ſunt. Conati hoſtes propinquum nemus magnum, impeditumque occupare, cum Cæſarianos acie inſtructa progredi, iamque adeſſe conſpicerẽt, neceſſariò conſiſtunt, atque aciem inſtruunt. Vbi verò Cæſar ſuo agmine primi agminis frontem æquauit; quamuis adhuc pedites non aduenilſent, ſignum prælij committendi dedit. Cæſariani acriter in hoſtes impetum fecerunt: qui vim eorum diutius non ferentes, ſed terga vertentes, fuſi, cæſique ſunt. vix quadringenti ſuperfuerunt: reliqui partim capti, partim interfecti. Capti item Ioannes Federicus Saxonum, & Herneſtus Branſuicienſium Dux, atq; ad Cæſarem adducti. Ioannes Federici filius equo excuſſus, manuque, & capite ſaucius, aliũ equum nactus, ſalutem ſibi fuga quæſiuit, atque Vitembergam ſe recepit. Hac audita pugna, Langrauius rebus ſuis diffidens, grauique metu perculſus, vt à Cęſare in deditionem recipiatur, per amicos impetrat. reliquæ item liberæ Germaniæ ciuitates, quæ nondum ad officium redierant; ſe, ſuaque omnia eius poteſtati permittunt. Itaque niſi hoſce fœderatos principes, populoſque Cæſar in fidem clementer accepiſſet,& conſeruaſſet; culpam æqualis ſecuta fuiſſet pœna. Nam plerumque malè cœpta, malè deſinunt. & iniuſtitiæ comes, malus euentus, temeritatiſque ſocia ſolet eſſe calamitas. Eo bello Emmanuel Philibertus multa præclarè geſſit; dum modò facilè regitur, modò modeſtè regit: ſemper autem labores alacriter ſuſcipit: pericula non formidat: nonnulla etiam ſupra ætatem conſilio prouidet. Cum igitur Cæſar, in cuius conſpectu ge-

Exercitum Duci Saxon. fundit.

Duces Saxon. & Brunſuicenſ. capiuntur.

Langrauius ſeſe Cæſari dedit.

Clementia Cæſaris.

Quàm præclarè Emmanuel Philibertus.

ſta fuerant omnia, animaduertiſſet, neque ex conſultatione in eo timiditatem ortam, neque ex fortitudine temeritatem: adoleſcentem ad bellicam virtutem natum, atque aptum eſſe iudicabat: factoque ſuo lætabatur, quòd ipſum non tàm parere, quàm imperare; quòdque ante præfectum, quàm militem eſſe voluiſſet. Germanico bello confecto, totius ferè Europæ reges, & Principes legatos ad Cæſarem gratulatum miſerunt; alius alia de cauſſa: hic beneuolentia, & ſtudio, ille potentiæ metu: omnes tamen humaniter, & amanter accepti, læti redierunt: nam amici certi maximum in Cæſaris viribus ſe habere præſidium intelligebant: dubij, nihil amplius ſibi metuendum putabant, cum Cæſarem haud quaquam abuti potentia, neque bellà pro libidine, ſed pro iuſtitia, neceſſitateque ſuſcipere comperiſſent. Cæſar copias dimiſit. dimiſerat etiam paullo antè Ferdinandum regem, à quo poſtea ſedato omni inteſtino bello, tota Boemia facilè pacata eſt. ipſe ſuperatis hoſtibus, ſublatoque Germanico bello, in Belgas profectus eſt. Cum autem Bruxellis hyemandi cauſſa conſediſſet; rebus externis conſtitutis, ad domeſticas animum, cogitationemque conuertit. Philippum filium ad ſe ex Hiſpania euocat: eodemque tempore Maximilianum fratris filium illuc celeriter mittit: vt primo quoque tẽpore Mariam Philippi ſororem in matrimonium ducat: regnis Hiſpaniarum præſit: & quamdiu Philippus abſuerit, ab eis ne diſcedat. Quare Andreas Auria à Cæſare toti officio maritimo præpoſitus, Hiſpaniæ, Neapolis, & Siciliæ triremes, ſuis triremibus addidit, & magnam claſſem inſtruxit, diligentiſſimeque ornauit; qua Maximilianum Genua in Hiſpaniam, & Philippum ex Hiſpania Genuam deportauit. Cum longa, interdumque aduerſa nauigatione feſſus eò peruenire quamprimùm cuperet; atque hac de cauſa Villæfrancæ portum non attingeret, & Niceæ littora prætereueheretur; Carolus Sabaudus primarium aulæ ſuæ virum celocem expedire, atque ad ſalutandum Philippum confeſtim proficiſci iuſſit. addidit item ſcaphas duas, quas multis muneribus onerauit; lectiſſimi panis copia, vino multarum regionum generoſo, optimoque, dulcia-

Principes Cæſari gratulātur.

Cæſar Philippum filiũ ex Hiſpa. euocat.

Philippus claſſe ex Hiſpania, Genuam,

Munera à Duce Sabaud. accipit.

rijs,

rijs, quadrupedum, auiumque magno numero: tum cicurum, quæ domi aluntur, quæque affatim habentur in armentis, ac gregibus; tum ferarum, quæ aucupio, venationeque capiuntur; oleribus virentibus multi generis, quæ toto illo tractu ſub bruma non ſolum non areſcunt; ſed etiam magnam eorum copiam ſoli vbertas, & cæli temperies hyeme ſuppeditat. Mura igitur illa, quamuis Philippi merito, & Caroli voluntate leuiora, gratiſſima tamen fuerunt: quibus, quoniam nauigantes plerunque carere ſolent; ea tantò cupidiùs expetunt. Sed fecit eorum auctor, vt eſſent multo gratiora; cuius eximius in Philippum animus, iam eidem perſpectiſsimus erat. Vbi Genuæ fineis attigit, viros primarios ciuitatis, à Senatu Genuenſi miſſos obuios habuit: peruenienti autem Genuam, atque è naui egredienti præſtò fuit Senatus frequens, & Reipublicæ Princeps, quem Ducem appellant. Ipſe ab Andrea Auria magnorum Principum, regumque, atque ipſius Cæſaris veteri hoſpitio acceptus, dies quindecim Genuæ commoratus, & ex incommodis diuturnæ nauigationis recreatus, vrbis illius ſitu, pulchritudineque, littoris amænitate, aëris ſalubritate, & Reipublicę totius obſequio delectatus eſt. Genua diſcedens media hyeme ob frigorum vim, & viarum aſperitates, itineribus haud magnis Mediolanum venit: vbi à Ferdinando Gonſaga, qui Galliæ Ciſalpinæ cum Imperio prę̨erat, nihil prætermiſſum eſt, quod ad celebrandum magna pompa, ſummoque ſplendore eius aduentum pertinere videretur. Adiuuit autem plurimum Ferdinandi diligentiam cum regio illa opulentiſsima, copiaque rerum omnium affluens, tum ciuium Mediolanenſium fauor, & ſtudium, atque populi totius mirifica in Philippum voluntas. Cognito eius aduentu, paucis antè diebus venerat eódem Carolus Sabaudus: qui cum tota ciuitas Philippo occurreret, omneſque ordines ſeſe ad eum effunderent, obuiam ei proceſsit; & ab eo humaniſsimè acceptus, ſummoq; honore affectus eſt. Nam medius inter Chriſtophorum Madrucium Cardinalem, & Carolum Sabaudum præcedente longiſsimo armatorum, togatorumq; ordine, vrbem illam in-

Hoſpitio ab Andrea Auria accipitur.

Mediolanum venit.

greſſus

Ducem Sabaudiæ inuiſit. humaniter alloquitur.

greſſus eſt. Poſtridie eius diei Philippus ad inuiſendum Carolum pedibus laborantem venit. Quæ ab eo dicta ſunt, huc pertinebant; vt maximè dolere ſe eius incommodis quæ bella inuexiſſent, oſtenderet: cupere verò, ſperareque, aliquam breui iniri poſſe rationem, qua non dignitatem reciperet, quam nunquam amiſiſſet; ſed in priſtinum ſtatum reſtitutus, omnes etiã iacturas, damnaque facilè reſarciret. Ad ea Carolus; quod ſæpe accepiſſet, ægritudinem nullam tantam eſſe, quæ leuari aliqua ratione non poſſet, id ſibi vſu venire. Nam aſpectu eius iucundiſſimo, humaniſſimiſque verbis, ſe mirum in modum recreari; atque, ex ſuperioris temporis caligine, tenebriſq; tandem lucem reſpicere. Quoties enim oculos in eum conijceret, hilaritatemque, & grauitatem, & maieſtatem aſpiceret, videri ſibi videre orientem ſolem, qui iam illuſtraturus eſſet terrarum orbem. Quòd autem ad ſtatum rerum ſuarum pertineret, caſus ſuos aduerſos moleſtos quidem eſſe, cauſſam tamen eorum gratam. Neque enim ſe ſui conſilij pœnitere: quin potius, ſe nullum poſthac etiam pro Cæſaris dignitate, commodoque periculum recuſaturum. Neminem verò alium teſtem malle, quàm Cæſarem voluntatis ſuæ; cuius etiam quaſi prædem miſerit iam ad ipſum Cæſarem, Emmanuelem Philibertum filium: vnicum filium, vnicumque ſenectutis ſuæ præſidiũ, & curarum omnium ſolatium. Cuius tamen abſentis deſiderium æquo animo laturus ſit, modò ille Cæſari, & ipſi, quam debet, cæpitque, egregiam operam nauet. Quibus verbis Philippo propemodum lachrymas excuſsit: dum mitiſsimi clemẽtiſsimique ingenij adoleſcens ſecum reputat, & ampliſsimum viri illius genus, & priſtinam dignitatem, & præſentem fortunam, & prouectam ætatem, & inſignem amorem, ſummamque in ſe, & in Cæſarem pietatem. hæcque inter ſe comparans, non ſatis diſcernit, quid maiorem vim habeat ad permouendum animum ſuum: ſed omnibus eodem tempore maximè permouetur. Principes omnes, & Itali, & Germani, per quorum fines in Belgas proficiſcens iter Philippus fecit, mirabili lætitia, maximiſque honoribus eum exceperunt: æmuli al-

Quæ Dux Sabaud. reſpondit.

Italorum Principũ ſtudia in Philippum qui in Belgas ad Cæſarem.

tet alterius : atque id agentes, vt alius alium officijs in Philippum, & animi ſignificatione ſuperaret. Sed in æmulatione cõcorde : dum communi conſenſu fatentur ſtudijs ſuis merita illius non equari, ac, qui eum pro merito colere contenderet, ſe id conati, quod aſſequi non poſſet. Non longe aberat Philippus à Namurio inſigni Belgarum vrbe : quæ ad confluentem Sabis, ac Moſæ poſita eſt, cum ei Emmanuel Philibertus occurrit. Nam diſceſſerat Bruxellis eodem die, iterque haud longum, magno eum ſequente Principum numero, inſigniumq; virorum, qui tum apud Cæſarem erant, mutatis equis celerrimè confecerat Vbi alter in alterius conſpectum venit; vterque ex equo deſcendit. Prior Emmanuel Philibertus honoris cauſſa, debiti ſanè Cæſaris filio; poſtea Philippus, ne ſe officijs, & humanitate ſuperari pateretur; qui Emmanuelem Philibertũ amantiſſimè complexus eſt. Poſtquam per eum ſinguli, qui cũ ipſo aduenerant, Philippum adierunt, & ei manum oſculati ſunt : conſcenſis equis, quod viæ reliquum erat, amantiſsimis, iucundiſsimiſque colloquijs conficientes: Namurcium ſolis occaſu peruenerunt. Diligebat Philippus Emmanuelem Philibertum, antequàm noſſet, vidiſſetue: non ſolum ob affinitatem; ſed etiam ob famam, & virtutis opinionem: ſed cum primum adoleſcentem aſpexit; æqualem (nam haud multis menſibus illum præcurrebat) oris dignitate, totiuſque corporis optima conſtitutione præſtantem, optimis moribus ornatum, bellicæ gloriæ cupiditate inflammatum, amare vehementer cœpit, atque in dies magis. Cænabant apud Comitem Maſfeltium ampliſsimum virum regionis illius præfectũ, Chriſtophorus Madrucius Cardinalis, Ferdinãdus Toletanus Albæ Dux, plureſque præterea viri primatij; cumque item ad illas epulas Emmanuel Philibertus inuitatus eſſet: vt eius præſentia conuiuio ſanè nobiliſsimo ſplendor adderetur, Philippus eum excuſauit, atque apud ſe retinuit. Horis circiter tribus ſuauiſsimo ſermone conſumptis, cum ipſe modicum cibum ea nocte valetudinis cauſſa afferri ſibi iuſsiſſet, ad priuatam menſam ſe retulit: Emmanuelem Philibertum in conclaue ornatiſsimum

Emmanuel Philibertus Philippo occurrit.

Humaniſsimè accipitur

prodire

prodire voluit, in quo ſplendore maximo inſtructa erant oĩa. Pro foribus armati milites cuſtodiæ cauſſa: pretioſis auleis con tecti parietes: vaſa argentea, aureaque copioſa miro artificio cælata: menſa conquiſitiſsimis epulis exſtructa: ſolium regiũ: & ſuper illud ſuſpenſum altè uelum aureum è laqueari pendens: totus denique apparatus, & ornatus regalis, nimirum, quo Phillippus uſurus erat, ſi publicè cænaſſet. Solus Emmanuel Philibertus accubuit: ad menſam conſiſtentibus, miniſtrantibuſque ijſdem Philippi familiaribus: atque in primis Gutere Lope Padilia, familiæ præfecto, & Didaco Cordubenſi à poculis Philippi. Cum autem aperto capite omnes aſsiſterent, & Emmanuel Philibertus, qua erat humanitate, modeſtiaq; tantam eorum demiſsionem non ferens ſuaderet, ut ope rirent caput: negarunt licere. Audiſſe enim Philippum affirmantem, tanti à ſe fieri Emmanuelem Philibertum, ut eum ſe putaret alterum: mandantemque nominatim, ut honorem, et cultum, quem ipſi tribuere ſolebant, nihil detrahentes, immutanteſuè eundem Emmanueli Philiberto tribuerent. Vbi cænauit Philippus, aditus facilè patuit: atque in primis Emmanueli Philiberto, qui ad eum ſalutandi cauſſa uenit, poſtridie prima luce diſceſſurus. Nam Maria Pannoniæ Regina Philippi amita, quæ tum Belgas regebat, militares ludos appararat, quibus prælij ſpeciem Philippi oculis obijceret. Pedites, equiteſque coëgerat: leuioris armaturæ, cataphractoſque: & maiora tormenta aduehi iuſſerat. copias autem diuiſerat in partes duas, ut exercitus duo hoſtiles eſſe uiderentur alteri Ryum Sequanum, magnę nobilitatis, & uirtutis hominem præfecerat, alteri, ut Emmanuel Philibertus præeſſet, impetrarat. Ipſe igitur, ut ea curaret, quæ ad futuræ pugnæ ſimulachrum pertinebant, Philippo non expectato, expeditus anteceſsit. Biduo poſt, cum Philippus ad eum locum, qui Campus Arenoſus appellatur, perueniſſet, quique in uia poſitus eſt, atque à Bruxellis paſſuum millibus circiter duobus diſtat, utrumq; exer citum inſtructuum offendit. Ac primò leui pugna rem geri placuit: dum utrimque leuis armaturæ equites, iiſque pedi-

Pugna ſimulachrũ in itinere.

Emmanuel Philibertus partis alterius Dux.

tes

tes admixti, modò in aduerſos impetum faciunt, modò ſenſim cedentes, illis acriter in ſequentibus, ad ſuos ſe recipiunt. Deinde aucta pugna, magiſque, ac magis accenſa, pluribus in aciem eductis, atque aucto hinc, & illinc pugnantium numero; poſtremò ſignum prælij datum, & omnibus copijs dimicatum eſt. Emmanuel Philibertus nulli loco defuit. Nã & aciem inſtruxit, & magna tormenta, quamuis in ea immiſſis fœni globis ſtrepitus tantummodo excitandus eſſet; perinde tamen, ac ſi feriendi hoſtes eſſent locis idoneis collocauit, & exercitum militari more ad pugnam cohortatus eſt; &, cum armatus in equo legiones circumiſſet, locum paullò editiorem nactus, ibi conſtitit: vt quid in quaque parte fieret, cognoſceret. inde ſubſidia laborantibus ſuis ſubmittebat: ac, ſi quando acrius premerentur, laxari manipulos tantiſper iubebat, dum feſsi reciperentur, integrique ſuccederent. Ij rurſus conglobati, conſertique obſtantes ſubmouebant, atq; fortiter in eos impetum faciebant. cum autem dextrum cornu parumper cedere, perturbarique animaduertiſſet; veritus, nè pelleretur, atque in fugam verteretur, illuc accurrit: & ad pedes deſiliens, in primam aciem procedit, nominatim centuriones appellat, reliquos milites hortatur, prælium reſtituit. diu, acriterque, vtrinque pugnatum eſt, atque incerto etiamnum exitu victoriæ, cum vterque imperator, inclinante ſe iam ſole, receptui cani iuſsiſſet, diremptum eſt prelium. Sequanus, & milites eius omnes candido veſtitu vſi ſunt. at Emmanuel Philibertus, & ij, quibus ipſe præerat, viridi; cuiuſmodi etiam vexilla, ſigna, ſaga, clamides, ephippia. ille, vt fidem quam Cæſari, Philippoque debebat, indicaret; hic, vt ſpem fortunæ melioris oſtenderet. Emmanuel Philibertus paullò poſt pugnam detractis armis, & ſudore deterſo, atque eleganti, ornatoque veſtitu indutus, ad Philippum venit, qui fortè de ipſo loquebatur: cumq; ſingula diligenter animaduertiſſet, quæ ſub eius oculis geſta, magna cum voluptate affecerant, rei militaris ſcientiam in iuuene, ijs, qui aderant, aſſentientibus, mirificè laudabat. Itaque illum amantiſsimè accepit, dixitque, meritò tu quidem viridi illo *Emmanuel Philibertus à Philippo laudatur.*

colore erexiſſe te animum ad magnam ſpem oſtendiſti, nihil enim erit, meo iudicio, tam arduum, quod virtute tua conſequi non poſsis, cuius tantum hodie ſpecimen dediſti. tum ille quis magna ſperare non audeat, adiuuante Cæſare: te fauente? quæ vero mihi tribuis, non agnoſco: quin potius pudet me tamdiu apud Cæſarem fuiſſe, clariſsimum omnium Imperatorem, ac ſemper inuictum; & ex illo vberrimo omnis bellicæ diſciplinæ fonte, quo ſitim explere affatim poteram, tam parum hauſiſſe. Ex modeſtia gratiam collegit, maioremq; præſentium beneuolentiam ſibi conciliauit: cumque gloriæ ſplendorem tegere cuperet, is latiùs effulſit. Breue itineris ſpatium quod inter campum Arenoſum, vbi pugnatum fuerat, & Bruxellas intercedebat, leniter, ſenſimque confectum eſt. Sub occaſum ſolis magna multitudine obuiam Philippo prodeunte, magna pompa præcedente, tegenteque latus eius dextrum eodem Cardinale Madrucio, læuum Emmanuele Philiberto, Bruxellas peruentum eſt. Ad oppidi portam exceptus eſt Philippus à Reginis duabus, ſororibus Cæſaris Maria, & Eleonora: atque ad Cæſarem, qui eum auidiſſimè expectabat, perductus. Philippus tamdiu apud patrem fuit: quamdiu Belgarum regionem ambo peragrarunt. Nam ab omnibus eius prouinciæ populis & acceptus, & ſalutatus eſt Princeps, & Cæſaris filius, & eius legitimus ſucceſſor. Iuratum verò etiam à ſingulis ordinibus, ſe ſemper ei fideles, & beneuolos fore, nunquam nõ in officio manſuros, eiuſque dignitatem, ſalutem, fortunas, ſuo periculo defenſuros: eoque loco illum ſemper habituros, quo Cæſarem habuiſſent. Quibus confectis rebus, Cæſar cum filio Auguſtam Vindelicorum venit. neque multò poſt, cum animum ad conſtituendas Imperij res conuertiſſet; Philippum in Hiſpaniam remittendum, & ex Hiſpania Maximilianum fratris filium reuocandum putauit. Ea re cognita, Emmanuel Philibertus, à Cæſare ſummis precibus contendit; vt ſe cum Philippo in Hiſpaniam ire pateretur. Neque negauit Cæſar, quod placebat: neq; tribuit, quod ex alieno pendere arbitrio videbatur: ſed reſpondit, placere, vt in Italiam cum Philippo

Emmanuelis Philiberti modeſtia.

Philippus Bruxellas peruenit.

Cum Cæſare Belgarum regionē percurrit.

In Hiſpaniā redit.

Emmanuel Philib. cum Philippo in Italiam.

profi-

proficiſceretur; ibique, quid prudentiſſimus vir pater eius probaret, exquireret, atque conſilio, & voluntati ipſius obſequeretur. Itaque Philippum Emmanuel Philibertus Mediolanum vſque proſecutus eſt, atque inde ad patrem Vercellas excurrit. Pater filium, qui diu abfuerat, ætate, oris ſpecie, totius corporis forma, atque virtutibus auctum, amantiſsimè complexus eſt: cumque primis diebus, quid cuperet, facilè odoratus eſſet, rogari non eſt paſſus: paternaque pietas filij preces anteuenit. quare permiſit, vt arbitratu ſuo, in Hiſpaniam proficiſceretur. Erant quidem non pauci, ijque prudentes, & amantes viri, qui cenſerent adoleſcentis animum ab itinèris illius cupiditate reuocandum; patremque melius ſibi, ſuiſque rebus conſulturũ affirmarent, ſi illum apud ſe retineret. Quid enim eſſe cauſſę, quare is longi, maritimique itineris periculo ſe committeret? quid ſi pater ſenio confectus, imbecilla valetudine, crebriſq; morbis tentatus, dum ille abeſt, è vita decedat? quid ſi eodem tempore Gallus non quieſcat, rurſusque in Italia renouetur bellum? quę tametſi non leuia eſſe videbantur, quoniam tamen filius ſe ſe viæ illius comitem fore Philippo ſponte promiſerat: in ſententia permanſit: ne vel ipſe ſuſpicioſus, vel filius leuis fuiſſe videretur. Itaque cum Emmanuel Philibertus Genuam petijſſet, quò iam Philippus peruenerat, paucis poſt diebus conſcenſis triremibus, eos Andreas Auria claſſis Cæſarianæ præfectus ſecunda, neque diuturna nauigatione Barchinone incolumes expoſuit. Eò cum veniſſet Philippus, atque eius reditu feſti dies ab oppidanis ſumma lætitia celebrarentur, vt Emmanuelis Philiberti aduentu exhilaratam eſſe ciuitatem oſtenderet, ludos fieri iuſsit, quos incolæ panda appellant: peregrinum forte vocabulum nempe Græcum vſurpantes *παντα*, vt ad omnes pertinere ſignificent. Nam & eò magna finitimorum multitudo confluit, & lumina nocte ſingulis feneſtris accenduntur, qua quidem re è mari venientibus iucundiſsimum ſpectaculum præbetur; & omnibus oppidi compitis, triuijs, vicíſque ad lyræ, tibiæuè, vel alios ſonos choreæ ducuntur. Longum iter Philippo ſupererat Barchinone in intimam

Vercellas ad patrē venit.

Impetrat profectionem in Hiſpaniam nonullis improbantib.

Hiſpaniam, quod pedibus conficiendum eſt. Itaque nonnullis ibi conſumptis diebus, cum diſceſſurus eſſet, ſæpe ſecum ſtatuit, non permittere, vt Emmanuel Philibertus longiùs progrederetur. Sed ad affinitatem, & morum, & ingeniorum ſimilitudinem, quam eis ſors tribuerat, iam vſus quotidianus, & familiaritas acceſſerat; vt alter ab altero, non facilè ſeiungi poſſe videretur. Philippum, enim ferunt, ijs diebus ſecum aliquando conqueſtum, in conſuetudine, qua nihil ſit, in amicitia iucundius, id ineſſe mali, quòd digreſſus ferri facilè non poſſit. Itaque illo neque aſſentiente, neque admodum repugnante, Cæſaream Auguſtam vſque Emmanuel Philibertus proſecutus eſt. volentem præterea totum iter vnà conficere, Philippus prohibuit: quòd æquum non cenſeret, cum tam longè à parente, atque à ſuis abeſſe. Additum tantummodo eſt breue temporis ſpatium ad confirmandum vtriuſque animum. Nam, vbi ad primùm oppidum peruenerunt; quod inde abeſt paſſuum millia circiter viginti, inuitus inuitum dimiſit; feruntq́; in diſceſſu neutrum lachrymas tenere potuiſſe. Emmanuel Philibertus Barchinonem rediit, quo tempore Maximilianus cum vxore paullò poſt venturus erat. Abeſt Barchinone biduí iter mons, in immenſum editus, quem Serratum appellant, incultus, ſterilis, ſaxis præacutis, & ingentibus aſperrimus, præruptus, & præceps: paucis, perangustiſque aditibus, horridus totus. In eo monte templum eſt matri, & virgini Mariæ dicatum, toto terrarum orbe religione, ſanctitateque celeberrimum. Sunt etiam complures in monte illo humiles caſæ, quas homines inſigni pietate vrbibus prætulerunt; bonaque fortunæ omnia contemnentes, atque à delicijs refugientes, duriorem vitam ſibi ſponte propoſuerunt, quò peccatorum ſordes eluerent, erratorumque veniam impetrarent. Loca illa omnia Emmanuel Philibertus pedes adijt, ibique triduum conſumpſit: quò ex frequentia in ſolitudinem ſe recipiens, nihil quod ad placandum diuinum numen pertineret, omiſit. Expiatus erratis omnibus à ſacerdote, longis precibus inediam, lachrymas, & in egentes beneficentiam addidit: cæ-

Philippum vſque Cæſaream Auguſtam proſequitur.

Emmanuel Phil. ad Mõtem ſerratũ.

Ibi Chriſtiana pietate ſe exercet.

leſtique cibo refectis animæ viribus Barchinonem rediit. Ibi cum eſſet, & Maximilianum Regem, Mariamque eius coniugem expectaret; ex maximo periculo diſcrimineque, in quod improuiſus inciderat, ſe prudenter, & fortiter eripuit: ſibiq; ipſe, atque alijs ſaluti fuit. E vita exceſſerat iam antea Franciſcus primus Valeſius Galliarum Rex, virtutibus planè regijs, magno animo, celſoque, liberalis, prudens, pace, belloq; clariſſimus. Is plura cum Carolo V. Cæſare bella geſſit: vel, quòd ei iuſta viderentur; vel quòd infirmos aduerſarios deſpicere, cum hoſte potentiſſimo certare glorioſum putaret. Sed in ijs bellis nonnunquam fortis potiùs, quàm fortunatus. nã apud Ticinum aduerſo facto prælio captus eſt. niſi fortuna tunc etiã ei fauiſſe videatur, quoniam, quo tempore vincendus erat, à Cæſare victus eſt. Moriens Rex fertur, Henricum filium natu maximum ad ſe vocatum monuiſſe, vt potius quiduis, quàm de ſuſcipiendo aduerſus Cæſarem bello cogitaret. Difficillima enim fore omnia: & ſe quidem ſatis, ſuperque expertũ, quàm magnum opus, & arduum eſſet armis cum Cęſare contendere. Itaque Henricus, qui mortuo patre Galliarum Regnum obtinuerat, iam quintum annum quieſcebat. Paternis nè vt monitis conſilijſque pareret, an vt opibus collectis vndique per otiũ, maioribus viribus ad arma deſcenderet, incertum. ſed confugiente ad eum Octauio Farneſio, eiuſque opem implorante, repente grauiſſimum bellum exarſit. Venerat in Cæſaris ditionem vrbs Placentia, interfecto à coniuratis Petro Aloiſio Farneſio, & oppido occupato. Octauius autem filius Parmæ poſſeſſionem adeptus erat, mandante id Iulio III. Summo Pont. qui in Paulli III. demortui locum ſuffectus fuerat: cum præfectus oppidi Camillus Vrſinus diù repugnaſſet; affirmaſſetque, vrbem illam traditurum nemini, Summi Pont. iniuſſu, quam à Summo Pont. in fidem accepiſſet. Cumque Octauius per legatos, & amicos diligenter, cum Cęſare egiſſet, vt erepta patri Placentia, ſibi, & genero, & de ipſo non malè merito redderetur. Cæſarq; in Petrum Aloiſium Octauij patrẽ pluribus de cauſſis, quas commemorare neceſſe nõ eſt, offenſior fuiſſet; nihil impe-

trarat.

Octauius Farneſ à Gallorum Rege auxilium petit.

trarat. Vbi igitur Octauius intelligit Cæſari pluris offenſionem eſſe, quàm affinitatem; neque exorandi ſpem ſibi reliquam eſſe; ſeſe ad Henricum Regem conuertit, nonnullis acceptis, & datis conditionibus: intra Parmæ mœnia Gallicum præſidium accipit, & oppidum firmat. Cæſar, quòd is ab æmulo auxilium petiſſet, ægerrimè tulit. Permotus item eſt vehementer Iulius III. quòd arma, ex Gallia, in Italiam exciuiſſet, pro tuenda Parma: quam æquius eſſet Summi Pont. auctoritate defendi, cum eam Summorum Pontificum, præſertim ipſius beneficio obtineret. Itaque vterque copias expedit. Iulius ad Mirandulam, Cæſar ad Parmam oppugnandam exercitum mittit. At Henricus, ne eos desereret, qui paullò ante, in ipſius clientelam, & fidem ſe contulerant, primo quoque tempore bellum contra Cæſarem pluribus locis mouere ſtatuit; vt ab oppugnatione Parmæ copias illius auerteret. Quod quidem ex ſententia ſucceſſit: nam Galli in Subalpinis Lanzium, Cherium, aliaque oppida improuisò occupant: Ferdinandum Gonſagam, qui Parmam oppugnabat, inde re infecta diſcedere, Cæſariſque rebus conſulere compellunt. Sed antequam Henricus bellum apertè ſumeret; cum tamen de re tota conſultaſſet, & quid ſibi agendum eſſet, ſtatuiſſet; belli conſilia legatis, & præfectis ſuis aperuit. Erat per eos dies Maſſiliæ Leo Stroza Philippi filius, & Petri frater, Regiæ claſſi præpoſitus, vir fortis, reique militaris peritiſſimus. Is litteris Regis acceptis, continuò è Maſſiliæ portu triremes vigintiquatuor expeditas, omnibuſque rebus, præſertim militibus armatis inſtructas educit, Tolonemque peruenit. Sperabat, ſe Andreæ Auriæ Cæſarianæ claſſis præfecto occurſurum; quem naues ſoluiſſe, atque è Genuæ portu exiſſe, paullò ante acceperat, cum triremibus numero vigintiquinque; imparatis tamen, propeque inanibus. Cum enim nihil adhuc de bello inter Cæſarem, & Regem ſuſpicaretur, militem nullum ſuſtulerat: Barchinonemque petebat, vt inde Maximilianum Regem, & vxorem Mariam, & Emmanuelem Philibertum Genuam deportaret. quòd ſi modo in Strozæ conſpectum veniſſet; nullum in prælijs, nullum

Leo Stroza Barchinonem occupare conatur.

in animi fortitudine præſidium: omnis ſalutis ſpes vel in deditione, vel in fuga? Vtrumque durum, & indecorum: ſed, cum careret propugnatoribus, viribus tam exiguis,& imparibus, alterutrum omnino neceſſarium. Verum Auria fortunatus adeò fuit eo tempore; vt etiam ab incommodo beneficium acceperit. Is Coro vento vehementer reflante cum magnam diei partem nauigaſſet, neque ſumma nautarum perſeuerantia multum progredi, neque vim tempeſtatis ſuperare poſſet, haud longiùs à Tolonis portu conſtitit; vt remiges ex magno, diuturnoque labore reficeret. Præmiſſo verò ſpeculatorio nauigio, de Strozæ aduentu, atque de toto ipſius conſilio, per amici litteras certior factus; nullam moram interpoſuit,quin proras conuerteret, atque in altum euectus Genuam rediret. Ibi completa multis, lectiſq; militibus claſſe,non multo poſt paratus,ad omnem certaminis caſum ſubeundum,Barchinonem tutò peruenit. At Stroza interim ſpe lapſus aggrediendi, capiendique Auriæ, dum ille ſibi nihil metuens incautiùs nauigat; aliud conſilium capit. Curſum Barchinonem verſus dirigit, eoque contendit: quò ſciebat aduectum Ioannem Mendozium cum triremibus Hiſpanis decem, quibus præerat; ibique Auriam opperientem, vt ſeſe cum eo coniungeret. Neque enim Stroza dubitabat, quo primum tempore ſua claſſis apparuiſſet, quæ littus legendo paullatim progrediebatur; quin Mendozius exiſtimans Auriam ipſum aduentare, officij cauſſa, vt mos eſt, obuiam iret, facileque improuiſus opprimeretur. Sed ſagacia, cautaque conſilia nonnunquam irrita: atque prudentiæ, ſolertiæque ſecundi non ſemper reſpondent euentus. Nam Mendozius animaduertens in mari importuoſo ſi fortè tempeſtas coorta eſſet ne iactis quidem anchoris poſſe triremes tuto conſiſtere; inde recedens, ſe in portum, quem Salonium vocant, Barchinone diſtantem paſſuum millibus circiter ſexaginta, occidentem verſus ſe receperat. Neque vlla nauigia Barchinone remanſerant, præter Lembum, quem Auria aduentus ſui ſignificandi cauſſa præmiſerat, & naues nonnullas, quæ ibi in anchoris conſiſtebant, & Antonij Onziæ Barchino-

Andreas Auria periculum vitat.

chinonenſis patricij triremem vnam. Vrbs autem Barchinon plano & aperto littori maris adiacet, eoque propemodùm alluitur, exiguo inter oppidum & mare interiecto terræ ſpatio. Ad Septentrionem ſunt colles primò humiliores, qui poſtea paullatim altius ſe extollunt, ab ortu & occaſu ſolis littus generis eiuſdem, quod modò diximus. Venerant in equis ad eam munitionem, quæ ad mare pertinet, vt quotidie ferè conſueuerant, inclinato iam in veſperam die, Emmanuel Philibertus, Aloiſius Requeſentius, Garcias Toletanus, qui Neapolitanis triremibus imperabat, Aloiſius Ayala, ac plerique Hiſpani principes, & primarij viri: qui illuc forte conuenerant, atque familiaribus colloquijs, & aura, & maris proſpectu ſeſe oblectabant: cum Strozæ triremes apparuerunt. Ijs cōſpectis, nemo fuit, quin claſſem Auriæ aduentare, ipſumque iam affuturum putaret. quare Garcias ad Emmanuelem Philibertum conuerſus, quin tu inquit, ſi placet, & tecum nos omnes Onziæ triremem conſcendimus, & obuiam Auriæ prodimus? quo ſalutato, cum eodem reuertentes duplicem fructum, & noſtri in eum officij, & remiſſionis animi, oblectationiſque referemus. Hæſit parumper Emmanuel Philibertus, dum cogitat, qua ratione caueat, ne quid agat imprudenter, temereué; atque eodem tempore modeſtiam, humanitatemque à prudentia non ſeiungat. Tùm vobis, inquit, per me licet, quod malitis eligere: ſed mihi dabitis hanc veniam, ſi me ipſum hodie fortunę, caſuique non committam. Satis ſcio, deberi hunc honorem Auriæ dignitati, & ætati, & generi, & virtuti; atque officijs in eum quemquam mihi præferri non facilé patiar, ſed tū, cum de triremibus, quas nunc procul aſpicimus, compertum, & exploratum erit amicas eas eſſe, & Auriam officio maritimo præpoſitum aduehere. ſi vos claſſi obuiam prodibitis, ego interim in oppidum reuertar; vt breui diſceſſurus amicos ſalutem. eius cognito conſilio, commutata eſt celeriter omnium eorum voluntas, & opinio; atque de ſententia nauigandi decedentes, ipſum in vrbem redeuntem ſecuti ſunt. Præfectus verò triremis, & qui in lembo erant, nimio colendi Auriæ ſtudio proue-

Emmanuelis Philiber. prudentia.

Naues aliquot à Strozza capiuntur.

cti,

ĉti,claſſem verſus temerè proceſſerunt: quos omnes Stroza incautos, & inopinantes nullo negotio cepit. tum ad naues perueniens, quę parum aberant à littore, & ad anchoras deligatæ erant,eas facilè expugnans, in poteſtatem redigit. Magna hominum multitudo ad littus viſendarum triremium ſtudio confluxerat: quas, vbi ex nauium expugnatione hoſtiles eſſe cognouit, tantus omnes repente timor inuaſit; vt ij in oppidum confugerent: plures verò etiam aduerſa porta cum liberis, & coniugibus ad proximos colles contenderent: omnia tumultu, terrore,ac fuga complerētur. Vbi Emmanuel Philibertus rem videt in tanto eſſe diſcrimine, non tàm lætus, quòd aſtum,calliditatemque hoſtilem prudenter eluſiſſet, quàm de periculo ciuitatis ſolicitus,domum aduolat: ſe & familiam armat,equũ conſcendit,ad mare accurrit. quos in via fugientes obuios habet,conſiſtere iubet. nullum in fuga præſidium, ſalutem omnem in fortitudine poſitam docet. hortatur, vt arma capiant,et ſe ſequantur. cum magna hominum manu oppido egreditur: & ſi Stroza copias exponere conetur, prohibiturum oſtendit. Plures auctoritate, & exemplo iuuenis permoti arma capiunt, & ad littus properant: augetur pugnatorum numerus: crebræ cuſtodiæ in littore diſponuntur. Quam optarat Stroza occaſionem nactus erat occupandi repente oppidi, vaſtādi,incendendi, diripiendæque in primis ditiſſimæ illius domus, quæ ab incolis menſa Barchinonenſis appellatur, fugientibus oppidanis,quòd ab omnibus rebus, quæ ad defenſionem pertinebant, imparati erant,neque vllum certum prẹſidium habebant. iamque milites exponere parabat. ſed vbi Emmanuel Philibertus cum armatorum agmine,qui ſecuti ipſum fuerant,ſe oſtendit, eo conſilio deſiſtens, tormenta tantùm in eos emiſit: quibus, vbi videt neminem loco cedere, eſſeque paratiſſimos omnium ad dimicandum animos: lembum Auriæ,& Onziæ triremen, & naues,quas ceperat, remulco abſtraxit,atque inde diſceſsit. Nihilo ſeciùs tamen Emmanuel Philibertus, & Aquilarius regionis illius præfectus, & Garcias Toletanus, quibus incogni ta erant Strozæ conſilia, neque ſciebant, verè ne diſceſſiſſet,

Emmanuelis Philiberti virtute vrbs Barchinon. conſeruatur.

Stroza naues abducit.

an ſimulatione diſcedendi, parum indeſe retuliſſet mox rediturus; omnia, quæ ad tuendum oppidum opus eſſent, ſingulari diligentia prouident. Ea nocte validum præſidium ad mare collocant, tormenta in muris diſponunt: crebros ignes fieri, excubias pluribus, & idoneis locis agi iubent: naualia, quæ Stroza incendere maximè cupiebat, duarum cohortium præſidio muniunt. Emmanuel Philibertus, cum oppidum circumiſſet, ad littus conſtitit, neque prius indè, quàm luceſceret, ſe recepit. Stroza Maſsiliam rediit hoſtibus potiùs illato terrore, quàm damno, neque tamen inglorius: ſi enim ſucceſſu non fortunatus; ſanè cœptis audax, & conſilio prouidus. At Maximilianus, & Maria vxor, cum Barchinonem veniſſent, atque ea, quæ paullò antè acciderant, cognouiſſent, Rhodam pergunt. indeque ſublatis anchoris, in Cultiberij portum inuecti, ibi diebus circiter viginti aduerſo vento retenti ſunt. Ea oblata occaſione Maximilianus, & Emmanuel Philibertus ad videndam Perpenniani arcem, quæ non longè aberat, ſunt profecti. Andreas Auria, cum primum ſedari fluctus, ac tempeſtas commutari cœpit, naues onerarias præmiſit, quæ ad Villamfrancam paucis diebus peruenerunt. Qua re cognita, Carceres, qui Maſſiliæ præerat, eò triremes quatuordecim expeditas, inſtructaſq; miſit; quibus naues partim mercibus, partim equis, vectorumque ſuppellectili onuſtas, tormentis expugnatas omnes, præter duas in poteſtatem redegit. At paullò poſt Maximilianus, & Emmanuel Philibertus eòdem delati ſunt; portumque Villæfrancæ ingreſsi, atque ab incolis Sabaudo Duci fidiſsimis ſplendidè accepti, Genuam ſecunda nauigatione celeriter appulerunt. Emmanuel Philibertus Maximilianum Alexandriam vſque proſecutus eſt. Inde altero Mediolanum petente, vt in Germaniam per Tridentinos contenderet, alter Haſtam Coloniam, & Vercellas ad patrem viſendi filij cupidiſsimum profectus eſt: vbi, quod reliquum hyemis ſupererat, traduxit. Iam bellum inter Cæſarem, & Gallorum Regem multis ex partibus eruperat: & Ferdinandus Gonſaga, qui Ciſalpinæ prouinciæ cum imperio præerat, Parmæ oppugnatione omiſſa, ſeſe ad

Maximilianus, & Emmanuel Philib. in Italiã.

Emmanuel Philibertus Vercellas ad patrem.

tuen-

Digitized by Google

tuendos Subalpinos conuerterat; qui à Briſaco Gallorum imperatore, maximè vexabantur. Itaque Emmanuel Philibertus à Cæſare petit, impetratque, vt ea, quæ ſecuta eſt, æſtate apud Gonſagam manere atque in eius exercitu operam nauare permittat. Neque enim ab ijs ſe perſuaderi paſſus eſt Cæſar, qui dicebant, cauendum, ne locorum vicinitate Galli pollicitationibus eius animum ſolicitarent. Quin, vt eius fidem ſibi magis perſpectam oſtenderet, eum cataphractorum equitatui præfecit, qui Fabritio Columna mortuo præfecto carebat. Res ipſa iuuenis animum acuebat, quòd bellum finium ipſius tuendorum cauſſa gerebatur. Fortitudo verò Gonſagæ, & militaris ſcientia, & veterani robur exercitus, & totius belli apparatus magnam ſpem afferebant, fore, vt oppida pleraque à Gallis occupata, ijs pulſis, in priſtinam ditionem breui redigi poſſent. Neque minùs confidebat populorum voluntati; qui, cum Gallorum mores moleſtiſsimè ferrent, Sabaudique nominis eſſent maximè ſtudioſi, vt ad Sabaudorum imperium redirent, omnia molituros arbitrabatur. Sed eum prima fefellit ſpes; ſic enim fortuna Cæſarianos, & Gallos eo tempore verſauit; vt Imperatoris vtriuſque conſilia, & vires exercitus, & conatus, & euentus quaſi æqua lance libraſſe videretur. Poſterior non fefelliſſet, niſi hoſtium vigilantia populorum voluntati, & ſtudijs obſtitiſſet. Itaque nihil geſtum, eſt quod magnopere litteris prodendum eſſe videatur. Nam caſtella, oppidaque à Cæſarianis capta, parua, infirmaque, vt, qua celeritate in poteſtatem venerant, eadem rurſus amitti poſſent: neque vtra pars vtram ſuperaſſet, ſatis dijudicari potuit. Qui verò in ijs oppidis reperti ſunt perfugæ, deſertoreſué, pœnas dederunt, laqueo necati. At Emmanuel Philibertus, vbi rem parum ex ſententia procedere animaduertit, ſtatuit primo quoq; tempore ad Cæſarem proficiſci. Id neque cælauit patrem, neque cælare potuiſſet, attento animo filij conſilia, cogitationeſque, ſemper indagantem. Sed is anxius magis, quàm incertus, & æquè prudens, atque filij amans, non minus ea, quæ expedirent, circumſpicere, quàm ab ijs, quibus mirum in modum angebatur, auerſus

Emmanuel Philibertus apud Genſagã remanet.

Equitib cataphracti præficitur.

Emmanuel Philibertus ad Cæſarem.

eſſe. Cumque rem omnem filius patri, qua eum colebat obſeruantia, permitteret: ac rogaret, vt de ea arbitratu ſuo ſtatueret, is, ne vinceretur obſequio, vſque eò victus eſt; vt inuiſa etiam & moleſta probaret; & quæ ab inuito obtineri non potuiſſent, volens, neque tamen libens, permitteret: diſcedendi enim filio poteſtatem fecit. Profectionis tempore filium oſculatus eſt, lachrimiſque conſperſit, ægrè ab eius amplexu diuulſus. Abeuntem verò, quàm diutiſſimè potuit, oculis proſecutus eſt: quaſi præſagiret animus, ſupremum ei diem illuxiſſe, quo aſpectu eius frueretur: neque enim contigit, vt eum poſtea videret amplius. Abijt, de improuiſo, mutato habitu, ne in itinere agnoſceretur: quatuor tantum comitibus, Pancalerio, Andrea Prouana, Trolierio, Caſtricionio. iter per diſpoſitos equos confecit: familia paullò poſt ſubſecuta eſt. Quo tempore Cæſar delectus habebat, magno frumenti, & tormentorum numero comparato, ac magnis peditum, equitumq; copijs coactis, ad eum Emmanuel Philibertus peruenit: nunquã non gratiſſimus, ſed tunc longè gratior, quoniam opportunè veniebat. Æſtate ſuperiore Tulem, Verdunum, Metimque Mediomatricum vrbem, & alia oppida, Rex Galliarum occuparat, quę Cæſar oppugnare ſtatuebat. Ferdinando Toletano ſummam imperij tradidit. Arembergæ Comitem duodecim peditum millibus præeſſe iuſſit. Equitibus Belgis Emmanuelem Philibertum præfecit. Alios alijs muneribus prępoſuit. Copiæ omnes, eo ponte Rhenum tranſducuntur, quo fluminis tranſitus, non procul ab Vrbe Argentina coniungitur. Theonuillam quintis caſtris perueniunt. ibi Cæſar, cum ex pedibus laborare cœpiſſet, ſubſiſtit. Toletanus exercitum ad Metim deducit, caſtra ad oppidum ponit. Erant in Cæſaris exercitu peditum quinquaginta, equitum quatuordecim millia: tormenta magna centum viginti, ex quibus ſeptuaginta muralia. Vrbi verò illi præerat Guiſiæ dux cum peditibus lectis amplius quatuor millibus, equitibus mille, & ducentis: quorum numerum augebant voluntarij adoleſcentes, non pauci, ſumma nobilitate, fortitudineque: atque in primis Nemoroſij Dux

Cæſar cum exercitu ad Metim.

Emmanuelē Philibertum Equitib. Belgis præficit.

Quæ Cæſaris copiæ.

Em-

Emmanuelis Philiberti frater patruelis. Poſtridie eius diei, quo Cæſariani, ad oppidum venerant, Toletanus relicto priore loco flumen Moſellam copias tranſire iubet, atque ad alteram oppidi partem, qua facilior oppugnatio fore videbatur, collocat. Galli eodem tempore plures cohortes additis equitibus ex oppido emittunt, qui Cæſarianos fluminis tranſitu prohibeant, atque ædificijs ſuburbanis ignem inferant. Quod vbi Emmanuel Philibertus procul conſpexit, in eos equitatus partem immiſit, primoque impetu perturbatos, pluribus interfectis, atque ex ſuis amiſſo nemine, in oppidum compulit. Itaq; Toletanus, quòd principio res bene ceſſiſſet, magnopere gauiſus, cum tantùm accubuiſſet, ad Emmanuelem Philibertum conuerſus, qui hoſpitio acceptus à Toletano cum eo cænabat; magnæ ſuperis, inquit, agendæ ſunt gratiæ, quòd ad Metim caſtra poſuimus. Nam poſt octo, vel decem hos proximos dies, nos in oppido cænaturos confido; tu apud patruelem tuum; ego apud Guiſiæ Ducem. Cùm enim muralibus tormentis, & pilis ferreis, & ſulfureo puluere, tãtopere valeamus; facilè duobus locis mænia diruemus, Italiſque, & Hiſpanis, qua ſunt virtute, fortiter irrumpentibus oppido potiemur. à captiuis autem aureûm nummûm ſaltem decies, & quinquies centena millia exprimemus: ſimulque clauis ad nos ab ipſis hoſtibus deferetur, qua reſeratis Subalpinæ prouinciæ clauſtris, tibi ad tuum priſtinum imperium aditus patebit. Nihil à Toletano temerè, nihil leuiter, imprudenterue dictum: nihil omnino, quod ſperandum eſſe non videretur. Neque ſpem fortaſſe feſelliſſet euentus, niſi cæptam alieno tempore oppugnationem duriſſimæ conſecutæ fuiſſent tempeſtates. Cum enim Cæſarianæ copię vndecimo calen. Nouembris ad Metim perueniſſent, tantum poſitis caſtris, munitiſque; aſſiduis imbribus, & vento vehementi, magnis incommodis affici cæpit exercitus. cænoſo, & lubrico ſolo, pabuli, lignorum, vini, frumentique duræ ſubuectiones: tormenta muralia ſerò aducta, neq; omnia. circiter triginta tantummodo pluribus diebus ægrè diſpoſita. Quæ mænium pars quaſſata, dirutaque eſt, haud multum

Galli ab Emmanuele Philiber. repulſi.

Toletani fiducia.

Exercitus Cæſariani incommoda.

momenti ad expugnationem attulit: magno aggere ab hoſtibus è regione extructo, atque extantibus adhuc ad vtrumque ruinæ initium firmis lateribus, quę cuniculis diruere Cæſariani fruſtra conati ſunt. Cum autem leuibus prælijs propè quotidie dimicaretur, hoſtes audaciùs egredientes ab Emmanuele Philiberto equitatu repreſsi, atque in oppidum compulſi. cæſi alij, alij capti, commeatus ſæpe interceptus. Sed ipſa adulta iam hyeme duriora omnia; nix altiſſima regionem vndique contexit. poſtridie flare Aquilo cœpit, & in dies magis increbuit. quare pruina, geluque rigere omnia: potus, & cibi ſæpe corrumpi. dies plures denſiſsima caligine tenebris noctium, quàm luci propiores. quòd ſi vis immenſa frigoris auſtro flante pluuiaué paulliſper remitteret, tum verò reſoluta niue, pecora, iumenta, homines cœno propemodum hauriri. Ex tot incommodis valetudine primùm tentatus eſt exercitus: deinde paſſim inceſſerunt morbi, non multum peſtilentiæ diſſimiles. fœda, horribiliſque tota caſtrorum facies, limo, illuuie, vaſtitate: pleriſque languentibus, pereuntibus multis. Quibus malis, tametſi Cæſar, quantum ſumma diligentia præſtari poterat, occurrere conabatur, augebatur tamen, quòd cœli, tempeſtatiſque iniuriam propulſare nō poſſet. Ferro ceciderunt, eo bello pauci: frigore, incommodis, alijſque difficultatibus plurimi perierunt. Itaque amiſſa exercitus parte circiter tertia, Cæſar ineunte Ianuario, inde cum reliquis copijs diſceſsit, Bruxellaſque profectus eſt. tertio hoc accepto in omni vita belli detrimento: fortaſſe, vt hominem ſe eſſe meminiſſet. alioquin imperijs, opibus, triumphis, ac perenni quadam rerum omnium felicitate ſupra humanum faſtigium euectus. Cum aũt Emmanuel Philibertus Bruxellis cum Cęſare eſset, in eos laqueos eſt delapſus, quibus plerumque improuida iuuentus facile irretiri ſolet: amore captus eſt. Erat fortè Bruxellis virgo humilibus, obſcuriſque parentibus nata: ſed vultu modeſto, oriſque, ac totius corporis forma adeò egregia, adeò venuſta, vt omnium intuentium intimos ſenſus, ad ſe amandam mirum in modum alliceret. Cæſar ipſe formam mirificè laudabat: Philippus fi-

Emmanuel Philibertus amore capitur.

lius

lius ab eius oculis non facilè oculos auertebat. Hanc amare cœpit Emmanuel Philibertus: primùm leuiter, ut parua ſunt rerum omnium initia: deinde uſque eò cupiditas, & cura creuerunt: ut eas neque comprimere, neque tegere iam, aut diſsimulare poſset: prodente eum languore, & ſilentio, & crebris ſuſpitijs, & amata, quæſitaq; ſolitudine. Habebat in ſuis neceſſarijs, intimiſque familiaribus iuuenem ſiue Belgam ſiue aliunde oriundum: (neq; enim patriam, aut nomen edi neceſse eſt:) quem ad nobilia cubiculi munera cũ alijs ingenuis adhibebat. Huic mos erat, crebrò ad uirginem uentitare, cum ea non ignaris parentibus eius liberè colloqui, eius domo familiariter uti. Quod ubi animaduertit Emmanuel Philibertus, cũ ſæpiſsimè, ad ſe accerſere, remotis arbitris longos ſermones inſtituere, fortunas eius laudare, beatũ prędicare, q. illi cariſsimus eſset, quã ipſe deperiret, cuiuſque amore tabeſceret. poſtremò rogare, & obteſtari, ut herum pereuntem miſeraretur; & cum tantam ſibi uirginis gratiam conciliaſset, partem aliquam ad parandum ei nonnullum ſalutis ſubſidium impertiretur. Is haud grauatè negotium ſuſcipit, bono eum animo eſse iubet, ſpem facit. mãdatis iterum, & tertiò ultro, citroq; delatis rem in eum locum deductam nuntiat, ut optati gaudij, cum libuerit, compos futurus ſit. Condicitur hora: reliqua qua ratione agi placeat, conſtituuntur. poſt primam uigiliam ambo ſimul, nemine alio adhibito, illuc proficiſcuntur. patefacta ianua, ſilentio in ſuperiora aſcendunt: ubi menſa erat in priore cubiculo leuibus, ſed exquiſitiſsimis cibis extructa. At aliarum epularum auidior Emmanuel Philibertus, nonnullas tãtùm delibat, poculum primoribus labris uix attingit. In conclaue intimum properanti Belga fit obuius, pauca uti prius audiat, petit. tùm cuius, inquit, oſculis, & amplexibus iam iam fruiturus es, quæque nuda te in lecto opperitur, eam diu à me amatam, ſcito non multis ab hinc diebus mihi nupſiſse: ſed eam poteſtati tuæ libenter permittere me, ut ne hoc quidem tibi deſit non leue meæ eximiæ in te volũtatis indicium. Ad hæc verba Emmanuel Philibertus propemodum obſtipuit: varianteque faciem eius rubore, pallo-

reque, multoque magis animum, nunc impellente cupidine, qua erat incenſus, nunc continente in officio ratione, & honeſti vi, aliquandiu fluctuanti ſimilis, quò ſe conuerteret, neſciebat. tum Belgam interrogans, vxor ne tua eſt, inquit? ita ne verè eſt, vti affirmas? at ille, ita prorſus. Reſponſo grauiter offenſus, quòd diuerſum optaſſet, vbi paulliſper conticuit, ſimulans, ſe neſcio quid oblitum, quo ſibi opus eſſet, inde ſe proripiens domum diſcedit. Ibi ſe colligit, planèque obdurat, atque ſeſe obfirmat, neque ad mulierem redit. Poſtridie in ſuum conſpectum Belgam prodire vetat: eximi de familiariū numero, proculque ab ſua domo abeſſe iubet. Ab indignitate aliena abhorruit, propriæ ignarus, & inſolens: &, quò iuuenilis cupiditas pręcipitem agebat, inde animi virtus reuocauit: Celeriter res emanauit, percrebuitque, & multos ſermones præbuit. alij factum continentiæ tribuebant: alij magnitudini animi: plures vtrique virtuti. iuuenem enim amantem, & cupidiſſimum in ipſo paratæ voluptatis limine pedem retuliſſe, non alterius tantum virtutis fuiſſe iudicabant. omnes autem, quòd Belgam eieciſſet, magnopere probabant, efferebantque prudentiam. Nam fruſtra rei tuæ, vitæué parſurum ſperes, qui exiſtimationis, & honoris ſui prodigus ſibi ipſe non pepercerit. Sed quoties rem memoria repeteret; quæ ob oculos eius crebrò verſabatur, in eam partem propenſus erat, vt Belgæ incommodum, quibus poſſet officijs, ipſo tamen inſciò leniret. Quare multa in eum varijs temporibus ab Emmanuele Philiberto, ſed clàm, atque per alios profecta beneficia: vt is non hominem odiſſe, ſed factum improbaſſe videretur. Ac ſanè, ſi hæc priſcis temporibus eueniſſent, Emmanuel Philibertus magna laude vix carere potuiſſet. Nam Alexandrum magnum & Scipionem Africanum extulit admirataq; eſt antiquitas, quòd ab alienis tantum vxoribus abſtinuiſſent, quarum amore, non tamen erant ſaucij neque earum diuturna, nimiaque cupiditate flagrabant. Interim Cæſar ſarcire detrimentum cupiens, quod ad Metim acceperat, maturiùs de bello cogitat. Tantùm confecta hyeme peditum millia vigintiquatuor, equitum ſeptē,

Emmanuelis Philiberti cōtinentia.

cele-

celeriter cogit. Iјs copijs Renſium Belgā præficit: additiſq; magnis tormentis quinquaginta, ad oppugnandā Taruanam Morinorum oppidum, quod ad fines Arteſiæ Belgarum prouinciæ poſitum eſt, proficiſci iubet. Eò peruenit ad quintum Calen. Aprilis, & verberatis, dirutiſque mœnibus, Cęſariani ſemel, atq; iterum repulſi, multis amiſsis, oppido tamē potiti ſunt. Captus eſt Memorātius Annæ magiſtri equitum filius: pedites, qui in præſidio erant, circiter mille, & octingenti conſeruati, dimiſſique, retentis amplius ducentis: qui, vt ſeſe pecunia redimerent, impetrarant: præda militi conceſſa: oppidum direptum, incenſum, deletum. Verum diebus circiter decem, antè mortuo Renſio quàm oppidum expugnaretur, Cæſar totius belli ſummam Emmanueli Philiberto detulit, atque omnibus copijs cum imperio præeſſe iuſſit. Erant in Cæſaris exercitu Belgæ ſummi viri, Aurantinorū Princeps, Comites Egemontius, & Arembergius, & præterea Benicurtius, & Boſſuuius: quorum quiſque ſibi perſuadebat, ſe dignum eſſe, qui ad eum honorem euocaretur. Miles enim plerumque, præſertim ſi claris maioribus ortus ſit, magnos ſibi ſpiritus ſumit, gloriæ cupiditate flagrat, ambitione, eiuſque ſocia æmulatione torquetur. Itaque ſinguli à Cæſare contenderunt, vt in demortui Renſij locum ſufficerentur. Vbi verò auditum eſt, exercitus imperium Emmanueli Philiberto delatum: primò quiſque dolere, quòd ſpem ipſorum Cæſar feſelliſſet: deinde æquiore animo ferre, quòd neminem eorum Cæſar alijs præpoſuiſſet: neque enim excluſi repulſam æquo animo tuliſſent: poſtremò lætari, quòd Emmanueli Philiberto parendum eſſet. Illi enim ſola ætate eum anteibant. fortitudinis autem propriæ opinio par in omnibus, ſed parum iuſta. Nam quiſque ſibi nimium indulgens amore ſui facilè decipitur, & cuiuſque iudicium de ſe ipſo plerunque fallax. At ingenij vi, & ſpectata multis caſibus virtute, & claritudine generis, omnes ſibi conſcij, ſeſe cum eo non eſſe conferendos. Itaque, vbi ad exercitum venit, ab omnibus ordinibus libentiſſimis animis, ſingularique lætitia exceptus eſt. Quę verò in caſtris corrupta, aut deprauata comperit;

Exercitus Cæſaris ad Taruanam.

Renſius legatus exercitus moritur.

Præfecti Belgæ competitores.

Exercitus imperium à Cæſare, Emmanueli Philiberto delatū

Deprauata in Exercitu corriguntur.

ſumma diligentia correxit: licentiam compreſſit, ne miles à ſignis centurionis iniuſſu diſcederet, ne mulierem violaret, ne quid raperet graui edicto prohibuit: plura alia ſalutaria prudenter inſtituit. In eos, qui noxij eſſent, ſine mora vindicari iuſſit. Ita breui rem militarem ad priſtinam diſciplinam reuocauit. Neque tamen ex ſeueritate animorum alienatio, vel odium. Nihil enim cum ſæuitia, arrogantiaué coniunctum. quin etiam ſeueritati ſumma admixta lenitas, præter oris, morum, ſermoniſque modeſtiam. Ad eum verò omnibus liber aditus: ipſe cũ præfectis conſilia communicare, libenter ſententias eorum exquirere, milites humaniter appellare: &, quos cogere poſſet, monere, hortari, interdum etiam rogare. Laborum particeps, periculorum ſocius eſſe: quæ nec temerè adiret; neque timidè recuſaret: nihil ad propriam vtilitatem referre: non pati quæſtui milites haberi, non falſum numerum deferri, non ſtipendium fraudari. ſauciorum, & ægrorum pro tempore rationem habere: eorum inopiam ſua benignitate ſubleuare: de incommodis exercitus ſollicitus eſſe, eiſque, quantum conniti poſſet, ſumma diligentia mederi. quibus rebus effecit, vt acceptus cariſſimusque omnibus eſſet: & quod rariſſimum difficillimumq; eſt, vt cuius imperium metuebant, eumdem mirificè diligerent. Caſtra inde paucis interpoſitis diebus mota, atque ad Hedinum, quod oppidum ad Belgarum fines pertinet, perductus exercitus. Equitum numerus, ſeptem millia quingenti quinquaginta. Benicurtius, Egemontius, Ryus, Boſſuuius, Auſtratius, Bergues, ſinguli mille equitibus præerant: ſexcentis Aurantinorum Princeps eo tempore: ſed eorum auctus poſtea numerus; qui Alcantaræ Commendator appellabatur octingentis; quibus additi centum & quinquaginta Britanni, eum, quem ſupra demonſtrauimus, numerum explebant. Peditum erant circiter quindecim millia. præfecti Arembergius Vonolius, Norletus, quorum vnuſquiſque duobus millibus, & quingentis præerat. Bailius Auenas (neque enim aliud huius præfecti nomen reperimus) duobus milibus: Torlonius mille & quingentis: Vandeuilas mille: ij omnes partim in ſuperiore,

Emmanuelis Philiberti lenitas, & prouidentia.

Emmanuel Philibertus ad oppugna. Hedinum. & quibus copijs.

Digitized by Google

partim in inferiore Germania conſcripti. Aloiſius Queſada, cum ad Taruanam quatuor mille & quingentos Hiſpanos veteranos habuiſſet, multis in oppidi expugnatione amiſſis, ad numerum trium millium, & trecentorum redierat. Caſtrorũ Benicurtius, tormentorum muralium Glaſonius, præfecti. Vbi Emmanuel Philibertus copias omnes recenſuit, earumq́ue numerum tantopere diminutum animaduertit, accuratè Cæſarem, ſororemq́ue Mariam Pannoniæ Reginam, de Gallico belli apparatu crebris nuntijs, & litteris afferri, certiores facit. conſtare item Regem animo in id bellum intentum eſſe: neque per alios illud geſtum iri, ſed ipſum breui in caſtra venturum. quòd ſi imparibus viribus dimicandum ſit; detrimentum propè certum: ſin detrectandum certamen, ex timoris ſuſpitione ignominia, detrimento non leuior. Videri autem ſibi vtrique malo occurri poſſe, ſi peditum decem millia, equitum quatuor, è Germania properè euocentur, & ad ſe mittantur: nam his additis, ſe nullas vires, nullos impetus Regis extimeſcere. Sin vero tali deſtituatur auxilio, arbitrari nihil à ſe melius præſtari poſſe, quàm vt à Regis exercitu longiùs nunquàm abſcedat, conſilia eius exploret, conatus quãtùm fieri poterit prohibeat. in primis verò copias ſuas, in itinere, & in caſtris, ita ſemper habeat, vt ſe ſuaque omni ratione tueatur; atque ad caſum certaminis ſubeundũ inuitus cogi non poſsit. Cæſar iuuenis prudentiam mirificè probans, cum eo tempore rei pecuniariæ difficultate premeretur, reſcribit, ſe nonnullis de cauſſis copias non aucturum, ſed laudare conſilium eius; atque vt in eo permaneat hortari: quoquidem exiſtimationi, & ſecuritati conſultum iri intelligebat. Simul adſcribit, ſcire ſe, Regem impedimentis non leuibus retineri, eiuſque conſilia tardari: neque negotia ſua tàm celeriter explicaturum, quin Hedinum prius expugnari poſsit, quàm eius exercitus aduenerit. Acceptis Cæſaris litteris Emmanuel Philibertus, & pauci comites rei militaris vſu peritiſsimi, ad mœnia propius accedunt, oppidum circumeunt, ſitum, munitiones, loci naturam diligenter perſpiciunt. vbi autem is circumdari oppidum animaduertit foſ-

Emmanueli Philiberti c ſilium.

Cæſar Emm anu. Philib. consiliũ p bat.

Prudentia i oppido opp. grando.

ſa & vallo, perpetuaq; munitione terrea, virgultis, faſcibusq; intermixtis, ad iuſtam muri altitudinem; latitudinis verò pedum circiter quinquaginta; extantibus ad latera magnis aggeribus; ſatis intellexit, nulla tormentorum vi ita dirui poſſe munitionem, vt militi vel fortiſsimo inuadendi locus relinqueretur. Sed tamen poſtridie eius diei, quo aduenerat, maxima tormenta produci, atque in eam munitionem emitti imperat. per dies octo nunquam opus intermiſſum, nunquam ceſſatum; nullo, vel minimo ſucceſſu, dirutis tantummodò parumper lateribus. Lentum erat negotium, & diuturnior fore videbatur oppugnatio. Quare Boſſuuius, & Benicurtius Emmanuelem Philibertum adeunt, de Regis aduentu crebris nuntijs afferri ſignificant. monent, maximas copias eum adducere, eſſeque paratiſsimo ad dimicandum animo. quanti periculi ſit, numero multis partibus inferiores, cum tanta multitudine confligere, proponunt. Emmanuel Philibertus concilium conuocat, ſententias ſingulorum exquirit. cum omnes Cæſari ſcribendum, quærendumque, quid fieri vellet, cenſuiſſent; Berguem cum litteris ad eum mittit. Cæſar reſpondet, compertum ſibi eſſe, neque Gallos ſine Heluetiorum auxilio prælij fortunam periclitaturos; neque Heluetios tàm citò cum Gallis ſe ſe poſſe coniungere. Qua re cognita Emmanuel Philibertus, pedites nonnullos Hiſpanos ad ſe vocari iubet, quid fieri, velit, oſtendit. Ij præſidio cohortis vnius, quæ minoribus tormentis propugnatores à munitione ſubmouebat, ſe ſe audacter in foſſam demittunt, ad munitionem accedunt, ligonibus terram exhauriunt, ad vallum tectos cuniculos agunt, in eos ſulfureum puluerem, quantum ſatis eſt, immittunt. Hoc paucis diebus confecto negotio, ad concilium defert, an, poſtquam ignis ad motus pulueri ſit, confeſtim in oppidum peruadendum. cum aliter alij ſentirent, reſque diſputatione produceretur; quid ipſe cenſeat, exponit; &, qua ratione omnia agi placeat, conſtituit. docet enim probantibus omnibus, conſilio eludendos hoſtes, & fortitudini eſſe addendam artem, & induſtriam. Quare parata omnia tormenta eſſe iubet: imperat vt milites arma

Hiſpanorum virtus.

expe-

expediant, & vnuſquiſque in ſua acie conſiſtat. veritus autem ne ſigno dato, omnis ſimul multitudo eodem tempore ad munitionem euolaret, quod, ſi fieret, alium alij potius impedimento, quàm ad oppugnationem vſui futurum animaduertebat: in primis, ne quis iniuſſu ſuo ad oppidum accedat, neue ſeſe loco moueat, graui edicto prohibet. tùm quærit, quo ordine de quaque natione ſtatuendum ſit, ac, quæ prima euocanda ſit vt ſigno dato, in oppidum irrumpat. Arembergius ſortiendum dicit: quoniam id ſemper obſeruatum ſit, vbi pluribus nationibus conſtat exercitus. Quæſada ſortibus committendum negat, quod virtuti debeatur. Sic enim Hiſpanos ad munitionem cuniculis agendis, alijſque laboribus alacriter ſuſcipiendis meritos eſſe; vt honorem eum ſibi proprio quodam iure vendicare poſſint: neque, quod cuiuſque proprium ſit; illud ad incertum eſſe reuocandum. Præfecti Germani parem ex vna quaq; natione numerum eligendum affirmãt, quod vnum ſine cuiuſquam fiat iniuria, atque omnium æquiſſimum eſſe videatur. Hæc magna diſſenſione, magniſque altercationibus agebantur: tametſi erat tantummodò de honore controuerſia. cuius merces, pretiumque ſanguine, & morte perſoluendum. Sed fortiſſimi milites mali nullius metu terrebantur: tantaque gloriæ cupiditas omnibus inceſſerat; vt de vna laude ſoliciti eſſe, periculo nihil commoueri, ſed de eo ne cogitare quidem viderentur. Emmanuel Philibertus præfectorum Germanorum conſilium, nulla ratione probandum putabat; quo conſilio magnam paucis antè diebus ſciebat, ad Taruanam ortam eſſe perturbationem; remque omnem actam confuſiùs, quàm militaris diſciplina poſtulabat. ac quamuis ſecum ſtatuiſſet præferre omnibus alijs Hiſpanos; non tamen animi ſui ſententiã ſtatim aperuit: ne illarum nationum inueterata odia, diſſidiaque magis excitarentur, omni bellico muneri, atque illi præſertim, quod protinus obeundum erat, nimis incommoda. Itaque Hiſpanos non procul à foſſa collocat, Belgas, Germanoſq; ſeorſum paullò longiùs locis idoneis conſtituit. Ipſe galeam, & loricam induit, ſcutum capit, atque educto gladio

Præfectorum varia ſententia.

Emmanuelis Phil berti cõſ ium.

ante primam aciem procedens, imperat, vt vnuſquiſque ſuo ſe loco teneat, quamuis ſigna omnia concinant, inuadendiq; oppidi ſignum detur. tum ſulfureum puluerem, in cuniculos inditum incēdi iubet: cum autem ignis, vno tantum loco conceptus eſſet, munitiones non adeo ruina conuulſæ ſunt, neque ita patefactus eſt aditus, vt miles peruadendi ſpem aliquam haberet, aſcenſumuè ſine certa pernicie tentare poſſet. Quæſada nihilo ſecius, & cum eo Hiſpani centuriones nonnulli ſtudio pugnæ elati, ad Emmanuelem Philibertum accurrunt, irrumpique in oppidum poſſe, ac ſe cum lectorum militum manu, ſi permittatur, alacriter rem aggreſſuros affirmant. ipſe de ſua ſententia non decedit, vt redeat vnuſquiſque ad ſuum agmen, neque ab eo diſcedat, imperat, Sed inuadendi ſimulatione tolli vndique clamorem iubet. quare conferti hoſtes ad munitionē, vt eam tueantur, accurrunt: in quos emiſſa tormenta plures interficiunt. Præterea Galli exiſtimantes Cæſarianos ſubitò procurſuros, & oppidum inuaſuros, materiam aridam, magnā ſarmentorum vim adiecto oleo, pice, ſulfure, quam occultè in foſſa collocarant, præpropera feſtinatione inflammant, magnū repente excitatur incendium: quo plures exanimari neceſſe erat; niſi quiſque in ſua acie conſtitiſſet. interfectus tantùm Bezerres centurio, & cum eo Hiſpani milites veterani octo. Antonius item Eſquiuelius vi ignis in ſublime raptus, atq; in foſſam decidens, caſu tamen ſeruatus eſt, non ſine magno Emmanuelis Philiberti gaudio, ex inſperata hominis ſalute: quem ob fortitudinem, & rei militaris ſcientiam magnopere diligebat. Cùm autem bene, atque ex ſententia prima irruptionis ſimulatio ceſſiſſet; rurſus eadem ad fallendos hoſtes vti conſtituit. Itaque præmonitis ſuis ſignum dedit, atque, vt vndique tolleretur clamor, & ſigna omnia canerent, imperauit. neq; Galli ſibi defuerunt; ſed ex omnibus partibus euolantes in munitione continuò armati ſeſe oſtenderunt, eamque propugnatoribus impleuerunt. Multò plures, quàm prius tormentis interfecti. in iis fortiſſimus adoleſcens Horatius Farneſius frater Octauij Parmenſium, & Placentinorum Ducis, ſuos ad pugnandum

Simulatio oppidi inuadendi.

Horatius Farneſius interficitur.

dum

dum fortiter adhortans; cum globi duo ferrei ilia, & humerum alterum traieciſſent. magnum Italiæ decus; magna item ſpes, & præſidium; ſi quando relicto externo rege, ad tuendam eam, ornandamq; animum conuertiſſet. Dum autem Cæſariani tormentis munitionem verberare non intermittunt; fortè muralis tormenti malè librati pila ingens ignea, in imum vallum delata, aditum cuniculi vnius aperuit; quem terra deſuper cadens obſtruxerat, pulueremque ſulfureum in cuniculum inditum incendit. quò minus verò munitio omnis radicitus euelleretur, atque in aerem iactaretur, ipſius materia prohibuit: terræ recentis, paullò ante congeſtæ, raræ admodum, humidæq;: quæ temporis breui ſpatio durare, coâleſcereué non potuerat. flamma igitur, quæ clauſa omnem concretam, firmamque materiam facilè diſſipaſſet, euertiſſetque; mollem, neque ſatis compactam nacta, quæ plures, grandioreſque rimas egerat, vim amiſit: & tamen per eaſdem rimas inſinuata, celerrimè per totum vallum diſcurrens, nihil intactum reliquit. leuiora autem omnia, in primiſque tabulatum, quo defenſores tegebantur, atque occultabantur, facilè conſumpſit. Sed laudanda fuit eo die, propeque admirabilis Gallorum virtus. cum enim tela, ſignaque in manibus eorum conflagrarent, ipſique flamma propemodum torrerentur; tanta fuit eorum conſtantia, vt firmi conſiſterent, atque de loco nemo decederet: paucis quidem exanimatis; ſed ea re horribilem ſpeciem prębente, quæ ad terrendum militem, tametſi veteranum, fortemque, magnum habere poterat momentum. Præterea ex parua munitione, quam tranſuerſam in vallo egerant, altitudinis pedum circiter trium, eminùs tormentis minoribus Cæſarianos ſubmouebant, multoſque interficiebant. Id cum animaduertiſſet Emmanuel Philibertus, expeditos milites aggerem alterum verberatum aſſiduè, iamque defenſoribus nudatum per ruinã aſcendere, atque tormentis minoribus de ſuperiore loco Gallos inde deturbare iubet. Elegerat certam militum manũ ſpectatæ virtutis, ex omni præſidio Horatius Farneſius, ibiq; collocarat: ſed, cum loci anguſtia plures capere non poſſet; quini,

Gallorũ militum virtus.

ſeniuè propugnabant. primis autem ab ijs exanimatis, qui aggerem conſcenderant, ſecundi ſucceſſere, ac ſecundis tertij: neque prius locus ille vacuus relictus eſt, quàm deletis propè omnibus Farneſianis defenſoribus. Conſtat enim, eo die circiter duodetriginta, alium, ex alio glandibus plumbeis traiectos interiſſe. Galli magnis malis perterriti, neque tàm oppidi direptione permoti, quàm de tuenda vita ſoliciti, verenteſque, ne ab irrumpētibus Cæſarianis omnes interficerentur, ſeſe dedere conſtituunt, eaque, quæ ſecuta eſt, nocte, colloquium petunt, impetrantque. Orant, dum agitur de conditionibus, ne tormenta vlla in oppidum emittantur. Emmanuel Philibertus, ſe id permiſſurum negat; niſi contra ipſi fidem dent, ſe interim munitiones non refecturos, neque aliquid, quod ad loci defenſionem pertineat, molituros. Ijs aſſentientibus, in oppidum tres recipiuntur ab Emmanuele Philiberto miſsi, qui rem totam diligenter perſpiciant, Ioannes Nauarrus, Baptiſta Inſulanus, Vandeuilas. Vbi illuxit, mittuntur item ex oppido legati tres. Ii in conſpectum Emmanuelis Philiberti deducti, de ijs quæ ad conſeruandum oppidū pertinebant agere incipiunt, altiuſque repetita oratione longum ſermonem inſtituunt. Sed ipſe cui enunciata ab exploratoribus fuerant Gallorum conſilia, cum cognouiſſet eos magno timore perculſos legatis mandaſſe, vt liberè omnia ipſius poteſtati permitterent, oppidumque ac ſeſe ſine mora dederent; eos interpellat, atque mandata, quæcunque habeant vti quamprimùm exponant hortatur. Interim ne quid repentini tumultus oriatur, neuè milites ſe inuito in oppidum irrumpant, quod ad Taruanam accidiſſe recordabatur, centuriones, tribunos militum, legatoſque ad ſe euocari iubet. mandat etiam atque etiam videant, ne milites longius quàm res patiatur, audacia cupiditateque progrediantur: velle .n. dedititios Cæſaris omni iniuria prohiberi, ſaluoſque atque incolumes eſſe: proinde omnem operam dent ne detrimenti aliquid accipiant. Queſada proponit vt præfectus aliquis cum ſua legione propiùs accedat, ſe inde receſſuro: oppidumque ab omni irruptione prohibeat: vel, ſi alij longius

Galli colloquium petūt.

ab-

abſcedant; cum ſuis Hiſpanis actum ne quis ſe inuito in oppidum ingrediatur. Probantibus omnibus, periculo ſuo rem ſuſcipit: nouo atque inuſitato more aciem inſtruit, milites diſponit, armatos collocat, vt hoſtes defendant, ſuos propius accedentes oppidi diripiendi cauſſa repellant, proculque, quantùm conniti poſſint, ſubmoueant. Ad hæc Emmanuel Philibertus Gallis ſignificat, ſe vltrò permittere, vt in ſuis munitionibus armati conſiſtant, eas tueantur, ac temere ſubeuntes interficiant: Sed interim dum de conditionibus agitur, longiorque ſermo neceſſariò inſtituitur, excipientibus nonnulla Gallis, negante verò Emmanuele Philiberto ſe diutius milites retenturum quin irrumperent, niſi omnia arbitrio poteſtatique ipſius permiſiſſent; tantus præſidij milites timor inuaſerat, vt manus de vallo tenderent, nutu, vocibuſque Cæſarianos vocarent, ad ſubeundum inuitarent, ac nonnullos in oppidum reciperent. Hoc exemplo reliqui inuitati ab ſignis diſcedere, propius accedere, tentareque aditum, Queſada nequicquam reclamante, fruſtraque contra eorum impetum obnitente, cooperiunt. Emmanuel Philibertus, vbi rem in tantum diſcrimen adductam videt, aperteque intelligit in militum animis plus valere lucri cupiditatem quàm imperium, & modeſtiam; colloquium dirimit: protinus legatos dimittit: per Vandeuilam, & Ryum præfectum Belgam, Eſdenio oppidi præfecto nuntiari iubet, ſi ſeſe, ſuaque omnia ſine mora dederit, ſe à cædibus temperaturum; neque perpetuo remigandi miniſterio milites addicturum; hanc eſſe vnam, extremamque deditionis conditionem. Eſdenius illam, tametſi durior videbatur, tamen accipit, & ſe imperata facturum affirmat. Celeriter Vandeuilam remittit, & per eum id tantum impetrat, vt ſingulis militibus priuatis cum vno veſtitu quo membra tegantur, relictis armis, & ſignis & tormentis, & omni militari inſtrumento abire liceat. Et quidem Ryus Belga, cùm ſæpe antea magno vſui fuiſſet, tum eo tempore quantam prudentiam, quantum in re militari vſum haberet, apertè oſtendit. Cum enim Gallis maiorem timorem addidiſſet, periculumque verbis auxiſſet, Eſde-

Deditionis conditiones.

Hedinum deditur.

nius, & Villarius, & Martignes, præfectique alij Galli magnæ nobilitatis & virtutis, munitionum ruina commoti, pluribus defenſoribus amiſſis, patefacto propè in oppidum aditu, parato ad irrumpendum fortiter Cæſariano milite, atque omni auxilij ſpe ſublata: tantis defeſſi malis ad Emmanuelem Philibertum veniunt, ſeque ei & omnia ſua & oppidum dedunt. Iam Cæſarianos neque pudor, neque præfectorum minæ ſatis in officio continebant, ſed omnes prædæ ſpe incitati, præſertim Arembergij cohortes, audaciùs accurrebant, atque in oppidum quocumque modo peruadere conabantur. Quæ cum in oculis ipſius Emmanuelis Philiberti gererētur, is Antonium Auriam, & Egemontium, & Boſſuuium in caſtris relinquit. Mandat vt captiuos præſertim nobiliores, conquirant, recipiant, cuſtodiant: monetque vt ea in re curam, & diligentiam adhibeant. Ipſe in munitionem hoſtium aſcendit, ibique conſiſtit; ſuos quantùm poteſt oppidi ingreſſu prohibet: alios monet, aliis obſiſtit, nonnullos manu repellit, multos gladio, plures minis deterret: ſed fruſtrà ſuſceptus labor. Nam qui conſpectum eius verebantur parte aduerſa, à qua longe Emmanuel Philibertus aberat, nemoque ibi erat, qui eam defendere, aut prohibere poſſet: facilem introitum habebant. Re deſperata è munitione deſcendit, ſtatimque omnis multitudo in oppidum irrumpit. Ibi quiſque obuios capere, in fortunas oppidanorum inuadere, rapere; quæ aſportare non poſſet, vel corrumpere, vel occultare, magnas vndique prædas agere. Emmanuel Philibertus, vbi primum propoſitum non tenuit, ſecundo vſus cōſilio, ne exercitus abuti bonitate, patientiaque ipſius aſſueſceret, præfectos omnes centurioneſque ad ſe vocat. eos primùm, quòd multitudinis licentiam, pro Imperio non repreſſiſſent, grauiſsimis verbis caſtigat: deinde in militum temeritatem, effrenatamq; cupiditatem vehementiùs inuehitur. Poſtremò edici ac pronuntiari iubet, quod quiſque rapuerit, cuiuſcunque id generis ſit, ſine dolo fraudeué vti ante ſolis occaſum proferat. Si quis ſecus fecerit, ſe quæſtionibus habitis de eo qui in culpa fuerit, illicò militari more ſupplicium ſumi iuſſurum.

Emmanuel Philibertus milites reprehendit.

quare

Digitized by Google

quare audaciæ, & cupiditatis ægritudinem, quæ diligentia atque imperio curari non potuerat, pœnæ formido ſanauit. Cum enim ipſe paullò poſt pro oppidi porta conſediſſet; producti confeſtim captiui, prolataque omnia, argentum, veſtis, equi, mancipia, præda omnis expoſita: cuius partem magnam pro cuiuſque merito diuidi militibus iuſsit. Relatus item ſignorũ, & tormentorum numerus. deinceps ſegregati pedites ab equitibus; item à ducibus, tribunis, præfectiſque milites, & à veteranis, prętorianiſque tyrones, & gregarij. Eſdenius, & Villarius, & Martignes cum primarijs viris, alijſque circiter quingentis in oppidum Bettonam miſsi, ibi quoàd ſe redimerent, cuſtodiendi. reliqua pars mille & quadringenti inermes, ab equitatu ad Galliæ fines perducti, ibique dimiſsi. tum militi permiſſum, vt oppidum diriperet, quod poſtea è veſtigio incenſum eſt, ac deletum. Dum hæc ad Hedinum geruntur, Henricus Galliarum Rex maximas equitum, peditumq; copias cogit: frumenti vim maximam, ex ſuis vberrimis regionibus comparat: tormenta muralia, campeſtriaque, ac cætera omnia, quæ ad bellum vſui futura erant, magna diligentia prouidet. Eodem tempore Anna Memorantius Gallorum equitum magiſter Ambianum venit, atque extra oppidi mœnia, ad flumen quod incolæ Somonam appellant, & oppidum ipſum pręterfluit, caſtra poſuit, tormentaque collocauit. Dorlanum oppidum Vidamus Charterius, cum tribus peditum millibus, & equitibus ducentis tenebat. Vandomius, cum pari militum præſidio Abeuilam. Anghianus eius frater Montruelium cum paullò ampliore peditum, equitumque numero. Cæſar verò iam conſtituerat, copias non augere; atque Emmanuelem Philibertum monuerat, ne in oppugnandis oppidis operam amplius tempuſque conſumeret, ſed exercitum introduceret in fines hoſtium; quos vbi longè latèque peruagatus & depopulatus eſſet, in eiſdem conſideret, caſtraque habere; quòd eodem tempore populos ſuos ſuppeditãdi commeatus onere ſubleuare; & commodè opimis, fertilibuſque hoſtium agris alere exercitum poſſet: non ignarus, facilè ab alieno abſtinere,

Hedinum incenſum deletur.

Gallicus belli apparatus. Rex in caſtra.

Cæſaris conſilium.

qui de ſuo tuendo ſolicitus eſſe, ſibique ipſe cauere cogatur. Itaque Taruana, Hedinoque paucorum dierum interuallo in poteſtatem redactis, deletiſque, Emmanuel Philibertus cohortes ſeptem, quæ Taruanæ præſidio relictæ erant, & equites reuocat; cumque Obreſtenius cum peditibus germanis duobus millibus, & quingentis ad eum veniſſet; caſtra ab Hedino mouet. iter facturus, ſingula ex militari inſtituto magno ordine diſponit: maiorem equitatus partem præmittit. hunc expedita peditum agmina ſubſequuntur. poſt illa exercitus impedimenta collocat, totumque agmen ſex peditum millibus, reliquiſque equitibus claudit, qui præſidio impedimentis eſſent. fines hoſtium, impediente nemine, ingreditur: ac tertijs caſtris ad Lyſum oppidum Vandomij peruenit, quod à Dorlano paſſuum millibus circiter duobus aberat. Memorantius, vti dictum eſt, Ambiani erat. in flumine Somona pontem, atque in eius extremo turrim magnam fecerat ad alteram amnis partem, quam foſſa pedum circiter viginti, ac firmiore aggere circundederat: ibique præſidium Aquitanorum ſex millium collocarat. At Emmanuel Philibertus caſtris locum idoneum delegit, quæ paſſuum millibus paullò minus duodecim ab Ambiano diſtabant. Ea cum diligenter vndique muniuiſſet, ac nonnumquam leuibus prælijs cum hoſte contenderet; ad eum veniunt præfecti Belgæ tres, Boſſuuius, Bergues, Epinoes ampliſſimo generi nati, magnæque inter Belgas, propter eximiam virtutis opinionem, auctoritatis. Petunt etiam atque etiam, vt ſibi liceat cum equitatus parte ad hoſtium caſtra excurrere, ea perſpicere quid agant, quid conſilij capiant cognoſcere: atque, ſi vſus poſcat, cum eis manum conſerere. magnam ſpem afferunt, poſſe eos, nihil huiuſmodi ſuſpicantes, imparatos, & inopinantes opprimi. victoriam verò, quo magis inſperata eſſet, eò gratiorem fore. maximè in primis contendunt, quò res occulta, ac tecta ſit, ne ad concilium eam deferat, neuè cuiquam patefaciat. Emmanuel Philibertus, quamuis maximè cuperet, ſaltem Antonij Auriæ ſententiam, vti ſolebat, exquirere, cuius prudentiæ, & militari ſcientiæ magnope-

Emmanuelis Philiberti militaris diſciplina.

Ad Lyſum caſtra ponit.

Præfectorum Belgarum conſilium.

re

re confidebat, atque de ſummis rebus cum eo communicabat; quoniam tamen Boſſuuius Cæſarianis copijs ſuperioribus temporibus præfuerat, atq; ab ipſo Cæſare magni conſilij, magnæque virtutis vir habebatur, eius auctoritate permotus exoratur. Sed Belgæ rem totam ſuos quidem celarunt, qui iuuare conſilio poterant; alienis, à quibus maximè cauendum erat, ne communicata proderent, per imprudentiam aperuerunt. Itaque præpoſtero vſi conſilio, dum ſilent vbi loquendum eſt; vbi ſilendum, loquuntur, & tacendo, & loquendo, & agendo iuxtà improuidi, leuitatis, & imprudentiæ pœnas dederunt. Diem certam profectioni dixerant: ſed ea profectione in poſterum dilata, hoſtium exploratores interim, qui in Cæſarianis caſtris amicitiæ ſimulatione liberè verſabantur, rem ad Gallos detulerunt. Cum item animaduertiſſet Emmanuel Philibertus longiùs abeſſe Gallos; ne ad illos defatigati equites peruenirent, mandarat, vt itinere confecto, paſſuum ſeptem, octoue millium, equites duomille & quingenti ſubſiſterent: mille, & quingenti ſenſim progrederentur, præmiſsis quingentis antecurſoribus, qui, quibus in locis eſſent hoſtes, quo pugnantium numero, quidue conſilij cepiſſent, perſpicerent, ſingulaque diligenter renuntiarent: quorum nihil omnino factum eſt. Solis occaſu è caſtris Cæſarianis diſceſſerunt equitum millia quatuor, & cum ijs Belgæ Principes multi, Benicurtius, Boſſuuius, Epinoes, Ariſcotius, Megas, Arembergius, Rentius, Bergues, alijque propè omnes, præter Auſtratium, qui rem quidem totam probabat, ſeſeque illis comitem addere magnoperè cupiebat; ſed eũ aduerſa valetudo detinuit. Addentem ijs equites Hiſpanos leuioris armaturæ Emmanuelem Philibertum exorãt, ne quẽ externum ſuis admiſceat: fortitudinis ſuæ fiducia decepti, reiq; militaris ſcientia elati victoriam ſibi deſpondent: hoſtiũ conſilia, vireſq; vel imprudenter non expendunt; vel temerè deſpiciunt: neque æquum cenſent facti illius quenquam eſſe participẽ, cuius ſoli Belgæ ſint auctores. Tota noctè iter faciunt, diuiſo tantùm in agmina duo toto equitatu, paruoque admodùm inter vtrumque agmen ſpatio relicto. Memorantius, qui Cæſa-

Emmanuel Philibertus eos prudenter monet.

ria-

Galli in inſidijs collocati.

rianorum conſilia per exploratores cognouerat, peditum decem millia ex omnibus copijs delecta, in partes duas diuiſa propè nemus quoddam locis idoneis, quà tranſituri erant Cæſariani collocat. campeſtria tormenta plura, ſecundum viam diſponit, equitum quinque millia educit: cæteraq́ue quæ ad prælium committendum vſui futura erant, conſtituit. Præmiſſis circiter octingentis equitibus ipſe cum alijs ſubſequitur, ſperās peditibus, & equitibus ſuis intercludi Cæſarianos, atque ab omnibus partibus circumuentos deleri poſſe. Sed fortè accidit, vt, qui præmiſſi à Memorantio fuerant, properandi ſtudio gentis illius animis natura inſito, qui moram pati neſciunt, longiùs à ſuis progrederentur, atque in Cæſarianos, qui parato ad dimicandum animo veniebant, inciderent. Belgæ igitur pugnandi cupiditate accenſi, Gallorum paucitate deſpecta, fortiter in eos impetum faciunt, agmen eorum aggrediuntur, multos cædunt, reliquos facilè fundunt, fugantq́ue. inſtantibus acriùs atque cedentes audaciùs inſequentibus; pedites, & equites Galli qui propter viam collocati erant, cum hoſtes nondum in inſidias intraſſent, ſe ſe oſtenderunt. tum Cæſariani re im-

Belgæ funduntur.

prouiſa perturbati, qui victoriæ lætitiam iam animis pręceperant, & præter expectationem cogitationemq; accidebat, vt vndiq; circumuenti in maximum periculum ſe ſe temerè com miſiſſent; dum ſe colligunt parumperq́ue conſiſtunt, vt paullatim pedem referant atque ſe ſe recipiant, initio fugæ à calonibus facto, quorum magnus erat numerus, omnes terga verterunt. Memorantius inſidias timens, quòd Cæſarianorum fuga præter opinionem ipſius acciderat, ac nondum perſpexerat, qua de cauſſa ſe vertiſſent, & loco ceſſiſſent, longiùs fugientes perſequi cum omnibus copijs non eſt auſus: quę res illis re-

Emmanuel Philibertus fugientes excipit.

medium attulit, ne vniuerſi delerentur. nam Emmanuel Philibertus de ſuorum ſalute ſolicitus, ea re nuntiata, opportunè ſubſidio profectus eſt. Hiſpanorum duo millia, & plures equitum leuioris armaturæ turmas, & cohortes Egemontij, & Ryi, & Orangis celeriter eduxit: Belgaſq́ue fuſos, ac fugatos, cum acriùs ab hoſtium equitatu premerentur, medio fermè itinere

ex-

excepit. Eo prælio ex præfectis Belgis Ariſcotius viuus in hoſtium poteſtatem venit. Epinoes mortuus eſt ſine vulnere, vt fama fuit, æſtu laſſitudineque confectus. deſiderati ſunt præterea equites circiter ducenti: vexilla ſex amiſſa. ex Gallis, amplius centum interfecti; capti præfecti duo Roccaguion,& Ganaples: Vexilla quatuor relata; vt non multò maius acceptum à Cæſarianis, quàm illatum detrimentum eſſe videretur. Emmanuel Philibertus Belgas eo tempore non tàm reprehendẽdos, quàm confirmandos putauit, ne ſe animo demitterent: ſperauitque pugnæ illius euentum ſatis eis documento futurum, ne tantos ſibi ſpiritus ſumerent, neúe facilè poſthac à ſalutaribus conſilijs diſcreparent. Augebantur in dies Gallorum copiæ, euocata nobilitate omni, aduentantibuſque Heluetijs, & magna Aquitanorum manu: conſtabatque, interim coëgiſſe Regem peditum trigintamillia,equitum amplius duodecim. Quibus cognitis Emmanuel Philibertus, cum in caſtris peditum tantummodò decem, & octomillia, equitum circiter ſeptem haberet, veritus ſi hoſtes eo in loco expectaſſet,quòd plurimum equitatu valebant,ne frumento, commeatuque prohiberetur; diſcedere inde conſtituit; atque ad Miramontem ſecundis caſtris peruenit. neque ibi diu commoratus,quòd erant circum oppidum permulti colles, alter altero editior, è quibus magna accipi detrimenta poterant: quòdque exercitus aquari tutò non poterat, antequam hoſtes aduenirent, caſtra mouit. ne, ijs appropinquantibus, non ſponte, ſed coactus receſſiſſe videretur. quod ſi accidiſſet, maximè ad minuendam exiſtimationem ipſius, & virtutis opinionem pertinebat: néue in difficultates delaberetur, in quas incurriſſe ſciebat eos, qui viribus infirmiores, imminente, attentoque hoſte caſtra mouiſſent. Aberat non longè à Gallorum præſidijs Cæſarianæ ditionis oppidum Beapalmium. eò cum veniſſet Emmanuel Philibertus; ſitumque diligenter perſpiciens animaduertiſſet, munitionem cœptam quidem eſſe,ſed nondum perfectam; locum per ſe infirmum valido militum præſidio firmat. huc tormenta aduehi, frumentumque abundè comportari iubet. Torlonium

Eos cõfirmat.

Emmanuel Philibertus Caſtra mouet.

In Beapalmium præſidium mittit.

magnæ virtutis, magniq́ue conſilij virum oppido præficit. peditum tria millia, equites centum ei attribuit; vt oppidum eo præſidio tueatur. ſi quid durius acciderit, ſe ei ſubſidio venturum, atq; in tempore affuturum pollicetur. Ipſe cum exercitum adhuc in finibus hoſtium habere cuperet, neque oppidum vllum Gallorum Creuecoreo propius eſſet; facilè illud occupare poterat. Sed illuc ſi proficiſci vellet, ab Arteſiæ finibus, & à Beapalmio longiùs diſcedendum erat. Ad hoc verò oppidum ſi Rex poſtea cum exercitu acceſſiſſet, ac magno conatu oppugnandum cenſuiſſet; neque ſatis à ſolis præſidij militibus defendi, neque obſeſſis,ob locorum diſtantiam commodè ſubſidia mitti poſſe intelligebat: vt verendum eſſet, ne cum pari detrimento ac dedecore amitteretur. Itaque ad oppidum

Caſtrorum ſitus. Remim copias adduxit, atque ibi caſtra loco idoneo poſuit, muniuitq́ue. Ea Beapalmio non longiùs aberant millium circiter decem interuallo. Caſtra igitur Cæſariana poſt tergum Atrebates habebant: ad frontem Cammeracum, & Duacum ipſius Cæſariani imperij ampliſſimas ciuitates; vt vlla ratione intercludi commeatu non poſſent. Subluebant item ea caſtra riui duo à dextra,& à ſiniſtra parte,ex vberrimis fontibus fluentes; opportuniſſimi ambo neque tamen vterq́ue ſemper neceſſarius. dum enim ad alterum tantummodò liber eſſet aditus, nihil erat, quòd de aquæ copia laboraretur. tantum autem alter riuus ab altero diſtabat, vt eodem tempore prohiberi vtroq́ue Cæſariani non poſſent, niſi Galli exercitum temerè in partes duas diducerent: quarum altera alteri, ſi vſus poſceret,niſi magno temporis ſpatio ſubuenire non poſſet. Poſt biduo quàm

Gallorū Rex ad Beapalmium. Emmanuel Philibertus è Miramonte diſceſſerat, Gallorū Rex aucto Heluetiorum auxilijs exercitu, eòdem peruenit: & ſemel, atq, iterum ad perſpiciendum Beapalmij ſitum profectus eſt: atque eo tempore egreſſi oppido præſidij milites, leuiq́ue accenſo prælio rem præclarè geſſerunt,præ cæteris verò centu-

Cæſar familiarē ad Emmanuelem Philibertum mittit. riones Hiſpani duo fortiſſimi Robles & Zuniga. Cęſar tametſi crebertimas litteras & nuntios accipiebat,ex quibus quid in caſtris quotidie gereretur, ſimulq́ue rerum omnium conſilia co-

gnoſcere poterat, neque minùs perſpectam habebat Emmanuelis Philiberti diligentiam & fidem quàm virtutem & fortitudinem, tamen cum plerumque in ijs rebus quarum ſolicitudine vrgemur, paullò curioſiores ſimus, cognito Regis ad Miramontem aduentu, illicò familiarem ſuum Andalotum ad Emmanuelem Philibertum mittit. Mandat vt caſtrorum ſitum diligenter perſpiciat, copias omnes recenſeat, de militum numero certa, & explorata referat, quæratque an relicto Miramonte illuc Emmanuel Philibertus cum exercitu profectus ſit, quòd fortè equitatus, ob acceptum ſuperioribus diebus incommodum, nondum ſeſe ex timore receperit. Ex conuocato itē concilio, nec non ſeorſum à ſingulis quæri iuſſit, quid quiſque de ipſius in caſtra aduentu ſentiret. cum enim valetudine non bona vteretur, nihiloſecius tamen magni animi Princeps, & bello gerendo natus, ad veniendum, quàm ad manendum, erat propenſior. Plures fuerunt ſententiæ, neque concordes. de loco, de tempore, & de re ipſa variatum. nec enim idem ſtudium in Cæſarem omnibus, nec eadem omnium prudentia. Emmanuel Philibertus, quid cenſeret non aperuit: ſed rem integram Cæſaris iudicio reſeruandam putauit: quòd intelligeret, vbi is, quæ volebat de caſtrorum ſitu, atque de hoſtium & ſuorum viribus planè cognouiſſet, neminem ipſo melius pro re ac pro tempore conſilium capturum. Quòd ad Miramontem caſtra non habuiſſet, ſe eiſdem cauſis quas ſupra commemorauimus, compulſum fuiſſe affirmauit. De timore equitum præfectos ſingulos ſeparatim interrogandos dixit. quod cum ab Andaloto fieret, vnuſquiſque, vt humana fert conditio, vitia tegere, virtutem oſtentare: quòd paucis ante diebus aduerſum prælium factum eſſet, alij fortunam accuſare, alij calonum perturbationem: nonnulli ſe ſe à culpa eximere, in alium transferre. omnes autem animi fortitudinem, pugnandique cupiditatem, vt incommodum acceptum virtute deleretur, præ ſe ferebant. Sed longè ſecus ſentiebat Emmanuel Philibertus nam ab eo die quo male pugnatum eſt, animaduertebat longè ab eis abeſſe illam animi incitationem atque alacritatem for-

Quæritur an Cæſari veniēdum in caſtra

Belgarum timor.

tibus viris naturaliter innatam, quæ pugnæ ſtudio incendi ſolet. quin etiam perſuaderi nemini poterat, nec militibus nec præfectis ipſis, vt vllis locis conſiſteret exercitus ex quibus hoſtis ne procul quidem videri poſſet: quamuis caſtra idoneo loco poſita, magnis etiam operibus munirentur. Benicurtio, & Boſſuuio, qui magno loco nati magnam etiam habere rei militaris ſcientiam exiſtimabantur, ſi Galli propiùs acceſſiſſent, non videbatur, in ijs manendum caſtris, ſed Marquiuium oppidum continuò petendum: quod ſanè per incommodè accidiſſet. abſcedentibus enim longiùs Cæſarianis, & ab eis tacita quædam exprimi videbatur timoris confeſſio: & Beapalmium neq; magno militum præſidio, neque manu opereque ſatis; munitum, ſi oppugnaretur, quin in hoſtium poteſtatem veniret, dubitandum non erat. Per eos dies Carolus Emmanuelis Philiberti pater Vercellis cum eſset, cumque diutiſsimè vitam in maximis curarum moleſtijs, ſummaque ſolicitudine traduxiſset, quo tempore poſtea virtutis, rerumque à filio geſtarum fama, quæ longè lateq; percrebeſcebat, ad maximam ſpem animum erexerat, in febrim incidit. ea diu iactatus, atque in dies grauiùs, ſibi mortem adeſse intelligens, æquiſſimo eam animo tulit. nihil enim quod ad pietatem Chriſtianam pertineret, omiſit. ſenſibus vſque ad vitæ finem integris: ſæpiſsime verò extremo ſpiritu Ieſum Chriſtum demiſiſſimè appellans: ea in voce animam efflauit. Cæſar primus de Caroli interitu nuntium accepit: atque de eo cōfeſtim Emmanuelem Philibertum per familiarem ſuum, & litteras, quibus eum conſolabatur, certiorem fecit. vetuit enim eum de patris morte ſolicitum eſſe, quoniam, quòad ipſe vixiſſet, pater ei non eſſet defuturus. Is grauiſſimè eo nuntio commotus eſt: & doloris cauſſæ non leues, pluresque; iacturæ magnitudo, ſingularis in patrem filij pietas, vis naturæ, aſſidua paternæ in ſe charitatis recordatio, ætas nondum planè robuſta, neque ad caſus grauiores perferèndos ſatis idonea, mite iuuenis, & clementiſſimum ingenium. itaque in eius animo maximus dolor, & acerbiſſimus ſenſus. ſed maior prudentia: qua temporis remedium anteueniens, fortiter dolori reſtitit. Lectis

Carol. Dux Sabaud. moritur.

Cæſaris in Emmanuelē Philib. beneuolentia.

Cæ-

Cæſaris litteris, cognitaque optimi parentis morte, properè ſe in tabernaculum recepit: eoque tantùm die neminem admiſit. poſtridie aditus ad eum liberè patuit: ipſe verò multo iam die in publicum prodijt funebri veſte: quod ſuorum nemini, quā-diu in caſtris fuit, præterquàm Fenio familiæ præfecto permiſit. Cæterùm, nihil de militari ratione imminutum, nihil de priſtina conſuetudine immutatum. priuata calamitas curæ publicæ, domeſticus mœror imperatorio muneri ceſſerunt. An fleuerit, incertum: fleuiſſe nonnulli opinati ſunt, ijs de cauſis, quas ſupra commemorauimus, quòdque in amiſſione amatæ rei, charæque non facilè lachrymæ teneantur. Alij ſecus, quòd mœrere, dolere, angi à nemine viſus ſit: quòdque priſtinam frontis, oculorum, oris totius, ſermoniſque, atque in primis animi conſtantiam, ipſis etiam luctus diebus oſtenderit. Nam eodem tempore, cùm animaduertiſſet, caſtra indiligentiùs eſſe munita, & qui eius rei curam ſuſceperant, multum de priſtino ſtudio remiſiſſe: ijs ad ſe vocatis, liberè eorum incuriam increpauit; iuſsitque omnem diligentiam adhiberi, vt primo quoque tempore munitiones perficerentur. vti operarum numerus duplicaretur, mandauit, plures operi præfecit. ipſe quoti diè intereſſe, acres & induſtrios laudare, remiſſos & ſegnes caſtigare; inſtare, vrgere, quòad caſtra vallo foſſaque circundata ſunt, magnis firmisque propugnaculis ad latera extructis. Pridie verò quàm Andalotus ad Cæſarem rediturus è caſtris diſcederet; copias omnes expeditas armataſque eduxit, atque acies inſtruxit: vt viſa, non audita tantùm Cæſari renuntiaret. Sed res alio cœpta conſilio commodè, opportuneque viſa eſt accidere. cum enim exercitus expeditus, in armis eſſet, nuntiatum eſt Gallos cum toto equitatu, magnaque peditum parte appropinquare, iamque in oppidi Beapalmij conſpectum perueniſſe. Emmanueli Philiberto in primis cauendum erat, nè hoſtes oppido potirentur: cauendum item non minus, ne cum ijs, qui tantum equitatu valebant, tantoque peditum numero ſuperiores erant, niſi æquo loco opportunoque tempore confligeretur. Totius autem rei conſilium hac ratione explica-

Emmanuelis Philiber Conſtantia.

Emmanuelis Philib. conſilium.

batvt Cęſarianæ copiæ omnes vſque ad iter medium, quod inter caſtra & oppidum intercedebat, placidè procederent; ibique ſub ſignis acie inſtructa conſiſterent. Si hoſtes oppidum oppugnarent, vt præſentia ſua eos detterret, oppidanis animũ adderet, eiſque cum opus eſſet ſubſidium ferret. Sin relicto oppido, parato ad dimicandum animo ſeſe ad eum conuerterent, vt omnino pręlio decertaret. Quamuis enim numero multis partibus eſſet inferior; animaduertebat tamen nonnihil adhuc itineris hoſtibus ſupereſſe antequàm ad eum peruenirẽt; quod iter æſtuoſa, & puluerulenta via patentibus campis ſub ardente ſole conficiendum eſſet. Ad hæc, longius eos ab aqua progredi neceſſe erat: & dies iam in veſperum inclinabat: vt defatigati laboreque, & ęſtu confecti, cum recentibus & integris iniqua conditione eſſent pugnaturi. Quibus de cauſſis permoti Galli, eo die prælij fortunam tentare noluerunt: ſed ad Beapalmium relictis poſt ſe Emmanuelis Philiberti copijs caſtra fecerunt. Is quid hoſtes cæpturi eſſent, incertus erat, oppugnandum ne oppidum, an obſidendum cenſerent. Sed coacto concilio, omnes in eam venerunt ſententiã: Torlonio oppidi præfecto perſcribendum eſſe, quibus ſignificationibus vſuri eſſent, ad aperienda ei non minus ſua, quàm hoſtium conſilia: vt cum Galli muralia tormenta producturi eſſent, vel ea emiſſuri, vel ſe in foſſam demiſſuri, vel inuaſuri mœnia, vel cum laborare commeatus, cæterarumué rerum inopia inciperent, vel inde receſſuri eſſent: aut contra cum Cæſariani inde vbi conſtiterant, diſcedere, progrediué, vel leue prælium accendere, vel caſtra Gallorum oppugnare, vel ſuis laborantibus ſubſidium ferre vellent: aliud vno maximo tormento diſploſo, aliud duobus, pluribuſué, aliud fumo, aliud ignibus, aliud ſublato, expanſoque & circumacto linteo, aliud alia ratione ſignificarent. Sed circumdato vndique ab hoſtibus oppido, qui has litteras, mandataué ad Torlonium perferret, ſummumque vitæ periculum ſubire vellet, pluribus vocatis Centurionibus, militibuſque, quorum magna erat in exercitu virtutis opinio, reperiebatur nemo. Itaque res quæ magnam difficultatem habebat, non

Galli ad Beapalmium.

faciliè explicari poſſe videbatur. Sed Emmanuel Philibertus, cum ei in mentem veniſſet fortiſſimus iuuenis Andreas Prouana, pleniore voce, habebo, inquit, ego literas & mandata qui perferat: neque mea me fallet opinio. poterit hic quidem in itinere intercipi, vel ei vita eripi: ſed nullo periculo metuuè perterritum, magno atque alacri animo munus hoc ſuſceptu-rum confido. tùm Antonius Auria acceſſitum protinus in concilium Prouanam interrogat, an auſurus ſit ad Torlonium præfectum in oppidum peruadere: periculi adoleſcentem admonet: prædicit penetrandum per medias Gallorum acies in oppidum, vel excubias fallendas, vel ſi deprehenſus & agnitus ſit, mortem fortiter oppetendam: nam hoſtium miſericordiam longè ei abſuturam. Prouana reſpondet, ſe periculum omne optimè prouidiſſe, neque eo commoueri. de rei futuræ exitu nihil habere quod ſpondere poſſet: de voluntate verò ſua, & cura, & ſtudio ſe omnia libenter polliceri. quare negotium ei mandatur: alacriterque ſuſcipitur. Poſtridie ante lucem armatus grandem equum, fortemque conſcendit, arma, & Cęſarianorum inſigne rubrum, quod neque dimittendum, neque albo ad fallendos hoſtes mutandum cenſuit, penula contegit: ſumptoque grandiore petaſo, cuiuſmodi Galli vtebantur, probè diſſimulans, & res alias agens, paullatim progreditur. obuios hoſtes Gallica lingua, cuius non erat ignarus, ſalutat: atque ita ſine vlla ſuſpicione inter Gallos verſatur, vt à nemine agnitus, & facilè pro Gallo probans, ad oppidum tutò peruenit. aperta receptus porta literas præfecto reddit, & mandata exponit. Die poſtero Emmanuel Philibertus, vti conſtitutum erat, magnum numerum peditum, equitumq; ad hoſtium caſtra accedere, clamorem tollere, & caſtrorum oppugnandorum ſimulatione tumultuari iubet, vt eos ad pugnam eliciat. Egrediuntur plures equitibus admiſti pedites, leue prælium committitur: quo accenſo, & in eo occupatis Gallorum animis, emittuntur eodem tempore ex oppido cohortes multæ: cum quibus permiſtus Prouana, dum ſubmittuntur auxilia, & augentur vtrimque copiæ, facilè ad ſuos incolumis ſe recipit.

Andrea Prouana virtus.

In milite, præſertim tyrone, animi fortitudo ſemper per ſe laudabilis: ſed tum propè admiranda, cum felix. quare is arduo negotio ex ſententia confecto rediit omnibus acceptiſsimus: Emmanueli Philiberto eò acceptior, quòd militis, & familiaris laus ad herum, & imperatorem redundabat. Galli tàm propinquo hoſte, tàmq; perito eius imperatore, ex cuius militari ſcientia, fortitudineque magna detrimenta accipere poterant, oppidum Beapalmium, quamuis imperfectis eius munitionibus, neque oppugnandum, neque obſidendum putarunt. Itaque inde ſublatis ſignis, improuiſò diſcedentes ad Miramontem reuertuntur; & cum nihil adhuc ex ſententia ſucceſsiſſet, noua conſilia capiunt, aliaſque vias tentare conſtituunt; Cameracum verſus proficiſcuntur. Emmanuel Philibertus celeriter caſtra mouet: cumque iam antea cohortes ſex Cameracũ miſiſſet; cognitis hoſtium conſilijs ſine mora loci illius præſidium auget; eòdem Benicurtium cum alijs octo cohortibus, & cataphractorum turma proficiſci, atq; oppido præeſſe iubet. Quo die Galli è Miramonte diſceſſerunt, magnis coortis imbribus iter nullo ordine fecerunt, & tormenta cœnoſa via, ægrè, ſeroq; vecta, at Beapalmio egreſsi præſidij milites nouiſsimũ agmen conſecuti, morari illud & carpere cœperunt; cumq; conſiſtere coëgiſſent; leui prælio dimicatum eſt; quo multi interfecti, plures capti, direpta propè omnia Vandomij impedimenta. Emmanuel Philibertus cum omnibus copijs ſecundis caſtris Boucenium oppidum, propè Cameracum millia paſſuum quinque peruenit. Cumque cognouiſſet hoſtes eo conſilio paullatim progredi, vt Cameracum oppugnarent: præter priores copias, & eas, quas Benicurtius adduxerat, Arembergium preterea cum ſuo peditatu, & equitibus ſexcentis in oppidum mittit, vt facilius aucto eius præſidio defendatur. tùm oram illam percurrit, vt caſtris locũ idoneũ deligeret. Ea de re magna fuit, nonnunquã inter primos Cæſarianorũ ordines diſſenſio, neque enim Boſſuuio, Auſtratio, Egemõtio, Glaſonio ſatis cum Ryo, & cum Antonio Auria conueniebat: dũ illi nimis periculo quantulocunque commouentur, & quæ tuta ſunt, pro-

Galli è Beapalmio diſcedunt.

Cameracum proficiſcũtur

Camera: præſidium augetur.

bant; hi fortia, & honeſta: ac tanta erat in vtraque parte ingeniorum diſsimilitudo; vt etiam ſæpe dum inter ſe contendunt, ad magnas altercationes deſcenderent; vereretur que Emmanuel Philibertus, ſi res emanaret, ne totis caſtris militum animi perturbarentur. Rex Gallus poſitis ad Creuecoreum oppidum caſtris; ad perſpiciendum Cameraci ſitum, quod à Creuecoreo paſuum duobus millibus, & quingentis diſtabat, cum Memorantio profectus eſt. tum produci tormenta, quæque ad oppidum oppugnandum vſui erant, comparari iubet. Ea re permotus Benicurtius qui in loci præſidio erat, ab Emmanuele Philiberto petit, vt ad ſe manum peditum Hiſpanorum mittat. Iam diductæ nimis erant Cæſarianæ copiæ, multis cohortibus Beapalmij relictis, pluribus Cameracum miſsis: neq; quòd Rex in ijs locis cum exercitu erat, vlla ratione reuocandæ videbantur. itaque rem ad Cæſarem defert, cumque per litteras conſulit, quid faciendum cenſeat. Cæſar reſcribit, nihil addendum. poſſe enim oppidum ſex mille peditibus, & equitibus amplius ſexcentis optimè defendi ſi virtus adſit. poſſe etiam in campis longe maiorem hoſtium multitudinem ſuſtineri. quòd ſi deſit, fruſtra de viribus augendis eos laborare. neque enim ampliorem numerum timidis, & ignauis quicquam profuturum, quamuè non haberent virtutem, additurum. Emmanuel Philibertus exercitum ad Maynum pagum, propè vrbem Valentinianam adduxit, ibique quatriduum non admodum munitis caſtris, hoſtium conſilia circumſpiciens, conſedit. nam quoquò verſus ſeſe conuertiſſent, certum illi erat, ac decretum, eos perſequi, neque vmquam ab eorum veſtigijs longiùs abeſſe. Rex fecialem Cameracum miſit, qui eiuſdē nomine à Senatu poſtulauit, vt aduenientem iuberet oppido recipi, atque eius exercitum commeatu iuuari: præſertim cum ciuitas in tutela tantum Imperij Romani eſſet, & neutram ſe partem ſequi velle profiteretur. Senatus reſpondit, non eſſe ſui arbitrij, neque ſuarùm virium Regem in oppidū recipere, quòd ei Benicurtius cum magno pręſidio præeſſet, oppidanoſque, etiam ſi vellent, maximeque cuperent, prohibere poſſet,

Rex fecialem Cameracum mittit.

arma-

armatis inermes, militibus inquilinos, veteranis belli ignaros, inſolenteſque; non labori, periculiſue, ſed otio, & quieti aſſuetos. de commeatu ſpem nullam afferre, quoniam ciuitas, eo parcè vteretur, atque ob eius inopiam ne Emmanuelem quidem Philibertum iuuare potuiſſet, qui illuc à Cæſare cum valido exercitu miſſus eſſet, vt oppidum illud omni conatu tueretur, atque ab iniuria, & maleficio prohiberet. Rurſus eundem Rex paullò poſt mittit ad Benicurtium. petit vt ad colloquium prodeat. cum enim Imperij Romani nomine oppido præſit; ſi cupiat in eo permanere ciuitatem vt nullarum ſit partium, eius rei, per colloquia aliquam iniri poſſe rationem: Putabatur his mandatis Regem alia texiſſe conſilia: atque ſi Benicurtius colloquendi cauſſa oppido egreſſus eſſet, ad eum miſſum iri à Rege Memoranrium, qui omnem daturus eſſet operam, vt controuerſiæ minuerentur, ſaltemque eo tempore ab armis diſcederetur, quo videbatur Rex cupere, ab armis rem ad otium deduci, bellumq; æquis conditionibus finiri. Sed Benicurtius ſe oppido præeſſe nomine Imperij Romani liberè fatetur: quod tamen Imperium ad Carolum Quin. Cæſarem pertineat. negotium ſibi eſſe cum Rege nullum affirmat; negatque ad hoſtem Cæſaris armatum ſe iturum, ipſius Cæſaris iniuſſu, apud quem ſacramentum militiæ dixerit. monet autem etiam atque etiam videat, ne cum exercitu ad oppidum propiùs accedat cuius ipſe tutelam, defenſionemque ſuſceperit. nam, tametſi inuitum, coactum tamen, nihil maieſtati Regiæ daturum, ſed lege belli acturum, atque omnia contra hoſtem hoſtili animo auſurum. Ea denuntiatione nihil commotus Rex, poſtridiè manum militum circumire oppidum, & quàm proximè poſſint adire iubet, vt ſitum eius diligentiùs perſpiciant, & comperta certaque referant. itaque in eos & ab arce, & ab oppido emiſſa tormenta: quod ante eum diem Benicurtius faciendum non putarat, vt ciuitas ſeſe integram ſeruaſſe, & in nullam partem ſe mouiſſe videretur. emiſſæ item ex oppido cohortes plures, & equites; à quibus accenſo leui prælio diù, acriterque pugnatum eſt. ceciderunt ex Cæſarianis Scipio Ianuarius Neapolitanus, &

A Benicurtio petit, vt ad colloquiũ prodeat.

Benicurtius recuſat cũ Rege colloqui.

Leue prælium committitur.

Pe-

Pelus Belga magnæ virtutis & nobilitatis viri. viui in hoſtium poteſtatem venerunt comites Pondeuanius,& Archius,& Torlonij frater. Archius, dum amico Batteuillæ ſaucio ſubſidium fert, qui propè ab hoſtibus circumuentus, vix gladio ſeſe tuebatur, ipſe tametſi confoſſo equo captus eſt; Bateuillam tamen ex periculo eripiens ſeruauit. fortunæ iniuriam Archij virtus ſuperauit. nam illi maior fuit ex animi magnitudine gloria, quàm ex aduerſo caſu incommodum. Ex Gallis item ceciderc multi & genere, & fortitudine inſignes: propèque æquatum vtriuſque partis detrimentum. Nam hæc illius diei præfertur opinio, vt vtraque pars, ſe alteram ſuperaſſe, exiſtimaret. Benicurtius vel nondum ſatis ſibi eſſe præſidij ad oppidi defenſionem exiſtimans, vel aliquid moliturus, quo ex hoſtium detrimentis gloriam acquireret; ab Emmanuele Philibetto rurſus omnibus precibus petere contendit, vt ſibi quadringentos pedites Hiſpanos tormentis minoribus inſtructos, quamprimùm mittat. Conſulitur,& probat id Cæſar: concedens quod paullò ante denegarat. cenſuit enim à ſe in Benicurtium omnis culpæ ſuſpicionem deflectendam. vt cum ei largè ſuppeditata fuiſſent omnia, ſi quid aduerſi accideret, facti rationem omnes ab eo repoſcerent, qui nulla iam excuſatione ſe tueri poſſet, ſibique ipſe defuiſſe videretur. Itaque miſſi, iuſſu Cæſaris Hiſpani, de improuiſo per medias hoſtium ſtationes: quà intermiſſæ erant in oppidum peruadunt: illucque præterea ſulfurei pulueris quantum opus erat, & pecuniam in militum ſtipendium important. Rex tametſi intelligebat Cameracum, & ſua magnitudine,& operibus, & firmiſſimo præſidio munitiſſimum, ægerrimè expugnari poſſe; veritus tamen ne aduerſariorum vocibus carperetur; obijcereturq; quòd inconſultè cœpiſſet,leuiter ab incæpto deſiſteret; nihiloſecius vallo oppidum cingi,munitiones inſtitui, pluta tormenta muralia è Perona adduci iubet: quo in oppido magna eorum copia ſuppetebat: vt eorum pars nihil loci illius iuſto diminuto præſidio inde educi atque aliò transferri poſſet. Quibus cognitis Emmanuel Philibertus caſtra mouet, & propiùs accedens ad prio-

Archij virtus.

Additur Cameraco præſidium.

Rex Cameraci oppugnationem tentat.

Emmanuel Philibertus propiùs accedit.

ra caſtra, quorum munitiones iam cœptæ erant, propè oppidũ Boucenium cum omnibus copijs peruenit: neque ibi diù conſedit. Nam animaduerſis nonnullis loci illius vitijs locum alium ab eo paſſus circiter mille diſtantem, ac pro rei neceſſitate magis opportunum muniri iuſſit, atque illuc exercitum perduxit. Præfecti Belgæ in eam venerant ſententiam; vt ſi hoſtes ad caſtra pugnandi cauſſa veniſſent; ijs relictis, trans flumen Cęſarianæ copiæ ſeſe reciperent, flumen ipſum pro munitione hoſtibus opponerent, tormentis militumque præſidijs ſecundum ripam collocatis, eos illius tranſitu prohiberet, eminuſque meliore conditione pugnarent. quod tamen neque Emmanueli Philiberto, neque Antonio Auriæ perſuaderi vlla ratione pôtuerat. ſed cum eadem de re ſæpe diſputatum eſſet, quæ acta in concilio fuerant præfectis Belgis inter epulas inconſideratè excidebant: eaque ſubitò ad hoſtes ab exploratoribus excepta deferebantur. Ii exploratores quamuis & eſſent plures, & iam inde ab huiuſce belli principio inter Belgas aſſiduè verſarentur, nunquam tamen deprehenſi fuerant, ſed ne ſuſpecti quidem. quòd, quantum his calliditatis, verſutiæque ad decipiendum ſupererat; tantum illis ſolertiæ deerat ad cauendum.

Rex Cameraco diſcedit re infecta.

Itaque Rex, appropinquantibus Cæſarianis copiis, oppugnationem dimittit: ne temerè ſe periculo committat, neuè, dum oppidum oppugnat, ab hoſte poſt ſe relicto, & ab oppidi militibus intercluſus eodem tempore oppugnetur.

Rex ad caſtra Cæſariana.

Cum autem ſicut ab exploratoribus acceperat, Emmanuelem Philibertum viribus ſuis diffiſum, diſceſſurum putaret, ſi ad caſtra Cæſariana acceſſum eſſet: illuc proficiſci conſtituit: vt ſi forte eius aduentu moueãtur caſtra: in itinere impeditos ſub ſarcinis adoriatur, eos fundat, fugetque, vel ſaltem impedimenta diripiat: quod occupatis eodem tempore itinere, & pugna Cæſarianis, facilè fieri poſſe videbatur.

Emmanuelis Philib. diligentia.

Sed longè ab eo diſcedendi conſilio aberat Emmanuel Philibertus. nam, cum primùm dimiſſam Cameraci oppugnationem accepit, de Regis conſilio coniectura iudicans prouidit, eum vel oppidum aliquod, cuius non adeo futura eſſet difficilis expugnatio, tentaturum; vel ad ca-

ſtra

ſtra ſpe inductum falſa venturum. Quare propinqua oppida Canoes, Auenas, Landreſium magnis præſidiis firmat. nulla verò ratione abeundum, ſed in eiſdem caſtris omnino permanendum cenſet. omnia intento animo circumſpicit, vt Regis conſilia anteueniat, & ea, quantum conniti poſsit impediat: ſi ad ſe venerit, vt fortiter reſiſtat: ſin aliò ſe conuerterit, vt eum nullo interpoſito ſpatio ſequatur, neque vſquam tutò conſiſtere patiatur. Continuò Torlonium è Beapalmio, Benicurtium ex Cameraco, cum cohortibus, quibus præerant, euocat. tormenta magna, curante id diligenter Glaſonio Belga eorum præfecto, locis idoneis conſtituit. caſtrorum munitiones celeriter perfici iubet, milite ad opus illud impigro: Aloiſio Queſada Hiſpanos hortante: ipſis laborem nullum recuſantibus. ita ordinum omnium officia conſtitere. in imperatore conſilium, & prouidentia: in præfectis diligentia: in militibus ſtudium, labor, & alacritas. Iam peruenerant Galli propè Cæſariana caſtra millia paſſuum circiter quinque, ibique conſtiterant. Poſtridiè eius diei relictis impedimentis aciem expedito milite inſtruunt: in magna agmina copias diuidunt: equitatum ad latera diſponunt: atque antecurſoribus præmiſſis, cum muralibus tormentis caſtra verſus paullatim progrediuntur ea ſpe, vt neminem è caſtris pugnandi cauſſa egredi auſurum putent: ipſi tormentis munitiones pluribus locis diruant, & aliquo modo perrumpere nitantur. Quibus Emmanueli Philiberto per ſpeculatores nuntiatis, equum continuò conſcendit, ad munitiones accurrit, præſidia diſponit, quæ opus ſunt, diligenter parat. Qua ratione hoſtium impetus excipiendus, ſuſtinenduſque ſit, quo tempore pugnandum, docet. Dum cætera, quæ ad caſtrorum defenſionem, & ad arcendos hoſtes pertinebant, conſilio prouidet; veniunt ad eum Benicurtius, & Boſſuuius ſoliciti admodum anxijque. clamitare incipiunt, infirmo loco non eſſe expectandos hoſtes; caſtra non eſſe tuta ſed ne ſatis quidem munita: vt ſi Galli adueniant, ea facilè expugnare poſſint, vel muralibus tormentis munitiones diſijcere, indeque Cæſarianos exturbare. Iis autem deletis copijs,

Belgarū ſententia de diſceſſu.

O 2 nul-

Digitized by Google

Ab ijs diſſentit Antonius Auria.

nullum aliud Cæſari præſidium, quo ſe ſuaque ab hoſtium impetu tueri poſſit, reliquum fore. Contra Antonius Auria magnopere permotus, quid illis in mentem veniſſet ſe ſatis, inquit, mirari non poſſe, ac propemodùm obſtupeſcere. Viros fortes & rei militaris vſu peritiſſimos, ne in apertis quidem campis oportuiſſe prælij caſum extimeſcere (neque enim ſæpius copioſo exercitu, quàm paucorum fortitudine, & imperatoris virtute conſilioque ac bellica diſciplina victoriam partam) quantò minùs caſtris circundatos, & munitionibus tectos, & omni armorum, tormentorumq; genere inſtructos? tum ad Emmanuelem Philibertum conuerſus, pulcherrimam, inquit, occaſionem tibi ſeſe offerre video, qua victoriam hodie omniũ tuæ ætatis hominum clariſſimam conſequare, ſi ad oppugnanda noſtra caſtra hoſtes acceſſerint. quod tamen eos non auſuros certo ſcio: neque magiſtrum Gallorum equitum Annam Memorantium eò leuitatis, temeritatiſué proceſſurum, vt rei tam abſurdæ tamque mali conſilij Regi ſuo auctor ſit, atque eum in tantam rerum ſuarum perturbationem, ac periculum coniijciat. Quæ cum medijs in caſtris liberè dixiſſet, eaq; clariore voce vt magna pars militum exaudiret: veritus Emmanuel Philibertus ne ex diſſenſione præfectorum illorum turba fieret, aliquiſuè motus exiſteret: ad multitudinem militum qui adſtabant, conuerſus dixit, ſibi certum, & decretum eſſe inde nulla conditione diſcedere: daturumque operam, ſi Galli inconſultè caſtrorum oppugnationem tentarent temereuè progrederentur, vt eos citius quàm putarent ſuę amentiæ pæniteret. Cum autem Belgæ nondum acquieſcere viderentur, monerentque addendam eſſe caſtris ſaltem munitionem aliam quæ triduò perfici poſſet; deponenda nobis ſunt, inquit, in præſentia munitionum conſilia, & de prælio cogitandum, neque ligonibus ſarculiſque, ſed gladijs dextræ admouendæ, induendæ galeæ, diſtringendum ferrum, ſi noſtræ virtutis opinionem tueri volumus, & eam Cæſari operam nauare quam debemus. quæ cum præſenti ſanè animo, ardentibuſque oculis dixiſſet, viſæ ſunt omnium mentes mirum in modum conuer-

Emmanuel Philibertus controuerſiã dirimit.

Digitized by Google

ti: nam neque præfecti Belgæ contra hiſcere amplius auſi ſunt, atque in militum, preſertim Hiſpanorum animis ſumma alacritas, & pugnandi cupiditas innata eſt. Gallorum rex acie, vti diximus, inſtructa, caſtris Ceſarianis appropinquabat: neque longius ab eis mille & quingentis paſſibus aberat: cum leue accenſum eſt prælium ab ijs leuis armaturæ equitibus quos Emmanuel Philibertus ſpeculandi cauſſa emiſerat. Ijs aliæ turmæ ſubmittuntur, quibus aucta eſt pugna acriterque ac diù vtrimque dimicatum. Erat ad leuam in proximo cliuus, & in eo caſæ nonnullæ, vici inſtar, nomine Famalium. ibi quadringentos pedites Hiſpanos in inſidijs collocat, quibus Cacerem ſpectatæ virtutis Centurionem Hiſpanum præficit, & Aloiſium Queſadam pariter Hiſpanum addit. Inde tutus ijs, ſi hoſtes vrgerent, & facilis receptus in caſtra. ſin ſuccederent lentius: & locum ab incendijs eorum prohibere; & in eos facere impreſſionem per decliue facilè poterant. Animaduertit item tumulum, ad dexteram eſſe, qui ſi ab hoſtibus teneretur, ex eo tormenta in Cæſariana caſtra conijci poſſent. itaque Mendozam Hiſpanum Centurionem veteranum, magnæque fortitudinis ad ſe vocat: quid fieri velit oſtendit. Mendoza cum magna peditum Hiſpanorum manu, vti imperatum erat ad tumulum contendit, eumque aduerſante nemine, facilè occupat. mandat eodem tempore præfectis Belgis vt omnem equitatum educant, & ad caſtrorum latus conſtituant. His ex militari diſciplina conſtitutis rebus, Gallorum audacia comprimitur rei euentus eorum opinione durior, innatum inſitumque in eorum animis impetum retardauit, neque enim Cæſariani mouerant caſtra, ijſue incluſi aliqua timoris ſigna miſerant. nullæ in illis concurſationes, nulla trepidatio. non portæ obſtructæ, non ſublati pontes. quin etiam parte copiarum educta pugnandi poteſtatem facere videbantur, Sed interim equites Belgę contrà quàm mandatum erat paullò longiùs à caſtris proceſſerant, & præfecti nonnulli, vel cognoſcendi cauſſa quid ageretur, vel fortè pugnandi cupiditate à ſignis temerè diſceſſerant. hos omnes Emmanuel Philibertus reuo-

Leue prælium accenditur.

Hiſpani in inſidijs collocati

Equitatus locis idoneis conſtituitur.

canit: mandauitque Boſſuuio, & Benicurtio, vt equitatum ad priorem locum reducerent, neque iniuſſu ſuo indè recedere paterentur. Cum autem animaduertiſſet iam Gallos haud ampliùs vrgere pugnam, multumque de priſtina contentione remiſiſſe; ſuos ſimulatione timoris ſeſe paullatim recipere, pedemque referre iubet: atque omnia agere, vt in ſummam contemptionem hoſtibus veniant. Galli hoc acriùs inſtare, & cupidius inſequi cœperunt: ad duo equitum millia propè Famalium peruenerāt: cū ex inſidijs conſurgentes Hiſpani, Queſada & Mendoça peditatum Hiſpanum hortantibus, & fortiter inter primos dimicantibus, acerrimè in eos impetum fecerunt: defatigati longo labore Galli vim recentium Hiſpanorum non tulerunt. cumque principio non pauci reſtitiſſent, poſtea cedere, pleriqúe ac tergauertere coacti ſunt. Rex qui ſingulari diligentia quid quocunque in loco faciendum eſſet prouidebat, alios ex fuga excipit, alijs adhuc laborantibus magna peditum, & equitum agmina ſubſidio mittit: qui numero aucti paullò plus ſibi fidentes, atque incautius progredientes, propè Cæſariana caſtra perueniunt, ibique conſiſtunt. itaque Emmanuel Philibertus ſuis in caſtra reuocatis, in hoſtes ſtatim tormenta è vallo emitti iubet: plures interfecti, atque inter eos Centuriones octo: alijque quorum erat inter illos magna fortitudinis opinio, reliqui nullo certo ordine, magnoque cum ſtrepitu, ac tumultu celerrimè inde diſcedere coacti ſunt; inſequentibus Cæſarianis, nouiſſimoſque carpentibus & iter demorantibus. Rex diem vnum caſtris ſe tenuit vt militem ex labore reficeret. poſtridiè ad Caſtellum Cambreſium peruenit, indeque Samarobrinam, quæ Sanctus Quintinus dicitur, cum omnibus copijs profectus eſt. Cæſar interim cum Maria ſorore Valentinianam venerat: ibique haud multum moratus Emmanuelem Philibertum è caſtris euocat, iubetque ſecū Antonium Auriam & præfectos Belgas, Boſſuuium, Benicurtium, & Glaſonium adducere. ijs adduntur Atrebatenſium Epiſcopus, Prata, Barlemonius, & Auſtratius, qui tum apud Cæſarem erant, quique inter miniſtros, & præfectos Cæſarianos rerum vſu, &

Galli pelluntur.

Redeuntes caeduntur.

Rex cum ſuis copijs ſe recipit.

Cæſar Valentinianam.

conſi-

conſilio,& auctoritate plurimum valebant. Concilio coacto de reliqua belli ratione conſultatur. res quietiſsimè acta eſt, nulla altercatione verborum, nulla diſſenſione; ſed dictis pro cuiuſque ingenio & prudentia ſententijs, vno omnium conſenſu probatur decerni nihil de priſtinis inſtitutis immutandum, quoad certum ſit quid Rex conſilij capiat. Cæſar Bruxellas, Emmanuel Philibertus in caſtra reuertitur. Paucis poſt diebus cognoſcit, à Rege dimiſſos Heluetios, & alia nonnulla peditum agmina, remque Cæſari perſcribit. Cæſar per Andalotum quid fieri velit, ſignificat. per eundem Emmanuel Philibertus, quæ magis probentur, quæque ex rei ac temporis opportunitate potiora videantur, exponit. Suſpecta enim erant ei Gallorum ingenia ac, quamuis partem exercitus dimiſiſſent: aliquid tamen intra cutem vulneris ſubeſſe ſuſpicabatur. ſexcentos pedites Hiſpanos, & ducentos equites leuioris armaturæ dimittit dempto ex vna quaque cohorte, ac turma pari numero. dimiſsi item pedites omnes præfectorum quinque, Brederodæ, & Vonolij, & Norleti, & Auenæ, & Vandeuilæ. Arembergium Cameraci cum tribus peditum millibus, Torlonium Valentinianæ, Hiſpanos, & Germanos, & reliquos equites in oppidis propinquis, paullò maturius quã ipſe ſtatuerat, ex Cæſaris præſcripto, in hybernis collocat. his conſtitutis rebus Emmanuel Philibertus cum Antonio Auria, vti mandatum erat, Bruxellas ad Cæſarem proficiſcitur. Qua re cognita Galli cum nihil ſibi à Cęſarianis eo tẽpore timendum putarent, quos ſciebant iam in hybernis eſſe collocatos; rurſus copias repentè cogunt, fines Belgarum inuadunt, & vſque ad Atrebatenſium ſuburbana, cum nemo prohibendi cauſſa ſeſe opponeret, multis direptis vicis & ædificijs incenſis perueniũt. Ea quæ ſequuta eſt hyeme, manente inter Cæſarem & Regẽ diſſenſione, atque diſſidio, diſpares tamen diuerſæq; in vtroque ſententiæ. nam eo tempore Cæſaris de bello gerendo conſilia admodum lenta, Regis acria. ac quamuis occaſiones vtriuſq; multũ inter ſe diſſimiles; idem tamen ambobus finis: vt omni ſtudio vterque in id incũberet, quod magis ẽ re ſua futurum eſſe cenſeret.

Pars copiarũ dimittitur.

Galli in fines Belgarum excurrunt.

Cæſar

Britannia Regina Philippo Regi deſpõdetur.

Cæſar enim per Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem, Mariam Britanniæ Reginam Philippo Filio Hiſpaniarum Regi deſponderat: nuptiæ parabantur. adiungebantur populi multitudine propè innumerabiles, militari virtute clari; quorum Reges ſola inſulæ illius potentia freti bella cum Gallicis Regibus antea ſępe geſſerant, propagato potiùs imperio, quàm detrimento accepto. quòd ſi ex eo matrimonio liberi extitiſſent, Auſtriacæ familiæ florentiſſimum Britanniç Regnum acceſſiſſet. At Gallorum Rex detrimenta ſuperioris æſtatis ſarcire cupiens, magnas copias ſumma diligentia comparabat. Per eos dies autem, dum Ferdinandus Gonſaga in Subalpinis Vallem Fenariam oppidum munitionibus cingit; Galli nocte per inſidias Vercellas occupant, veteres Ducum Sabaudorum theſauros diripiunt, Sanmiguelium Hiſpanorum oppidique, præfectum in arcem compellunt. Sed aduenіente opportunè Gonſaga, Galli recedunt: oppidum, non toto vertente biduo, recipitur. Eius rei nuntius Emilius Bobba prid. Calen. Decemb. qui dies Diuo Andreæ ſacer eſt, Bruxellas peruenit. In eius diui tutela à Sequanis Ducibus pluribus abhinc annis inſtitutus eſt equitum ordo: qui ad colendam, imitandamque Iaſonis ſiue, vt alij malunt, Gedeonis virtutem, torquem aureum, & ab eo auream velleris aurei imaginem pendentem gerunt. Eius ordinis Princeps cum eſſet Cęſar, neque adeſſe poſſet valetudine impeditus; partes ſuas Emmanueli Philiberto impoſuerat, quem iam antea in eum ordinem legerat, quique tum in templo cum cæteris ſodalibus ſacrificio intererat, & cærimonijs, ſolemnijſque illius diei pro Cęſare præerat. cum autem inde reuocari, interpellariúe, aut aliquid triſte nuntiari vetuit Cæſar. Poſtea peracto ſacrificio, cum ad eum veniſſet, Vercellas, inquit, per proditionem amiſimus, atque eodem propè tempore recepimus. gazæ tuæ vetuſtæ iactura quidem facta eſt, neque ea leuis: ſed viri magno animo omnia ſua in ſe poſita ducunt, & caſus huiuſmodi virtute inferiores putant. Ad ea Emmanuel Philibertus, te ſaluo atque incolumi, Cæſar, nihil mihi moleſtum, aduerſumúe: ſecunda omnia, læta, iucun-

Galli Vercellas occupant.

Verba Cæſaris ad Emmanuel. Philibertum.

da. Vercellas autem non tàm amiſſas doleo, quàm gaudeo è veſtigio receptas. inde enim mihi bene ominari libet, ac ſperare, cætera quæ Galli nobis nec opinantibus occuparunt, non diutius in eorum poteſtate futura, ſed ad antiquum imperium tuis viribus, auſpicijsque breui tempore reditura. Quæ reſpondit, mirum in modum Cæſari fuerunt grata: cumque priſtinam in eo animi æquabilitatem, atque conſtantiam agnoſceret, ac mirificè probaret; poſtridie eius diei Quæſtoribus mandat, vt ſtipendium Emmanuelis Philiberti largè, ac liberaliter augeatur. *Stipendium eius auget.* Sic enim exiſtimabat Cæſar, quæcunq; oppido illo per inſidias occupato Galli eripuerant, non Emmanueli Philiberto deperiſſe, ſed ſibi. Is magis Cæſaris voluntate, quam compendio delectatus, confeſtim Andream Prouanam, quem cariſſimum habebat; cuiuſque fortitudinem, & fidem antea ſæpenumero fuerat expertus, ad ſe vocat; in Italiam, primo quoque tempore proficiſci iubet. *Prouana in Subalpinos mittitur.* mandat vt Vercellas cæteraque oppida quę reliqua erant, adeat: omnia diligenter perſpiciat: populorum vtilitati, commodiſque, quantum conniti poterit, conſulat: quæ opus ſint ad tuendos Subalpini Imperij fines, qui magna eorũ parte totaque Sabaudia amiſſa reliqui erant, ſumma cura prouideat. Interim Rex quieſcente Cæſare, animumque à bellicis cogitationibus ad domeſtica negotia transferente, magnas militum manus per otium coëgit: peditum circiter triginta ſex millia, equitum ad decem millia, tormenta magna quinquaginta. *Rex cum magnis copijs in Belgas.* Cum his copijs Belgarum fines ingreſſus, latè agros populatus eſt, maximas prædas egit, ædificia incendit. oppida duo Mariamburgum, Dinouantumque defenſoribus ad deditionẽ compulſis, in poteſtatem redegit. Latè vaganti, & Eburonum finibus, qui Legionenſes appellantur, imminenti, Emmanuel Philibertus cum viginti millibus peditum, equitum quinq; millibus raptim collectis, ſe oppoſuit. Namurcium haud magno ſpatio à Dinouanto diſtans contendit. Cæſar ipſe in caſtra venit; non quidem eo tempore prælio rem commiſſurus; ſed id ſaltem omni diligentia, ſtudioque conaturus, vt Regis copias à finibus Eburonum prohiberet. *Cæſar in caſtra.* Erat in eius exercitu Belga,

Hiſpanorum ſeditio.

ſummus rerū capitalium iudex, quem Præpoſitum appellant: hic Hiſpanos milites circiter duodecim, qui vicinis in oppidis aduerſus edicta ipſumque ius & fas, multa per vim, reclamantibus oppidanis, rapuerant, in maleficio deprehenſos, nulla interpoſita mora in arboribus ſuſpendi iuſſerat. Quare totus propemodùm peditatus Hiſpanus indignari primùm, & fremere: poſtea ſeceſſionem facere, furere, ad Cæſarem cum armis accurrere, domum eius circumſidere, vociferari, Præpoſitum ad ſupplicium & pœnam minaciter depoſcere, non ſanis prudentiorum commilitonum conſilijs acquieſcere, non ducum præfectorumuè aliorum dicto audientes eſſe, eorum auctoritatem atque imperium floccifacere.

Emmanuel. Philib. motū ſedat.

Ea re commotus Cæſar, Emmanuelem Philibertum ad eos miſit: qui homines blandè appellando, pollicendoque Prępoſitum, ſiquid iniuſtè egiſſet, pœnas daturum; qua plurimum valebat auctoritate & gratia, facilè militarem temeritatem ſedauit; atque impetrata eis à Cęſare audaciæ venia, vt omnes ad priſtinum officium redirent haud ægrè perfecit. Cognito Cęſaris aduentu, Rex Dinonanto caſtra mouet, quacunque incedit agros vaſtat, oppida diripit, direpta incendit.

Biniū à Gallis incenſum.

In oppido Bincio Maria Pannoniæ Regina domum regijs ſumptibus extruxerat, ſignis, tabulis, omnique inſtrumento, & lauta ſupellectile ornarat. hortos amœniſſimos adiecerat mira varietate diſtinctos. in ijs enim viæ plures longiſſimæ, directæ, opacę: violaria, arbores ordine in quincuncem diſpoſitę, nemora, riui, piſcinæ: nullum deliciarum genus deeſſe videbatur. quæ omnia miles iniecto igne conſumpſit; ſuperiorique limini inſcriptum reliquit, INSANA REGINA SOLAMBRVM MEMORIA REPETĘ. Ea fuerat perampla, & pulcherrima domus Gallorum Regum, mirificis operibus extructa, apparatuque regio exornata: in campis tamen apertis, neq; vallo neque munitione aliqua circundata: ad quam nonnumquam diuertere ſolebant, cum ex grauioribus curis ſeſe reficere, atque animum venatione vel honeſto otio leuare vellent. hanc Cæſarianus miles dum Reginæ imperio regitur, hoſtiliq; animo furit, atque omnia belli iure ſibi licere putat; diripit, di-

ruit

ruit, incendit. quod cum præcipuo Reginæ iuſſu factũ Rex ſuſpicaretur, donec par pari referret, non conquieuit. Cum autẽ Gallicus exercitus commeatus inopia laborare inciperet, Rex iter conuertit, atque per Artheſiæ fines ad oppugnandum Rentinum profectus eſt. Oppidum id Cæſariani malo, vel potiùs nullo conſilio munierant. neq; enim loci anguſtia magnas militum manus capiebat: neque adueniente cum exercitu Gallorum Rege, illud tueri ab acri impetu pauci defenſores poterant. itaque Cæſar præmiſſis in oppidum nonnullis lectorum Hiſpanorum cohortibus, Regem inſecutus eſt, vt eum ab oppidi oppugnatione omni conatu prohiberet. Cum autem Galli ad flumen quoddam perueniſſent non magnæ admodum latitudinis, ſed cuius tranſitum trino ponte coniunxerant; nouiſſimos ad citeriorem amnis ripam conſecutus Emmanuel Philibertus, immiſſo equitatu in eos impetũ fecit: & tranſire nullo ordine conantes, plures interfecit; plures alios, cum alter alteri locum præripere conaretur, & multitudine ſibi ipſi impedimento eſſent, pontibus decidentes vis fluminis abſumpſit. Rex vbi ad Rentinum peruenit, exercitum circumfundi iubet, in magna agmina diuidit, oppidum totum haud magni ambitus, copijs circundat, vti maxima tormenta producantur imperat, oppidi mœnia quatere incipit. Eodem tempore, cum Cæſar laborantibus ſuis quàm primùm ſubſidium ferre conſtituiſſet, neque pati vellet oppidum ſe præſente expugnatum in hoſtium poteſtatem venire; Emmanuel Philibertus expeditus anteceſſit, tribus tantùm ſecum adductis, Antonio Auria, Baptiſta Caſtaldio, & Benicurtio, vt locum idoneum caſtris deligeret. probantibus illis primum, qui ſeſe oculis eorum obtulerat, ipſe alium non procul inde abeſſe animaduertit natura opportuniorem ac magis idoneum, à Gallicis caſtris non longiùs mille & quingentis paſſibus diſtantem. Laudante verò cõſilium Cæſare, copiæ omnes poſtridiè illuc producuntur, ſigna transferuntur, caſtra ponuntur, magna diligentia muniuntur. Galli multas cohortes ſubmittunt, quæ Cęſarianos in opere occupatos adoriantur, & munitione prohibeant. itaque leuibus

Rex Gallus ad oppugn. Rentinum.

Galli in fluminis tranſitu caſi.

Emmanuel Philibertus ad inſpiciendum Caſtrorum ſitum.

prælijs pugnatum eſt vſque ad veſperum: paucis cæſis, multis vtrinque vulneribus illatis, & acceptis. Ex captiuis autem Cæſar comperit, Gallorum Regi eo die prima luce nuntium allatum, Petrum Strozam in Valle Clanis apud oppidum Martianum aduerſum prælium feciſſe: eiuſque copijs à Iacobo Medice Mediolanen. qui Cæſariano exercitui præerat, fuſis, ipſum ægrè cum paucis ſe eripuiſſe: quod poſtea vberrimæ litteræ à Coſmo Medice tunc Florentinorum poſtea magno Etruriæ Duce ad Cæſarem miſſæ poſtridie confirmarunt. Atque vbi victoriæ illius fama in Cæſarianis caſtris emanauit, maxima omnes lætitia affecti: quòd ea parte attritæ vires hoſtium eſſent: ac præter incommodum quod ij acceperant, euentus ille indicio eſſe videretur à Gallis ad Cæſarianos iam inclinantis fortunæ. Quare mentes etiam ad magnarum rerum ſpem erigebant, ex ea victoria alias victorias animo concipientes. Erat autem inter vtrumque exercitum collis, à ſuperiore parte ſilueſtris, aditu non facili: quòd alij aditus ab hoſtibus tenebantur: neque Cæſarianis relinquebatur acceſſus niſi per impeditam vallem, qua perduci acie inſtructa non poterat exercitus. Ex eo colle procliue Cæſarianis fuiſſet & hoſtes laceſſere, cum vſus poſceret, & ſuis qui Rentinum tuebantur ſubſidium ferre. Sed cum iam Galli occuparant, præſidiumque mille, & ducentorum peditum Aquitanorum impoſuerant. Itaque Emmanuel Philibertus ex Ferdinandi Gonſagæ ſententia, quam Cæſar probabat (Gonſaga enim non multò ante relicta Mediolanenſis prouinciæ præfectura vocatus ad Cæſarem peruenerat,) nocte linteatas cohortes ad collem adducit, præſidiumque ex ſaltu deijcere conatur. Sed luna claro lumine in aperta valle Cæſarianos oſtendente, & ſyluarum vmbris Aquitanos tegentibus, nihil ex ſententia ſucceſſit. itaque re infecta leuique accepto detrimento in caſtra ſe recipiunt. Poſtridiè præmiſſo peditatu Hiſpano, eique additis nonnullis cohortibus Germanis, & armaturæ leuioris equitibus, ac præterea aduectis campeſtribus tormentis, ad oppugnandum collem profectus eſt. Res acta eſt ſumma contentione dum Cæſariani ma-

Nuntij de Victoria aduerſus Strozam.

gna

Digitized by Google

gna virtute in ſuperiorem locum ex inferiore ſubeuntes, atque iniquo loco pugnantes in Aquitanos impetum faciunt, ac ſubmouere inde deturbareque eos omni vi nituntur: Aquitani fortiter reſiſtunt, locum tuentur, & Cæſarianis pedem referentibus ac per decliuè ſe recipientibus, audaciùs inſtant, & eos acriùs premunt. Sed ab iis tormentis quæ prolata diximus, magnis detrimentis acceptis, peruenientibusque in ſummum collem Hiſpanis, tandem pelluntur ac præcipites aguntur. Emmanuel Philibertus ex ſuorum numero paucis amiſſis, Aquitanis amplius quingentis interfectis, collem occupat. Carcerem centurionem fortiſſimum virum ad ſe euocat, quantum eius virtuti confidat paucis exponit, cum peditatu Hiſpano locum tueri iubet: ne ipſe inde recedat, neue ſuos vltra progredi patiatur imperat: ſe paullò poſt illuc rediturum, & quæ fieri velit, conſtituturum affirmat. Ad Cæſarem continuo contendit: docet quantoperè rei ipſius interſit, in poteſtate collem habere, Gallicis caſtris tam propinquum, vt indè tormentis peti poſſint, atque ad ea caſtra deſerenda facillimè compelli. Ad collis autem accliuitatem, & viarum aſperitates molliendas magnus operarum & militarium fabrûm numerus adducitur. ita breui ſpatio factum eſt, vt è caſtris ad ſummum collem & tormenta vehi, & adduci copiæ, atque è colle non ægrè in caſtra reduci poſſent. Animaduerſum eſt etiam, ſi Galli tormentorum vi ſua caſtra relinquere cogerentur, fieri poſſe vt multitudine freti, circumirent: & à tergo Cęſarianos adorirentur, atque impetu in eam partem facto, eos oppugnarent. itaque datum eſt Antonio Auriæ, & Benicurtio negotium, vt omnia diligẽter prouiderent, & eam maximè caſtrorum partem magnis munitionibus firmarent. Dum hæc ab Emmanuele Philiberto magna cura conſtituuntur, interim Ferdinandus Gonſaga, qui tametſi eo tempore ſine imperio erat, plures tamen annos Cæſarianis copiis præfuerat, & vir rei militaris peritiſſimus habebatur: cum in ſummum collis iugum perueniſſet, crebris nuntiis Cæſarem ſolicitat, vt ſibi aliquem peditum numerum, & tormentorum mittat: ſperare enim affirmat, ſe hoſtibus inſi-

Emmanuel Philibertus Aquitanos è colle eiicit.

Gonſaga leue prælium accendit.

gne

gne detrimentum allaturum. Mittitur Ioannes Nanſaus Belga cum Germanorum peditum quatuor milibus, & Comes Suacemburgenſis cum Germanis equitibus quadringentis: tormenta item campeſtria circiter decem aduehuntur: quibus omnibus voluntarij plures, & inermes non pauci viſendi ſtudio, vt plerunque communi vitio fit, admiſcentur. Gonſaga cui ſatis non erat collem tueri, qui loci natura & eo quod demonſtrauimus Hiſpanorum præſidio ab omni Gallorum impetu haud magno negotio defendi poterat, ac cuius opportunitas tanto vſui futura erat quantùm ſupra docuimus; copias è colle deducit: Hiſpanos qui optimè collocati erant, è nemore educit; & locum natura munitum poſt ſe relinquens, in ſubiectos, & apertos campos peruenit. Qua re animaduerſa Galli relicta Rentini oppugnatione maiora tormenta inde deducunt, magna peditum equitumque agmina conſtituunt, atque acie inſtructa paullatim Cæſarianis appropinquant. Redibat eo tempore ad collem Emmanuel Philibertus. ſed vbi videt ſuos minùs audientes dicto tutum locum reliquiſſe, atq; inconſulto nocendi hoſtibus ſtudio longiùs, quàm res pateretur, progreſſos eſſe; magna afficitur ſolicitudine. Animaduertit Gallos duces, eam ignominiam non facilè laturos, vt appropinquantibus hoſtibus continuò non occurrant; Cæſarianos verò iniqua conditione cum tanta multitudine pugnaturos. caſtra item longè inde abeſſe: vt neque in ea facilis eſſe receptus poſſit, neque ex eis auxilia commodè laborantibus ſubmitti. Quare quanta incommoda quantaq; pericula impendeant, animo circumſpicit. quibus tamen vt quacumque poſſit ratione medeatur, inuiſa eligit, & vndè ſuos auertere voluiſſet, eòdem ipſe proficiſcitur. Tantùm illuc peruenerat. cum prima Gallorum acies procurrere incipit: in quam Suacemburgenſis Comes cum ſuo equitatu fortiſſimè impetum fecit. plures Galli interfecti, ac tota acies propemodùm loco mota. nam alij nō ſeruare ordines, alij pedem referre, nonnulli prælio excedere cœperant, cum ſubmiſſis magnis equitum ac peditū Gallorum auxilijs prælium redintegratur. Comes ſeſe recipere cogi-

Cæſariani pelluntur.

tur:

tur: cæteri ſibi fuga ſalutem quærunt: initio fugiendi ab inermibus & voluntarijs facto. id animaduertens Emmanuel Philibertus, ad Germanorum agmen accurrit quibus Nanſaus præerat, vt eos in pugnam reduceret, ſuiſq; laborantibus ſubſidium ferret. Sed ij, fugientes conſpicati, timore perterriti neque cohortationes, neque preces audientes, vniuerſi terga verterunt. inſtantibus Gallis & audaciùs inſequentibus pedites Hiſpanos oppoſuit, quibus eorum impetum tardauit compreſsitque, & ſuos firmauit vt ſe ex timore colligerent. Ceciderunt ex Cæſarianis eo die circiter trecenti. vexillum equitum, & ſigna decem, & campeſtria tormenta quatuor amiſſa. paulò poſt Emmanuel Philibertus cum receptui cani iuſsiſſet, copias omnes colligit, ac citra collem in caſtra perduxit. Rex animaduertens quanto in periculo res amiſſo colle fuiſſet; ne ex eo ſua caſtra magnis hoſtium tormentis peterentur, miſſo magiſtro equitum Memorantio cum magno peditum equitumq; numero, ac muralibus tormentis, rurſus illum in poteſtatē redegit, aduerſante nemine: quòd omnes ſuos Cæſar in caſtra reuocatos egredi inde vetuerat. Ferdinandus Gonſaga & nonnulli præfecti Belgæ confeſtim Cæſarem adeunt: monent caſtra quàm primum mouenda, neque in eo loco diutiùs conſiſtendum: ac, quibus de cauſis in eam venerint ſententiam exponunt. Cæſar eorum oratione permotus, tamen deliberationem parumper differendam cenſet: & quæ ſecuta eſt noctè rem totam per ſe tacitus diligenter conſiderat. poſtridiè eius diei concilium conuocari iubet. aduenienti paullò ſeriùs Emmanueli Philiberto, quòd munitiones circumeundo, ſpeculatores ad hoſtium caſtra dimittendo, aliaque prouidendo noctem inſomnem duxerat, Gonſaga occurrit. Gonſaga à Philiberto morę, Philibertus à Gonſaga conſultationis illius cauſſam quærit. tum ille, deducendū indè exercitum affirmat, neque ibi diutiùs expectandos hoſtes, qui breui cū omnibus copijs ad oppugnanda caſtra venturi, neq; tantam benè gerendæ rei occaſionem amiſſuri ſint. colloquentibus illis, Antonius Auria interuenit: qui perſpectis diligenter munitionibus tum forte in caſtra

Rex Gallus collem recipit.

Cæſar quærit an mouenda Caſtra.

reuer-

reuertebatur, atque Emmanueli Philiberto, quæ vitia in eis animaduerterat, quidué addendúm, quid perficiendum eſſet, exponere incipit. tum Philibertus eum ingreſſum in ſermonē interpellans, omnem, aiebat, omitti poſſe munitionum curam, cogitationemq́ue, ſi extemplo caſtra mouenda eſſent vti Gonſaga ſentiebat. Dum inter ſe non leuiter diſſentiunt, reſq́ue longiùs diſputatione producitur, omnes eos qui in concilium admittebantur, Cæſar ad ſe vocari iubet. tum de diſceſſu: ac quò tempore, quoué modo id agendum ſit proponit, ſingulorumq; ſententias exquirit. Gonſaga primus, indè celeriter recedendum cenſet, omnemq́ue moram incommodam fore affirmat, quòd iam affuturi ſint Galli ſuperioris diei victoria ſublati: quibus Cæſarianus miles heſterni diei detrimento perterritus neque animum, neque vires ad reſiſtendum ſit habiturus. tùm rogatus Arembergius paucis additis Gonſagę ſententiam confirmat. nonnulli verò alij nullas cauſſas afferentes eadem probant, tacitiq́ue in Arembergij & Gonſagæ ſententiam eunt. Glaſonius de diſceſſu nihil immutat; quòd ad tempus attinet, illud addit, præmiſſis magno ſilentio impedimentis, noctè illinc abeundum. poſſe autem ignes multos in caſtris fieri, & defenſorum ſpecie calones in munitionibus ad fallēdos hoſtes diſponi. Vbi ad Antonium Auriam ventum eſt, ignoſci ſibi velle ait, ſi quæ ſentit liberè dicat. abſcedendi conſilium non probari ſibi multis, firmiſq́ue rationibus oſtendit, quas in medium affert, atque de eis copiosè diſputat. pleriq́ue omnes profectionis tempus vſque in noctem inſequentem producendum aſſerunt. Antonius Perenotus Atrebatenſium Epiſcopus Antonij Auriæ ſententiam probat, collaudatq́ue. Ioannes Baptiſta Caſtaldius nihil ad ea quæ agitata fuerant, reſpondet: dicit, auribus teneri lupum: atque vtrumque & manendi in caſtris, & abeundi conſilium magno diſcrimine non carere affirmat.

Varia præfectorum ſententia.

Emmanuelis Philiberti Oratio.

Reſtabat vnus Emmanuel Philibertus: qui vbi intellexit placere Cæſari vt quæ ſentiebat exponeret; in hunc modum loquutus eſt. In earum rerum conſultatione, quæ antehac propoſitæ ſint, quid quiſque ſenſerit, non magnopere laboraſſe:

alio-

Digitized by Google

aliorumque ſententiam, ſuæ præferri ſententiæ haud ægrè paſſum fuiſſe. nihil vindicaſſe ſibi: alijs multum, præſertim grauitate atque prudentia præſtantibus viris facilè tribuiſſe. nunc diuersè animum ſuum trahi, varieque affici: & ex eodem fonte moleſtiam haurire, & ſimul moleſtiæ medicinam petere. moleſtum eſſe, quòd cogatur à veterum præfectorum communi propemodum ſententia diſſentire. tutſus, vbi res ita poſtulet, atque nomini & ſaluti Cæſaris conſuli aliter omnino nequeat, nequaquam inuitum, ſed planè volentem libentemq; ab eis diſcrepare: cupere verò vehementer rationem ad veritatem reuocari: ac ne quis conſilio labatur, abſque vlla animi perturbatione deliberari. Conſuli, quærique, diſcedendum ne ſit, an in eiſdem manendum caſtris: imò ne id conſuli quidem. plures enim eſſe, qui omnino proficiſcendum, & iter noctu faciendum cenſeant. de ijs ſe non multa dicturum: quorum conſilium eiuſmodi ſit, vt nullum ab ipſo hoſte detetiùs, vel ad perniciem, vel ad minuendam Cæſaris gloriam afferri poſſit. Nam vt omittantur ſexcenta nocturni itineris incommoda, lāguor & vigiliæ militum, & quòd tenebris auferatur fortitudinis ignauiæque diſcrimen, & adimatur pudor, qui militem vel perterritum, ignauumque coërcere ſoleat, & in officio continere; qua ratione ſperent hoſtem falli, tàm propinquum, tàm attentum poſſe? an dubitent quin præclarum illud de ignibus, & defenſorum ſimulatione cōſilium ab ijs exploratoribus, qui in Cæſariano exercitu ab huiuſce belli initio incogniti verſati ſint & adhuc verſentur, vix dimiſſo concilio hoſtibus enuncietur? ij alienum timorem ſuam occaſionem putent, arma celeriter expediant, ad caſtra aduolent, atque in imparatos, diſceſſuque impeditos incidentes, omnia tumultu, ac terrore compleant? quòd ſi hoſtis ſponte quieſcat, an etiam contumelioſis vocibus eum parſurum putent, quin continuò exclamet priſtina amiſſa gloria fugere Cæſarem, paruo accepto incommodo adeo perterritum, vt interdiù ſeſe loco mouere non auderet? Qui verò aliquantò maiorem exiſtimationis rationem habentes, non quidem noctù diſcedendum, ſed in ijs caſtris diu-

tiùs non conſiſtendum, celeritatique ſtudendum cenſeant, eos nimirum eo periculo moueri, ne Galli ad ea oppugnanda properè veniant: neque caſtrorum firmitati, neque virtuti militum ſatis confidere. Sed eorum conſilium quem exitum habere? nam ſi hoſtes caſtra oppugnaturos putent, an ſperent cum abeuntibus prælium in itinere non commiſſuros? ſi verò diffidant militem ob heſterni diei incommodum timidiorem, caſtra natura loci & opere munita defenſurum; an confidant medio itinere ſub ſarcinis impeditum, æſtu, labore, inedia confectum, patentibus campis, ingenti hoſtium multitudine vndique circundatum fortiùs pugnaturum? Cæſarem autem quomodo inde deducendũ, qui inſidere equo ob valetudinem non poſſit? Ac ſe polliceri quidem, priùs ſe confodi concidique paſſurum, quàm Cæſaris lecticam deſerturum: ſed idẽ pro cæteris omnibus ſe neque præſtare poſſe, neque recipere. Iam verò vti ſe non tanti animi eſſe fateatur, vt collatis ſignis eo tempore in campis cum Regis exercitu confligendum cenſeat, quem Cæſariano ferè duplo maiorem eſſe conſtet, remq; omnem nulla impoſita dimicandi neceſſitate, aleæ fortunæ committendam putet; ita neque tanti timoris eſſe, vt de mouendis ſine cauſſa caſtris cogitandum arbitretur; neque quòd pridie malè pugnatum ſit, ſe magnopere commoueri. errare enim ſi qui in bellis omnes ſecundos rerum euentus ſperent. Aquitanos pridie pulſos, cęſoſque, & collem paullò ante ſumma virtute à Cæſarianis occupatum fuiſſe. hæc, ſi qui cum detrimento à Gallis eodem die illato comparent, eos exiſtimaturos æquata propè vtriuſque partis fortuna, non minus incommodi Gallos quàm Cæſarianos accepiſſe. Si quorum autem militum animos timor inceſſerit; id ad paucos pertinere. Nanſai enim tantummodo pedites calonum & inermium fuga perturbatos: cæteras verò copias integras, ac ne in aciem quidem eductas: quarum alacritate & pugnandi ſtudio perterritorum animos recreari poſſe, & ad pugnam accendi. Caſtra & idoneo loco poſita, & vndique magnis munitionibus firmata eſſe: ac ſi quid deſit, id vt abſque mora perficiatur ſe

ope-

operam daturum. neque inopia premi: neque commeatu vlla ratione intercludi poſſe. quare ſe timoris cauſſam nullam perſpicere: atque ſine cauſſa timendum non videri. quin potiùs ſperare ſe, neque id temerè, ſi Gallorum exercitus tentare caſtrorum oppugnationem audeat, eum indè re infecta, nec ſine ignominia, detrimentoque confeſtim receſſurum. Attentè auditus eſt: ac dum diceret, mirificè omnium animi cõmoueri, conuertique videbantur: vt nemo propè eſſet eorum qui contra ſenſerant, quem ſui prioris conſilij non pœniteret. Emmanuelis verba Cæſar excipiens: ſententiam eius probauit, animi firmitudinem laudauit. Edixit autem in primis, omnibus deponendum prorſus omne abeundi conſilium: mãſurum enim ſe in ijs caſtris, aditurumque potius omne periculum, quàm ex ea ſententia deceſſurum. Hæc ab exploratoribus enunciata, cum Rex xviij. Calen. Septemb. cognouiſſet, intelligeretque fruſtra ab eo laborem ſuſcipi, quiſquis Emmanuelem Philibertum vel fallere, vel terrere conaretur: ea quæ ſecuta eſt nocte præmiſſis impedimentis exercitum contraxit: relicta Rentini oppugnatione cum omnibus copijs Mõtruelium ſe recepit: ac paullò poſt, Heluetijs dimiſſis, reliquás copias in hybernis collocauit, atque in interiorem Galliã profectus eſt. Cęſar, quòd Emmanuelis Philiberti conſilio Rentinum obſidione ſine dimicatione liberaſſet, eiuſdemque opera tota æſtate exiguis copijs maximum Gallorum exercitum ſuſtinuiſſet, eorum conatibus obuiam iſſet, reſtitiſſet: eorum motũ, ſaluo, atque incolumi exercitu ſuo prohibuiſſet, & euentu lætabatur, & magnarum rerum ſpes in illius virtute collocabat. Abeunte verò in Galliam Rege, ipſe Bruxellas iturus Emmanuelem Philibertum ad ſe vocat. monet, Hedino deleto aliud conſtruendum oppidum, quo veteris ditionis ſuæ fines à Gallis ſæpe vexati, nonnunquam occupati defendi poſſint. ille vti imperatum erat, copias omnes ſecum adducens, vicum nactus Maſuillam nomine, idoneo loco poſitum, ſpatium paſſuum circiter duorum millium complectitur, foſſa, & vallo circũdat, aggeres opere terreo, virgultis, & faſcibus admixtis extruit, fir-

Cæſar Emmanuelis Phili ſententiã probat.

Rex Gallus demiſſa oppugna ſe recipit

Cæſaris de Emmanuel Philiberto iudicium.

Emmanuel Philibertus Hedinum ſer ædificat.

ma propugnacula ad latera conſtituit. continenti fabrúm militarium, ipſorumque militum labore, quos ad opus etiam exẽplo ſuo inuitabat, munitionem omnem diebus circiter quadraginta perfecit. commeatu, tormentis, ſulfureo puluere, pilis ferreis, omnique bellico inſtrumento abundè prouiſo, ibi peditum duorum millium, & equitum ducentorum præſidium poſuit, atque Hedinunfert, nominauit. Nam ex quo tempore Amedeus IIII. Sabaudus à Cæſare Henrico Octauo, vti ſupra demonſtrauimus, poſt Rhodum inſulam à Turcarum oppugnatione defenſam, alba Cruce donatus eſt; ea cæteri Sabaudi Principes, tamquàm inſigni gentilitio, deinceps vſi ſunt, Crucique dictionem, FERT, adſcripſerunt: cuius quatuor litteris haſce voces ſignificari voluerunt. FORTITVDO EIVS RHODVM TENVIT. Ibi cum eſſet, ex maximo periculo, quod caſus, alienaque temeritas improuiſò conflarant; conſtanter, fortiterque ſe ſe eripuit. Erat fortè in eius exercitu Valdecij Comes, origine Franfordianus, quæ Vſipetum nobilis eſt ciuitas; Germanorum, quos Reytres vocant, quatuor millium præfectus: in hunc, qui ipſo inſcio, quin etiã ſpretis edictis cum magna militum ſuorum manu ad prædandum egreſſus fuerat, atque cum præda reuertebatur fortè incidit: cum autem multis, grauibusque verbis malè eum acciperet, ſeueriuſque licentiæ, ac temeritatis argueret; ab eo, quod diximus, periculo, vitæque diſcrimine non procul abfuit. Comes enim ſtulta, ac barbara arrogantia elatus, non ſolum ſuperbè, minaciterque reſpondit, ſed etiam tormento paruo appræhenſo, eum interficere conatus eſt. ſed Emmanuel Philibertus celeritate perniciem vitauit. nam cum primum ex coloris mutatione, vultusque & oculorum ardore furere, ruereque hominem animaduertit, ac manum tormento ſuo admouere; ipſe ſimiliter alterum ex minoribus tormentis duobus, in ſummitate anterioris partis ephipij ſuſpenſum expediuit: anteueniensque, ac prior diſplodens præfectum eadem agentem, glande plumbea traiecit. Eo exanime in terram ex equo concidente, magnum diù præſentes ſilentium tenuit. nam ex

Quare Sabaudi Principes alba Cruce decorati.

Quid ſignificet dictio Fert.

Valdecij Comes Emmanuelem Philibertum tentat occidere

Comes interficitur.

ijs qui ipſum ſequebantur, loco ſe mouere, aut verbum facere auſus eſt nemo. reliqui verò factum animo expendere: quiſq; pro ingenio vel præfecti audaciam mirari, vel interfecti exemplo terreri, vel Emmanuelis Philiberti recenti periculo commoueri, vel ſalute letari: plerique in illum mortuum maledicta congerere, omnibus iure occiſus videri. ita variè letitia, pauor, amor, odium, per Cæſarianum exercitum agitabantur. Emmanuel Philibertus tamen & honore ſepulturę cadauer interfecti priuari noluit, & in filium ſuperſtitem beneuolentiam magnis officijs, ſummaque beneficentia ſemper oſtendit, & à conſuetudine non abhorruit; quin etiam ſtipendijs largioribus auxit, præfectura honeſtauit: neque in omni vita, quidquam ægrius tuliſſe viſus eſt, quàm furore amentiaque præfecti illius ſibi hominis interimendi impoſitam fuiſſe neceſſitatem. Atq; non ita multò poſt copias in Cameraco, & Beapalmio, cæteriſque vicinis oppidis in hybernis collocauit: & Bruxellas, quò paullò antè Cæſar ſe receperat, Nouembri menſe propemodùm exacto, iamque erumpentibus duriſſimis tempeſtatibus peruenit: neque ibi diu moratus eſt. Cùm primùm enim accepit, Philippum Hiſpaniarum Regem ex Hiſpania in Britanniam traieciſſe vt Mariam Reginam in matrimoniū duceret; Bruxellis Caletem, qui portus Iccius antea dicebatur, profectus eſt: tranſmiſſoque freto Londinium; factis tantùm regiis nuptiis, peruenit. Eius aduentus ſummis honoribus, maximaque amoris ſignificatione ab omnibus, præſertim à Rege & Regina, qui eum mirificè diligebant, exceptus eſt. tùm in eorum equitum ordinem, qui diui Georgii vocantur, & cuius princeps eſt Brittaniæ Rex, cooptatur: & torque aureo, ac periſcelide, quod inſigne eius ordinis eſt, donatur. Apud Regē cum eſſet, tantumque cum eo accubuiſſet; moleſtiſſimas litteras accepit: quibus certior fiebat, à Briſaco Gallici exercitus in Subalpinis imperatore ad Eporediam copias improuiſò adductas: Moraleque Hiſpano vrbis illius præfecto, primis minis perterrito ſeſeque dedente, in poteſtatem Gallorum redactam. Qua re cognita veritus ne malum manaret in dies latiùs, Franciſcum

Emmanuel Philibertus Bruxellas.

Item in Britanniam.

Legitur in ordinem equitū Diui Georgii.

Eporedia à Gallis capta.

Co-

Mittitur Coſta in Italia. Coſtam Arniani Comitem ad ſe vocat. hic erat apud Emmanuelem Philibertum in honore, diligebaturque vehementer, quòd perſpecta erat eius beneuolentia, & fides: quòdque magno loco natus claritudini generis virtutem, & rei militaris vſum adiunxerat. itaque eum in Italiam ſumma celeritate proficiſci, cohortes in Auguſtam prætoriam introducere, vrbemque, & vrbis ditionem omni conatu tueri iubet: (imminebat enim ei periculum, quòd ab Eporedia non longè diſtabat) quæ omnia ab eo probè diligenterque adminiſtrata ſunt. Ipſe cum Londinij dies circiter quindecim fuiſſet, Bruxellas ad Cæſarem, longiorem eius abſentiam non ferentem, reuertitur.

Agitur de pace inter Reges. Per eos dies actum eſt de pace inter Cæſarem, & Gallorum Regem: à qua cum vtriuſque animus non abhorrere videbatur, tum Mariæ Reginæ Britanniæ ſumma voluntas erat, vt componeretur, atque ab armis diſcederetur. ad hæc Poli Cardinalis diligentia accedebat, quem Iulius III. Pont. Max. in Belgas miſerat, vt ſuo nomine Cæſarem, & Regem ad pacem hortaretur. itaque locus certumque tempus colloquio conſtitutū eſt. Apud Caletem in campis tabernacula ſtatuta ſunt, conueneruntq; illuc à Cæſare miſſi Atrebatenſis Epiſcopus, & Dux qui Metimnæ Cœli appellatur: à Gallorum Rege Cardinalis Lotharingius, & Anna Memorantius. ijs additi ſunt Epiſcopus Venceſtrenſis Britanniæ Reginæ nomine, & quem diximus Cardinalis Polus ſummi Pont. legatus. Diſputata multa, nihil decretum; nemine facilè ex ſua ſententia in alienam tranſeunte. Quare placuit, acta colloquij illius Cæſari, & Regi referri, remque omnem eorum iudicio reſeruari. Id actum eſt etiam (quamuis occultè, pauciſque conſcijs) vt Emmanuel

Agitur de danda vxore ab Emmanuel. Philib. Philibertus Mariç ſororem Elyſabettam, ad quam, Maria mortua, rediit poſtea Britaniæ Regnum, vxorem duceret; quod vtilius Reginæ, & Regno, quàm ipſi futurum fuiſſe, poſteriora tempora declararunt. ipſum enim multa, grauiaque pericula adire neceſſe erat. Sed manſiſſet in ea regione ſine dubio incorrupta Chriſtiana pietas, neque Emmanuel Philibertus veram violari religionem pati potuiſſet. Ineunte autem vere anni.

M.D. LV. Romæ Iulius III. Pont. Max. moritur. Creatur ſummus Pon. Marcellus Cardinalis Ceruinus,& Marcellus II. appellatur: grauitate, doctrina,innocentiaque clariſſimus. putabatur ſummam illam dignitatem cum ſumma poteſtate coniunctam, nullam ei conſiliorum morumué commutationem allaturam. ſperabat item Chriſtiana reſpublica ſibi Principem contigiſſe, ex cuius integritate prudentiaque magna beneficia conſequeretur: ſed mors ſpem omnium fefellit. nam ſecundo & vigeſimo, poſtquam ſummum Pontificatum adeptus eſt, die, ex hac vita migrauit. mortem eius ægerrimè tulit Emmanuel Philibertus: quòd veterem patris amicum amiſerat, cuius ſummum in ſe ſtudium,ſummam voluntatem,egregiam fidem anteà cognouerat, quodque eius potentiam, & auctoritatem magno ſibi vſui atque adiumento futuram ſperabat, ſi diutiùs ei viuere licuiſſet. In eius locum dierum haud multorum interregno, neque tamen ſine controuerſia contentioneque, ſuffectus eſt Petrus Carafa, Neapoli ampliſſimo genere ortus, litterarum ſtudijs præſertim ſacrarum à pueritia deditus, morum integritate vitæque ſanctitate ornatus, facinorum & ſcelerum vindex, veteris Chriſtianæ diſciplinæ defenſor accerrimus, virtutibus omnibus, quæ ſummum Chriſtianum Principem decent, cumulatus. Sed erant tamen qui duo exciperent, offenſionum memoriam, & imperij proferendi, ſiue nouorum regnorum cupiditatem. Sanè quæ poſteà eadem cupiditate inductus, (vt ijdem aiebant,)aggreſſus eſt,neq; commodis eius, neque famæ profuerũt: propinquis & neceſſarijs exitium attulerunt: Philippo vero Hiſpaniarum Regi, & Emmanueli Philiberto quibus negotiũ faceſſere velle videbatur,benè atque feliciter euenerunt. Interim Emmanuel Philibertus cum animaduerteret Regem æquè ac Cæſarem haud multum eo tempore de bello cogitare,neque copias augeri,neque in vnum locum contrahi, ſed vtrumque exercitum excurſionibus tantummodò contendere,cum Cæſare colloquitur, & ei remotis arbitris, adeundæ Subalpinæ prouinciæ conſiliũ aperit. probante verò id Cæſare,quar. Non. Maij de prima vigilia,

Iulius III. Põt. Max. moritur.

Creatur Marcellus II.

Sufficitur Paulus IIII.

Emmanuel Philibertus vno via comi te in Italiã.

mo-

more ſuo in conclaue vti conquieſceret ſe recepit. cum in lecto eſſet, omnes dimiſit: clauſiſque cubiculi foribus confeſtim ſurrexit, atque alia porta egreſſus, vnum viæ comitem adhibēs Ludouicum Clerum Allobrogem, propter Germanæ linguæ ſcientiam, qua multa iam longinqua conſuetudine optimè vtebatur, ſecunda vigilia iter ingreditur, ne agnoſcatur in itinere, perſonam familiaris ſuſcipit: contraque Allobrogem domini induere perſonam iubet. Poſtridiè ianitores cubiculariique, cum ab eo prima luce vt conſuetudinis ratio poſtulabat, appellati non fuiſſent, atque ad multum diem expectaſſent, longam inſolitamque mirati moram, vt dormientem excitent, cubiculi fores aperiunt: nemineq; ibi inuento, rem triſtes ad Cæſarem deferunt, qui ſubridens bono eos eſſe animo iubet: affirmatq; compertum habere ſe quò profectus eſſet ipſorum herus, & ſcire eum propediem rediturum. Emmanuel Philibertus iter ex ſententia confecit: ac primùm Mediolanum venit. ibi erat eo tempore Ferdinandus Toletanus Albæ Dux cum imperio, quē poſtea Cæſar Mediolanenſi prouinciæ, & Regno Neapolitano, & Siciliæ præfecit. Quare ab vtroque multi de grauioribus negotijs habiti ſermones. Deinde Vercellas adijt, atque in ea vrbe dies circiter triginta commoratus, multa quæ ad prohibendos hoſtes, quæque ad regendos ac leuandos oneribus populos pertinebant, optimè prouidit: conſtitutiſque rebus Bruxellas magnis itineribus contendit. Incidit fortè in id tempus eius reditus; cum poſt noua compoſitionis, paciſque conſilia, Cæſar & Rex probarant, vt eſſent in quinque annos induciæ, vtque interim vtraque pars ita retineret poſſideretque, vti antè inducias poſſediſſet. Rurſus aliarum nuptiarum Maria Pannoniæ Regina curam ſuſcepit. ſuadere conata eſt Emmanueli Philiberto, vt Chriſtiernam Regis Cimbricæ Cherſoneſi filiā, mortuo iam pridem vtroque eius viro, altero Franciſco II. Sfortia Inſubrum Duce vti ſupra demonſtrauimus; altero, Franciſco Duce Lotharingiæ in matrimonium duceret, & quidem mulieris lectiſſimæ, mores & generis claritatem & formam mirificè laudabat, nihilque non ei magnoperè placebat: niſi quòd

Emmanuel Philibertus Bruxellas redit.

ab optatis animum auertere, atque aliò transferre occulta quadam vi cogebatur. Animaduerſum eſt ijs diebus frequentiam libenter eum vitaſſe, ſolitudinem & receſſum quæſiſſe: ſeueriore vultu diutiùs inambulantem, vti ſolent qui in grauium rerum cogitatione defixi ſunt, quorumque animi in contrarias partes diſtrahuntur. Ac ſanè acciderant paucis menſibus plura nec leuia: atque ex eis nonnulla quæ boni ſpeciem habere viderentur, ſed incerti: alia omnino mala: Nam deliberationes de nuptijs quæ à Britanniæ Regina & à Regina Pannoniæ proponebantur, difficiles, & earum euentus dubij: non quidem an res ſuccederet, ſed an ſuccedens, boni vel mali plus ſecum eſſet allatura. Amiſſio præclari oppidi Eporediæ acceptis incõmodis incommodum addebat. Quinquennales induciæ veteribus malis præſentis remedij, quod in ſola victoria virtuteque bellica poſitum eſſe videbatur, ſpem minuebant. Parabat etiã profectionem Cæſar: nec longè aberat diſcedendi tempus: raro enim propeque ſingulari prudentiæ, & moderationis exemplo, omni ſe poteſtate abdicare, imperium deponere, regna omniã dimittere, atque in Hiſpaniam recedere conſtituerat: quaſi defatigato earum rerum ſatietate animo, quarum copia in alijs hominibus cupiditatis ſitim explere non ſolet ſed augere. ibi remoto à frequentia loco, priuatam quietamque vitam acturus: curis omnibus liberatus, niſi earũ rerum quæ ad æternam vitam, atque ad religionem pietatemque colendam pertinerent. Vt Emmanueli Philiberto neceſſe eſſet ab eo ſeiungi, apud quem annis propè duodecim fuerat, quemque ſemper omni ſtudio ac pietate coluerat: pro cuius cauſſa dignitateque tuenda, in magnum Galli Regis odium atque offenſionem incurrerat: atq; ab eodem Rege Gallorum Sabaudiæ regno ſpoliatus, occupatiſque pleriſque Subalpinæ prouinciæ oppidis, pauca quæ reliqua erant, ægrè retinebat. à Cæſare vero ſummo ſtudio ſubleuatus, adiutus, tectus, impensè dilectus. Cum autem rerum, rationumque ſuarum ſpem omnem, atq; omne præſidium in Cæſare, Philippoque eius filio poſitum haberet; propter alterius abſentiam ne præſidij, ſpeique dimidiam par-

Emmanue. Philiberti in conſultando prudentia.

Cæſar relictis regnis & imperio in Hiſpaniam.

tem amitteret, verebatur. Neque deerant clandeſtini nuntij, qui eodem tempore Regis Galli mandata ad eum perferrent, magnis pollicitationibus animum eius ſolicitarent, darentque enixè operam, vt eius voluntatem à Cæſare abalienarent, Regi Gallorum adiungerent; dum illius vires verbis extenuant, huius potentiam amplificant, & extollunt. Itaque ſatis videtur fuiſſe in tot tantiſque difficultatibus non ſuccumbere, neque perturbari: ſuſpenſum verò aliquamdiù eſſe, vel commoueri, non mirum. Nam eò tandem cogitationum ſuarum exitum retulit; vt quæ ex futuris penderent, quorumque euentus eſſent incerti, ea ſoluto animo liberoque prorſus numini diuino permitteret. quorum verò deliberatio ad eius liberam voluntatem pertineret; vt in ijs eamdem conſtantiam & fidem, & virtutem præſtaret quam antea præſtitiſſet. Itaque nuncios Regis, & inanes remiſit, & cum ijs mandatis ad ſe redire vetuit. quam habebat de Philippi voluntate ſpem duplicauit: quòd eum & beneuolum, & amantem iam antea eſſet expertus. quodque non minus Cæſaris nomine, quàm ſui ipſius in officio manſurum ſperabat; vti decebat hæredem Cæſaris non ſolum regnorum & ditionum, verum etiam animi magnitudinis atq; clementiæ. Cæteris in rebus ita ſe comparauit, vt accepta ſuperiore tempore vulnera, ſi curari poſſent, ijs ſanandis omnem diligentiam adhiberet: ſin minus, ſaltem dolori quem illa facerent, fortiter reſiſteret. impendentia mala, quantum ratione conſilioque prouidere poſſet, euitaret: meliora ſperaret: difficilia cogitaret: quæcumq; acciderent: in ijs ferendis ſe virum oſtenderet: neq, aduerſis, iniquiſque caſibus, quos antea multos ſapienter tuliſſet, in poſterum ſuccumberet. Iam verò bellum apertè à Paullo Quarto Pont. Max. parabatur: atque de eius propoſito conſilijſque rumores crebri; multiplices, varijque ſermones. plures enim affirmabant bellum ab eo ſuſceptum, quòd magni animi vir noua elatus potentia, quin armis potentiam augeret, imperare ſibi non potuiſſet. alij, quòd malis impulſus conſilijs, quæ quoniam à domeſticis afferebantur, placebantque vehementer ei ſana, ſalutariaque videbantur, in fallacem magnarum rerum

Bellum inter Paul. Quar. & Philipp Regem.

ſpem

ſpem adductus eſſet. nonnulli, quòd ad veteres cum Cæſare inimicitias, de quibus ſcribere neceſſe non habemus, nouæ offenſiones acceſſiſſent; propterea quòd Cæſariani ipſius dignitati, offeciſſent, & obſtitiſſent, ipſum vitio Summum Pontificem renuntiatum affirmaſſent, de abroganda eidem poteſtate conſilia clàm iniſſent. Sed vbi rem ad arma deducendam cenſuit, milites conſcribi iuſſit, pecuniam in bellicos ſumptus coëgit, ſocietatm cum Henrico Gallorum Rege fœdere confirmauit. Gallorum Rex, vti inter ipſos conuenerat, magnum numerum equitum, magnum peditum celeriter comparat; atque omnibus copijs Guiſiæ ducem præficit. Dux Romam atque in Neapolitanum Regnũ profecturus, Alpibus ſuperatis iter per Subalpinos, & per fines Mediolanenſis prouinciæ ſine maleficio fecerat, antequã ad Valentiam perueniret. Vbi eò ventum eſt, oppidum illud Mediolanenſis ditionis magnũ atq; inſigne, ad amnis Padi ripas poſitum, oppugnat, facileq; expugnat: audacter nimirum, ac fortiter potiùs quàm prudenter; alioqui magni vir conſilij. Nam ſi prouidere; ac proſpicere futura potuiſſet; nihil cenſuiſſet Regis rebus vtilius, quàm pactas quinque annorum indutias, quàm maxime poſſet in longiſſimum tempus producere, aut ex eis, tanquàm ex otij & tranquillitatis fontibus, diuturnam firmamque pacem haurire. Violatis enim indutijs, nullum ex eo Summo Pont. commodum: Philippo Regi ad primam inſignis victoriæ gloriam pa tefacta via: quæſitus Emmanueli Philiberto laborum finis: factum rurſus armorum initium: & ſparſa quodammodo malorũ ſemina, poſtea in Galliam inuecta. nam duobus aduerſis prælijs attritæ prouinciæ illius opes: pacis haud diuturna fuit lætitia: conſequente eam acerbo inopinatoque Henrici Regis interitu. poſtremò ſerpente in Gallia infinito malo, eoque manante in dies latiùs: inteſtinis, & domeſticis bellis, & ciuili bus diſcordijs labefactatus, conuulſuſque eſt priſtinis Galliæ totius ſtatus. Ita Guiſiæ Dux ſecus atque opinabatur cupiebatque, ſuis obfuit, hoſtibus profuit. Nam Philippus Rex primùm ex multis audiuit, & comperit, quorſum euadebant

Dux Guiſiæ Valentiã cepit.

Quantum ex eo mali Gallorum rebus.

Summi Pont. conſilia : accepitque Romæ, pleroſque clientes, & obæratos ſuos, partim vrbe pulſos, partim acerbiſſimè vexatos: Marco Antonio Columnæ nobiliſſima, atque antiquiſſima familia nato, atque optimè de Cæſare merito, præter Paleanum munitiſſimum oppidum ereptum, alia præterea partim in Latio, partim in Marſis circiter vigintiquinque dempta oppida reſciuit: item Camillum Columnam, & Franciſcum fratrem Archiepiſcopum Tarentinum, necnon Cardinales Ioannem Moronum Mediolanen. & Guidonē Aſcaniū Sfortiā, & alios plures cuiuſq; loci, atq; ordinis in carcerem coniectos: ad hęc Gallos in Italiam excitos, vt periculum regno Neapolitano conflari, reſque haud dubiè ad arma deduci videretur. Quibus cognitis, Franciſcum Ferdinandum Aualum, qui bellicis rebus in Inſubribus præerat, adminiſtrante eodem tempore Mediolanenſem prouinciā Chriſtophoro Madrucio Cardinale, monet, vt ad vim ſaltem propulſandam paratus ſit, milites conſcribat, præſidia in oppidis diſponat, ea muniat, prouinciæ illius fines, qua poſſit ratione tueatur. Italiæ rebus quæcunque ad ſe pertinerent, Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem præficit. Dux ſumma celeritate, diligentiaque magnis comparatis copiis, ſeſe Gallis oppoſuit, qui per fines Picenos iam in regnum Neapolitanum peruenerant. quibus repreſſis, factis nonnullis ſecundis leuibus prælijs, pulſo equitatu, & Germanorum cohortibus ad Collem qui Ferreus appellatur à Marco Antonio Columna cæſis, oppido Signia capto ac direpto, Ciuitella defenſa, Oſtia expugnata, vſque ad vrbis mœnia procedens, iis tamen abſtinuit. Quibus rebus permotus Summus Pontif. præſertim vbi poſteà de aduerſo prælio quod à Gallis ad Sanctum Quintinum factum eſt, atque de oppido illo ab Emmanuele Philiberto in poteſtatem redacto nuntium accepit; iis qui primùm de induciis, deinde de compoſitione egerunt, haud ægrè aſſenſus eſt. Itaque conciliata inter ipſum, & Regem Philippum pace, redeunteque in Galliam, re infecta Guiſiæ Duce cum ſuis copiis, omne belli incendium inter Hiſpanum Regem, & Summum Pontif. reſtinctum eſt. Sed iam

Pax inter Philippum et Sum. Pont.

gra-

Digitized by Google

grauiſſimum inter ipſos Reges exarſerat. In Subalpinis Briſacus, Gallici exercitus imperator, copias ad oppugnandū Cuneum adduxit. id oppidum plano in loco, ad radices tamen Alpium poſitum eſt. & quoniam qua parte vergit ad occaſum ſolis in latitudinem patens, orientem verſus extenuatur atque in anguſtum deſinit, Cunei nomen accepit. Præerat oppido Carolus Lucerna, vir magna fortitudine, atque egregia in Duces Sabaudos fide, qui nulli loco defuit. comparatis omnibus, quæ ad defenſionem opus erant: oppidanis arma ſumentibus, & non ſolum pro gloria, vel pro Ducis commodo, ſed etiam pro coniugibus, & liberis, pro aris & focis accerrimè pugnantibus, ſæpè à mœnibus Gallos repulit. nam mulieres ipſæ ad murum accurrere, & modò tela viris, modò cibum, quo reficerentur ſubminiſtrare, modo inter præliantes verſari, & ſaxa muro præcipitata in ſubeūtes deuoluere. Quare Briſacus multis ſuorum amiſſis, cum de expugnatione deſperaret, obſidione premere oppidanos cœpit. illi Sabaudorum Ducum veteri, & leniſſimo imperio aſſueti, contraque Gallorum ingenium horrentes, qui duriùs, atque acerbiùs quàm à ſe ferri poſſet, imperare videbantur; parati erant omnia perpeti, ac potius cruciatum ſubire voluntarium, quàm officium deſerere, vel priſtinam voluntatem immutare. Sed cum longior eſſet obſidio, & re frumentaria laborare inciperent, nuntios magno propoſito præmio ad Franciſcum Ferdinandum Aualum, Cęſarianarum copiarum præfectum, mittunt. docent rem eſſe in ſummis anguſtiis: auxilium petunt. ſcribunt ſe parcè & paullatim frumentum metiendo, obſidionem vſque ad trigeſimum diem toleraturos. orant vt ſibi quamprimùm ſubueniat: quod niſi factum ſit, periculum eſſe ne hoſtes munitiſſimo oppido potiantur. De periculo eodem fiebat à Petrino Belo certior. hūc iam pridem mandarat Cæſar legatis, vt ſibi in conſilium adhiberent cum de bellicis rebus tractaretur; quoniam perſpectam habebat eius prudentiam & fidem. quare crebris Beli litteris excitatus, exoratuſque Aualus Haſtam venit. Conuocato concilio, cum inter omnes cætera conuenirent, reſtabat vna diffi-

Bellum renouatum inter Reges.

Cuneum oppidum à Briſaco oppugnatur.

Obſidetur.

cul-

cultas ſtipendij curandi, ſine quo Aualus militem ex oppidis educi poſſe diffidebat. tum omnes in Belum oculos conuertere, tacitique expectare, qua ratione ipſe nodum hunc expediret, cuius hortatu rogatuque Aualus aduenisſet. Sed is nihil hæſitans dixit domi ſibi nonnihil eſſe argenti facti atque ſignati, ex quo confici poſſint nummûm aureûm circiter duo millia, idq; omne ad rem tam neceſſariam libentiſſime collaturum. Cæteri conſilium & auctoritatem eius ſecuti ſunt; alius alia de cauſſa. voluntate nonnulli; multi exemplo; complures vel ſpe vel pudore. Vbi tantum pecuniæ confectum eſt quantum ſatis erat eo tempore, Aualus ſubitò commeatum prouidet. fortiſſimum quemque militem ex ſingulis cohortibus detrahit; paruam ſed lectiſſimam manum conficit; ac per Gallorum ſtationes, quos diuturna obſidio indiligentiores effecerat, de improuiſo in Cuneum peruadit. Oppidanis Auali præſentia mirum in modum recreatis, & conuectò abundè frumento, reliquoque commeatu & ſtipendio & recenti milite confirmatis, ipſe paullò poſt aduerſa porta, quæ ad Alpes ſpectat, per earum iuga haud multis comitibus, paucis diebus ad ſuos incolumis ſe recepit. qua re cognita Briſacus deductis copijs diſcedit: obſidio ſoluitur: oppidum conſeruatur. Iam inclinabant ſe mirum in modum Gallorum res, Regno Neapolitano fortiter à Cæſarianis defenſo, Cuneo retento. neque conatus eorum ad oppugnanda oppida maritima meliorem euentum habuerant. Cum enim Emmanuel Philibertus Andream Prouanam è Belgis ad Villamfrancam non multò ante miſiſſet, iſque ſingulari diligentia vti mandatum erat, arcem ad eius oppidi portum excitaſſet; Galli Turcæque, manente etiamnum fœdere quod iampridem pepigerant communi conſilio magnam claſſem expediunt, atque illuc perueniunt. itaque arx illa oppidanis ſalutem attulit, Prouanæ vero virtutis commendationem: cuius diligentia maturè inchoatum eſt opus, numquam intermiſſum, opportuneque perfectum; & coacti hoſtes mutare conſilium ab incœpto deſtitere. cum enim arma,& tela, & frumentum, & reliquum commeatum anteà prouidiſſet; crebras

Aualus obſeſſis ſubſidium fert.

Obſidio ſoluitur.

Prouana Villamfrancam

for-

fortiſſimorum militum ſtationes diſpoſuit, locis idoneis maxima tormenta collocauit. quibus omnibus, vbi hoſtes animaduertunt ſe portus introitu prohiberi, neque poſſe ſine maximo detrimento propiùs accedere, prius deſperata quàm tentata arcis & oppidi expugnantione, è Villafranca diſcedunt, Niceam contendunt. Ei præerat Stephanus Auria magni conſilij vir, magnæque fortitudinis, qui cum arci nihil timendum putaret, quam in edito ſitam eſſe, & niſi obſidione expugnari non poſſe demonſtrauimus; veteres labanteſque munitiones oppidi refecerat, produxerat, firmarat: magna commeatus, magna tormentorum illi copia ſuppetebat: milites præſidij fortiſſimi erant, atque ad ſubeundum omne periculum animo paratiſſimi. nihil omnino ad oppidi defenſionem deeſſe videbatur. Quibus per exploratores cognitis, hoſtes ab omni ſpe potiundi oppidi repulſi, non nulla tantùm in munitiones tormenta potiùs ad oſtentationem, quàm ad terrorem emittunt. cumque minas iactarent, ac paullò poſt ſe eòdem venturos, acerbis contumelioſiſque verbis affirmarent, re verò ipſa nihil minus cogitarent; collectis nauibus, quæ paullò longiùs aberant, omnibuſque in eam partem quò ventus ferebat conuerſis, ſine mora diſcedunt. Interim Cæſar paullò ante quàm in Hiſpaniam nauigaret, Emmanuelem Philibertum omnibus copijs præfecerat, eique ſummam omnis adminiſtrandi belli tradiderat: eumdem præterea Belgarum etiam prouinciæ cũ imperio præeſſe iuſſerat. Quare Philippus quo tempore Toletanum Albæ Ducem in Italiam mittit, atque eodem propè eiuſdem Toletani litteris nuntijſque de Valentiæ expugnatione certior fit: initiũ id belli eſſe arbitratus: quæ ab hoſtibus detrimenta acceperit, quantoque maiora niſi ſibi caueat accepturus ſit, ſecum expendit: multa animo agitat: cumq; diu de tota re deliberaſſet, poſtremò Emmanuelẽ Philibertum crebrò ad ſe accerſit, remotis omnibus alijs omnem ei animi ſui ſententiã aperit. Regem Gallum ruptis inducijs à fide & à iuſtitia diſceſſiſſe, arma cum inimicis iunxiſſe, Valentiam non denuntiato bello, contra ius & fas expugnaſſe conqueritur. ſe vti ſem-

Stephanus Auria Nicaa Turcas repellit.

Philippus Rex omnibus copijs Emmanuelem Phil. præficit.

per

per in officio futurum, neque vllam armorum cauſſam niſi cogeretur, Gallis daturum fuiſſe: ita non decere pati contumeliā affirmat; atque hoſtium tam graues iniurias ſinere diutiùs inultas, & impunitas eſſe. magnum bellum parari iubet. facto ſuo factum Cæſaris probans, ad Emmanuelem Philibertum totius belli ſummam magna voluntate defert. rogat vt in id mente atque animo totus inſiſtat. Is vbi conſilia Philippi cognouit, animum ad magnam ſpem erexit: quæ ne fruſtra eſſet, reliqua ſumma diligentia prouidit: delectus habuit: veteranos cùm

Apparatus belli.

Hiſpanos, tùm Germanos continuò recenſuit; nouos milites ex inferiore Germania euocauit. Brittanos conduxit, Belgas conſcripſit: in primis autem equitatui ſtuduit: ampliùs quinquaginta peditum, equitum ad quatuordecim millia maturius quàm putabatur confecit. ijs addidit muralium tormentorum, campeſtriumque, & pilarum, & ſulfurei pulueris magnum numerum. Ad vexandos hoſtes profectus, eorumq; fines ingreſſus nemine aduerſante, quòd ſerius à Gallis de bello cogitatum fuerat, latè vagatus eſt. nondum enim Rex veteranos ex oppidis eduxerat, neque nouos milites conſcripſerat, equitatumuè in vnum locum coegerat. Heluetios quidem mercede conduxerat; quorum opera vſus erat forti, fidelique ſuperioribus bellis: ſed ij lentiùs aduentare ferebantur. Quare Emmanuel Philibertus occaſionem non amiſit: crebras excurſiones fecit: Gallorum agros populatus eſt: vicos, & ædificia incendit: magnū pecoris, atque hominum numerum cepit, eamq; prædam militibus conceſſit. Sciebat Gallos rei pecuniariæ difficultate in pleriſque oppidis haud multas cohortes poſuiſſe: & quibus minùs timebatur, in ijs numerum minorem eſſe. quòd ſi conijcere ſuſpicariue potuiſſent quodnam primò oppidum oppugnaturus eſſet, ex alijs eductos milites ad eum locum profecturos animaduertebat, cui maius periculum impenderet: ita vnum oppidum vt firmo præſidio tueri poſſent, multa alia præſidijs nuda re cogebantur. Itaque Emmanuel Philibertus quæ animo cogitabat, cum nemine communicat. longis incertis ac deuijs itineribus longius progreſſus, multa magna, munitaque

op-

oppida, poſt ſe relinquens, præter omniũ opinionem Mariamburgum venit: ibi conſiſtit. ſimulatione oppugnandi oppidi circumfundi vndique equitatum iubet, quoad peditatus, qui lentius ſubſequebatur, ſeſe cum eo coniũgat. nec eum ſua fefellit opinio. nam Galli obſeruata diligenter tota itineris illius ratione, vbi animaduerterunt Emmanuelem Philibertum nuſquàm conſtitiſſe, atque plura oppida magna munitiſſimaque prętergreſſum; perſuaſum habuerunt, fieri non poſſe quin ad Mariamburgum oppidum animum adieciſſet, atque eò copias adducere. ac ſane illuc profectus eſt. ſed antequàm perueniret, cum adhuc in itinere eſſet, celeriter de oppugnatione oppidi illius fama latiùs emanauit. qua permoti Galli, de Mariãburgo ſoliciti, malum quod imminet auertere conantur; futurum non prouident. reliqua oppida minimè defenſionibus egere, tutaq; fore confidũt, quoniã intentata, temerè ex ijs egrediuntur. Sed tantùm Cæſariani pedites ſub ſolis occaſum aduenerant, caſtriſque metandis omnium intenti erant animi, cũ Emmanuel Philibertus, ſigno profectionis dato, continuò inde diſcedens, vt peditatus ſubſequatur, imperat, & cum equitibus ad Sanctum Quintinum reuertitur: equitatum circumfundi iubet, oppidumque oppugnare inſtituit: quod prius vti demonſtrauimus, Samarobrina dicta eſt; poſtea Veromanduorum Auguſta. In colle haud admodùm accliui poſitum eſt oppidũ: colli adiacent vndique patentes campi, non tamen æquali prorſus planitie; ſed quæ crebris locis paullatim aſſurgens, modò leniter tumeſcat, modò paullatim deprimatur. Sunt etiàm in eiſdem campis tumuli terrei, & alij colles humiles, & ſyluæ: multum tamen ab oppido diſtantes. Subluit collẽ Samara fluuius, quem incolæ Somonam dicunt: qui non procul oritur à Sancto Quintino, in ea parte quæ vergit ad orientem ſolem. ac principio modicus, ſedatuſque; deinde paullatim auctus, Peronamque & Ambianum, & alia oppida alluens, incitatior fertur, atque in Oceanum influit. ad leuam collis eſt palus. oppidum foſſa & muri firmiſſimi circundant: ex cæmento & latere, & ex eadem materia conſtant prominentia latera, crebris

Emmanuel Philiber. ad Sanctũ Quintinum.

S. Quintini ſitus.

locis paribus interuallis extructa, iis omnibus difficillimà reddebatur oppugnatio. quam tamen ſumma Emmanuelis Philiberti ſolertia facillimam effecerat; paucis militibus, vix quadringentis, à Gallis ducibus ad oppidi defenſionem relictis, cũ illuc acceſſit; vt paullò acriorem oppugnationem non laturi viderentur. Sed erat in iis locis Gaſpar Colignius: de cuius moribus, antequàm reliqua proſequamur, pauca nobis dicenda ſunt. fuit enim vir lingua, conſilio, manu promptus. vafer, & ſagax. fortitudo in eo & audacia par; vaſtus immoderatusque animus. fide in ſui ſimiles conſtanti; in diſſimiles fluxa. ad audendum proiectus. cœca adeò dominandi cupiditate impotẽs, vt etiam in ſcelera ferretur præceps, nullam cæleſtem vim exiſtimans, numenué diuinum, neque religionem, aut pietatem, aut æquum & bonum, niſi illa, quibus muniri via ad regnũ poſſet. hæc tamen vitia nondùm eruperant; quæ ipſe modeſtia viribus adhuc infirmis tegebat. vbi verò creuere vires, & potẽtia acceſſit; moderatio, & aliarum virtutum ſimulatio poſt fuere. nam omne ius & fas exuens, funeſtas poſtea in Galliam faces iniecit. quibus deflagrante tota illa prouincia, quaſi vltrices flammæ, ipſum auctorem incendii eodem tempore perdiderunt. Colignius multò antè à Rege Ammiralius dictus, qui Officio maritimo præpoſitus eſt, cũ bellum nauale per eos dies eſſet nullum, Veromanduos regebat. quare accepto de Sancti Quintini oppugnatione nuntio, audax facinus incipit: collectis raptim circiter quadringentis equitibus, quemlibet eorum in equum tollere peditem iubet: mutatoque, ad fallendos hoſtes, militari inſigni, (nã pro albo rubrum Vexillo clamidibuſq; impoſitum) omnes tanquam ſi eſſent commilitones, inter Hiſpana agmina ſenſim progrediuntur, ſerò patefactus dolus: neque antè agniti quàm primi portis oppidi appropinquarent: nouiſsimi verò (qua agminis parte fortiſsimum quemque collocarat) paucis inſequentibus, morarique, atque iter impedire conantibus, acriter reſtiterunt. ita omnes incolumes in oppidum recepti ſunt. additiſque præſidio octingentis propugnatoribus, res temerè cœpta feliciter ceſsit. Emmanuel Philibertus,

Gaſparis Colignii natura & mores.

[illegible]

[illegible] aſtutia.

tus, vbi caſtra poſuit muniuitque, & oppidum circumuallauit; capto celeriter ſuburbano, ex quo aduerſa mœnium pars facile tormentis verberari poterat; grandes corbes pluresque orbiculatas, ſparto, ſeu vimine contexi iubet: altitudinis pedum circiter quatuor: in ſummo atque in imo paris latitudinis pedũ amplius trium. hæ vti paruis interiectis ſpatijs erigantur, atque humi defigantur longa, perpetua, ac duplicata ſerie, continuoque terra repleantur imperat: quibus tecti tormẽtorum fabri, quæ ad eorum vſum pertinent, tutò curare poſſunt. itaque magna muralia tormenta quinquaginta producuntur, atque inter vtramq; corbem collocantur: mœnia aſsidue quatiuntur. ſed materiæ firmitas probè reſiſtẽs ictus ſuſtinebat. Erat ijs diebus Rothomagi, quod Rouanum dicitur, Rex Henricus (id oppidum eſt in Aulercis, qui Oceanum attingunt) tantoque belli apparatu, & Sancti Quintini oppugnatione permotus, Annæ Memorantio equitum magiſtro negotium dat, vt quamprimùm obſeſſis ſubſidium ferat. Memorantius Peronæ & Ambiani peditum millia ampliùs quindecim, equitũ circiter quinque coëgit, ac Dorlanum venit. indè ſumma celeritate ad oppidum Sanctum Quintinum Andalotum mittit. mandat vt facto de improuiſo impetu hoſtium ſtationes perrumpat, & in oppidum peruadat, (hic erat magnæ fortitudinis adoleſcens Gallus, Colignij frater) qui multò antè lucem cum peditum quatuor millibus, & equitum magno numero propè oppidum peruenit. Sed eius aduentu per exploratores cognito, Nauarrettus Hiſpanus caſtrorum magiſter, magnæque virtutis dux, cohortes hiſpanorum armatas opponit. commiſſo prælio primi Gallorum ordines funduntur: reliqui eorum fuga perturbati terga vertunt. cæſi circiter quadringenti, ſigna quatuor amiſſa. Eo detrimento nihil commotus Memorantius, lintres quot ſatis eſſent ad vehenda duo hominum millia, diligenter ædificandas curat. nam ijs qui obſidebantur hoc vno ſubſidio opus erat; frumento, reliquoque commeatu abundabant. carinas lintrium planiores facit, quòd flumen Somona quoniam propè aberat à fontibus, tantæ non erat altitudinis, vt maiora

Tormenta ad S. Quintinũ.

Memorantius à Gallo Rege ſubſidio miſſus.

Nauarreti Hiſpani virtus.

nauigia ferre poſſet. has lintres carris impoſitas ſecum defert: quoad ventum eſt ad eum locum, ex quo deduci commodè poterant, ibi conſiſtit: deductas lintres armatis replet: vij nauiculas aduerſo amne remis incitantes, impeditis & altioribus ripis tecti, ſilentio progrediuntur. Memorantius propè fluminis ripam cum reliquis copijs paullatim ſubſequitur: neq; ante ſubſiſtit, quàm propè hoſtium caſtra millia paſſuum circiter tria peruenerit. ibi acies inſtruit: omnes in armis eſſe iubet: neminem ab ſignis diſcedere permittit. Erat eius conſilium prælio abſtinere, & ſuorum qui amne vehebantur euentum expectare: vt ſi fortè vel è flumine egredi prohiberentur, vel egreſſi pellerentur, premerenturque, eos exciperet, & ab hoſtium impetu in tempore tueretur. nam ſi exercitus pars ab Emmanuele Philiberto ad eos inſequendos mitteretur, equitatu peditatuque lectiſsimo facilè reſtitiſſet. ſin vniuerſæ copiæ in aciē educerentur, cum is numero longe eſſet inferior, tamen loci naturæ fretus timendum non putabat: quòd poſt tergum non longè aberant nemora, ſiluæque impeditæ in quas ſeſe tutò recipere potuiſſet. Galli lintribus vecti, facilem egreſſum habuerunt. quòd vbi Colignius ſignificatione fumo facta, vti inter eos conſtitutum erat, cognouit, ſuoſque etiam ex turri oppidi altiſſima conſpicatus eſt, protinus ex oppido præſidij milites eduxit, & lentè ad hoſtium caſtra propiùs accedens, leue prælium accendit. dumque omnium mentes atque oculi ad pugnam intenti ſunt, Andalotus, de quo diximus, eorum militum præfectus qui lintribus vecti ſubſidium obſeſſis laturi erant, cuneo facto, de improuiſo perrumpit, atque acie conferta, cum peditibus circiter ducentis in oppidū Sanctū Quintinum peruadit. reliqui eandem quam priores fortunam tulerunt. nàm ab eodē Nauarreto, vel cęſi, vel fortiter repulſi ſunt. Memorantius cum propoſitum partim tenuiſſet, miſſis in oppidum nonnullis propugnatoribus, partim de eo tenendo deſperaret, ob Hiſpanorum diligentiam & fortitudinem qui in ſtatione erant: atque ob Nauareti virtutem, qui in ea parte curabat, qua vna aditus in oppidum eſſe poterat: inde decedere

Memorantij Conſilium.

&

& ad Regem redire conſtituit. Sed antequam ſignum profectionis daret, maxima iuuenum manus ad eum accurrit: nam multò plures adoleſcentes florentes, & illuſtres, ſummo loco nati, belli illius fama, Memorantijque virtute permoti, qui ſummam rei militaris habere ſcientiam exiſtimabatur, in exercitu cui ipſe præerat, partim voluntarij militabant, partim ſtipendijs faciundis ſe exercebant: atque vt feruida ſunt Gallicæ iuuentutis ingenia, queruntur quòd domum inglorij redituri ſint: rogant vt aliquantò propiùs ad hoſtes accedat: benè gerendæ rei occaſionem non eſſe amittendam affirmãt. poſſe oppidum obſidione liberari, vel ſaltem in hoſtes tutò irrumpi, eoſque parte caſtrorum exui contendunt dum omnis eorum equitatus abeſt, quo maximè abundent, cuique magnoperè confidant. Nam Gallorum ſpeculatores ſine dubio Philippum Regem breui ad caſtra venturum, atque ei nonnullas cohortes, & equitatum omnem obuiam prodijſſe nunciarant. Confirmabantur eo argumento ſpeculatorum dicta, quòd milites Galli amne vecti, non ab equitatu, ſed à peditibus Hiſpanis repulſi fuerant: præter paucos, qui ne viſo quidem vllo equite, in oppidum peruaſerant: quodque non falſa erat quæ de Philippi Regis aduentu percrebuerat opinio. Sed Emmanuel Philibertus quum primùm propius acceſſiſſe Memorantium accepit, atque de copijs quas ſecum adduxerat, ac de loci natura in quo conſederat, cognouit; equitatus partem circumire, locumque inter nemus & copias Memorantij occupare iuſſit. ipſe cum reliquis equitibus, peditum verò cohortibus mediocri interuallo ſubſequentibus, qui equorum celeritatem æquare non potuerant, aduerſus Gallorũ exercitum progreſſus eſt. ad quẽ vbi peruenit aciem inſtruxit, atque in dextro cornu Comitem Egemontium, in ſiniſtro Duces Bruſuicienſes Herneſtum & Henricum collocauit, ipſe mediam aciem tenuit. ſed quoniam pedites nondum aduenerant, Egemontium & Bruſuicienſes vetuit iniuſſu ſuo concurrere: porrectaque ab eis dextera fidẽ accepit, quamuis ab hoſtibus mediam aciem perturbari atque vrgeri viderent, niſi dato à ſe ſigno, prælium non inituros.

Emmanuel Philibertus aduerſus Memorantium.

Iam

Iam permouebatur nonnihil Memorantius eorum adoleſcentium vocibus qui tantam eius patientiam ferre non poterant; quique cupiditate pugnandi ardere videbantur; cum nuntiatū eſt per exploratores, inſtructa acie Emmanuelem Philibertum aduētare: ſimulq; puluis exercitus cernebatur,& primi antecurſores videbantur, quæ res Gallicæ iuuentutis ferociā haud mediocriter compreſſit. Memorantius verò viribus tantoperè inferior,prudētiæ ſuæ eſſe ducens rē eo tēpore prælio nō cōmittere; magnā ſalutis ſpē in celeri receptu,atq; in nemoris,& ſyluarum præſidio poſuerat. Sed vbi renūtiatū eſt equitatū hoſtiū à tergo circunfuſū,aditū ad nemus omnem obſediſſe (neq; enim priùs viſus fuerat, obiectis ab ea qua venerat parte collibus & ſyluis) nemo tā fortis fuit quin animo cōmoueretur. ipſe tamē Memorantius ſeipſum nō deſerit,ſuos hortatur,ad pugnam accendit; ait adeſſe tempus quo pugnādi cupiditatem & fortitudinem re præſtare poſſint, quam paullò ante vultu & verbis oſtenderint. Interea Emmanuel Philibertus appropinquarat: neque inter duos exercitus plus relictum erat ſpatij, quàm quantum ad concurſum vtriuſque ſatis eſſet. itaque ſuos non longiore oratione cohortatus eſt, quàm vti priſtinæ virtutis memoriam retinerent, atque vt tubicines canerent imperauit. *Prælium.* Erat mediæ ipſius aciei oppoſitum magnum agmen Germanorum equitum, qui Reytres appellabantur, quique minoribus tormentis, vt mos gentis eſt, inſtructi erant, alioquì propè inermes. hos Memorantius antè omnes collocarat: quò plumbearum glandium, quaſi grandinem, in aduerſos effunderent, eorumque ordines perturbarent. ſed Cæſariani, celeritate anteuenientes, in eos tanta vi procurrerunt, vt eorum impetum ferre non potuerint. equis enim tenuibus inſidentes,neq; ferreo thorace muniti armatos in robuſtis equis non ſuſtinuerunt: primùmq; loco ceſſerunt: poſtea vniuerſi terga verterunt: poſtremo effusè fugientes, in alias acies poſt ſe collocatas inciderunt, eaſque perturbarunt. Quòd vbi Emmanuel Philibertus animaduertit, Egemontio ac Bruſuicienſibus ſignum concurrendi dedit, adueniebant eodem propè tempore pedites, ſeque pa-

Digitized by Google

ullatim explicabant; qui ſigna fortiter in hoſtes intulerunt. At reliqui equites, quos nemoris aditus obſediſſe diximus, perturbatos Gallorum ordines, hoſtemque perterritum conſpicati, rei bene gerendæ occaſionem non amiſerunt. Ita vndique circumuentis Gallis, magnam eorum multitudinem conciderunt: quorum ratio cum haberetur, ad quatuor millium numerum cecidiſſe reperiebantur. In ijs fuerunt nobiliſſimi Duces Anghianus, & Villarius. qui verò ſalutem ſibi fuga quærere nitebantur, conſectante eos equitatu, partim interfecti, partim capti ſunt. captus eſt item Gallici exercitus imperator dum fortiter pugnat Anna Memorantius, & Mombronius filius eius adoleſcens: Dux Monpenſerius: ſancti Andreæ Mareſcallus: Roccamainus & filius: Rengrauius Germanorum præfectus, Curtonius: Ludouicus Gonſaga Niuernenſium Dux: Longauillæ Dux: Rochefortius: Lanſerra: Rochefocaius: Iamayus: Stenayus: Roccaguion. præterea Tribuni militum decem, Centuriones circiter triginta; pluresque alij magnæ cognationis, atque potentiæ. Venêre item in poteſtatem Cæſarianorum tormenta magna quatuordecim: relata ſunt peditum ſigna amplius ſexaginta: vexilla equitum circiter quinquaginta. Fœliciſſimè res acta eſt eo die, qui fuit ad Quar. Non. Auguſti M. D. L. V I I. ſine Cæſarianorum cæde. nam in eo prælio Emmanuel Philibertus non amplius ducentos milites deſiderauit: Tribunum, aut Centurionem neminem. Laudauit autem Bruſuicienſes Duces & Comitem Egemontium, & præfectos nonnullos. præ cæteris verò Henricum Henriquetium: qui pro Egemontio Hiſpano equitatui præerat: conſtabat enim illum in ijs fuiſſe, qui ante equitum agmen conſtiterant, primique fortiter in hoſtes irruperant. Venienti paullò poſt in caſtra Philippo Regi, obuiam procedens Emmanuel Philibertus, ab eo ſumma humanitate, ſingularique voluntate exceptus eſt. cum enim ſe demiſiſſet vt manum Regis oſcularetur, Rex eum amantiſsimè, libentiſsimeque complexus; hæ manus tuæ, inquit, meritò oſculandæ ſunt, quibus tu quidem pro mea tuenda dignitate rem fortiſsimè geſsiſti. Adductis à Rege

Victoria Emmanueli Philiber.

Philippus Rex in caſtra Caſtiletum deditur.

magnis equitum, ac peditum auxilijs, actiùs oppidum Sanctũ Quintinum premi cæptum eſt. mutata eſt etiam quatiendorum mœnium ratio. nam antea pilæ ferreæ directò fuerant emiſſæ: poſteà tormenta duobus aduerſis ordinibus ita collocata ſunt, vt tranſuerſa verberatione vtrimque muri quaterentur. itaque magna eorum pars paulatim concidit, tandemq; patefactus eſt non exiguus in oppidum aditus paſſuum circiter centum viginti. Quare Emmanuel Philibertus, qui ſæpè noctem diei coniungens labores numquàm intermiſerat, ſæpè grauia pericula, dum in munitionibus aſſiduè verſatur, diligenterque ac ſingulari ſtudio omnia prouidet, adierat; hoc acrius inſtare vt milites antè in oppidum irrumperent, quàm hoſtes vel foſſam intus perducerent, vel obiecta materia aditum obſtruere conarentur. nam Coligmius in maximo periculo non metù fractus, omni prorſus ſubſidij ſpe deſtitutus, diſſipato paullò ante Gallorũ exercitu; non tamen vmquàm animo deficiens, neque vlla calamitate victus, extremis in rebus adhuc priſtinam conſtantiam, atque animi fortitudinem retinebat: potiuſque de tuendo oppido, quàm de fuga, aut deditione cogitabat. Sed Hiſpani & Belgæ, quorum fortiſſima opera Emmanuel Philibertus vtebatur, & Britanni, iam irruptionis ſignum ſumma alacritate frequentes expoſcebant. quo dato cum bis repulſi eſſent multis cæſis: tertiò tanta vi ierunt, vt eorum impetum Galli ferre non potuerint. itaque mœnia deſerere coacti ſunt, pluresque principio interfecti; nam reliqui in aduerſam oppidi partem ſeſe receperunt, armiſque abiectis vt ſibi ignoſceretur petierunt. Emmanuel Philibertus quos iure belli interficere poterat, conſeruauit: armiſque, & ſignis, & veſtibus militaribus exutos centurionibus cuſtodiendos dedit. Ceciderunt in oppugnatione oppidi ex Cæſarianis circiter trecenti, plerique Britanni: ſed ex defenſoribus, & oppidanis magnus numerus. Colignius, præfecti, centuriones, cæterique milites capti ſunt: quos omnes, atque in primis Colignium liberaliter commodeque haberi voluit. Andalotus ſpatium pariter, & equum nactus, ſe ex victorum manibus eripiens profugit, dum

Oppidum S. Quintini expugnatur.

Colignius capitur.

ij oppidum diripiunt, prædæque intenti ſunt. nam omnis præda militi conceſſa, quamuis maxima, non ſolum propter oppidanorum facultates, ſed etiam quòd complures mercatores ex vicinis locis, omnes fortunas ſuas, ſeque in oppidum contulerant; quod munitiſſimum cum eſſet, ab omni periculo ſecuros fore confidebant. Prius tamen Emmanuel Philibertus ſeueriſſimo edicto mulierum pudicitiam, præſertim ſacrarum virginum, & ſacerdotes, & delubra, à militum iniuris prohibuit. arma cuiuſuis generis, tormentaque inde auferri vetuit: mœnia refici quamprimùm iuſſit: commeatuque abundè prouiſo, relictoque ibi peditum duorum millium, & equitum quingentorum præſidio, ad magnam arcem, munitiſſimamq; paſſuum octo millibus à Sancto Quintino diſtantem, quæ Caſtiletum appellatur, copias adduxit. Iam eò fama præcurrerat de ſecundo prælio, de hoſtibus vel cæſis vel captis, de Sancto Quintino expugnato. Iam ad diruenda mœnia maxima tormenta producebantur. præfectus arcis tametſi ea cingebatur latiore foſſa & muro magnæ altitudinis craſſitudiniſque, ac propugnaculis quinque firmiſsimis, eam tamen ſe tueri poſſe deſperans, cum portas aperiri iuſſiſſet, atque ſine mora deditionem feciſſet, æquiores conditiones impetrauit. Caſtileto in poteſtatem redacto, augetur tormentorum numerus, & præſidium quantùm ſatis eſt ad loci defenſionem ibi relinquitur: atque ad firmiſſimum omnis regionis illius propugnaculũ, quod Hana vocabatur, confeſtim pars exercitus adducitur. Ac primo Hiſpanorum aduentu Galli eodem propè tempore, & fortes & timidi viſi ſunt. nam relicto incenſoque oppido, quod ab ſe teneri non poſſe iudicabãt, in locum editiorem natura atque opere munitiſsimum ſeſe receperunt. principioque Emmanuelis Philiberti nuntios neque recipiebant, neque loquentem de deditione quemquam audiebant. ſed diutius in ſententia non permanſerunt. nam vbi tormenta magna muralia viginti quinque promota ſunt; & turris verberata, & mœnium pars labefactata eſt, ſe ſuaque omnia Emmanuelis Philiberti poteſtati permiſerunt. Ad eum præfecti & centuriones per-

Caſtiletum deditur.

Hana oppugnatur & deditur.

ducti ſunt: ex oppidanis verò, & militibus capti circiter mille & quingenti. quicquid autem dirutum quaſſatumque erat, vt reficeretur, imperauit, relictiſque ibi tormentis pluribus; atq; ad tuendum locum magno militum præſidio: ipſe longiùs pro greſſus, paucis diebus magna oppida, Nouiodunum, Camiuacum, Ribemontium, & alia in poteſtatem redegit. & cum exacto autumno hyems iam ſubeſſet, vaſtatis hoſtium agris, vicíſque & ædificijs plurimis incenſis, Emmanuel Philibertus exercitum reduxit. cumque in ijs ciuitatibus, quæ Gallorum finibus proximæ erant, in hybernis collocaſſet; Bruxellas, vbi Philippus Rex hyemare conſtituerat, profectus eſt. Ibi de captiuis, quorum maximus erat numerus, ſtatuit: alium ab alio ſecreuit: plurimos ſine pretio dimiſit. quos retinuit ijs vti pecunia militari more ſe redimerent, permiſit. Nemini certus pecuniæ numerus acerbè imperatus: ſed quod pro cuiuſque cenſu & ſtatu collatum eſſet, id facilè modeſtéque receptum. Liberalitati addita ſingularis humanitas, oriſque, & verborum, & morum lenitas; vt qui liberati fuerant & liberè quidem ſeſe abire, & eodem tempore ſe adhuc vinctos eſſe faterentur. Memorantium retinuit; ſed in libera cuſtodia, cumque omnibus officijs, quæ à beneuolo coniunctoque homine proficiſci poſſent, pro temporũ conditione ſtudioſè coluit. Ex ijs captiuis nummûm aureûm ad quingenta millia coëgit. horum partem inter familiares & amicos & eos qui in bello egregia virtute eſſent cogniti, diuiſit. parte alia magno grauique ære alieno, quod in dies creſcebat, ſe liberauit. Cæſar vti diximus, receſſum & ſolitudinem, imperio, regnis, & triumphis anteferens, iam in Hiſpaniam ſe receperat: ibique de vna perpetua, & beata vita ſolicitus, cætera contemnebat. ſed cum accepto de hoc ſecundo prælio nuntio, maximè gauiſum ferunt. literas enim ad Emmanuelem Philibertum manu ſua conſcripſit. per quas recentem inſignemque victoriam gratulatus eſt. virtutem & rerum geſtarum magnitudinem laudauit: meliores in dies euentus precatus eſt: maioris felicitatis ſpem fecit. ſimul adſcripſit, quòd benè pugnaſſet, quodque cogitata ad eam diem proceſ-

Multa oppida deduntur.

Cæſar Emmanueli Philiberto per literas gratulatur.

ſiſſent, nolle eum efferri. ſi verò ſaperet, non neceſſe haberet bellum diutiſſimè trahere, vel ex bellis bella ſerere. neque iis temerè crederet qui ad noui ſpem triumphi eius animum allicerent. cogitare enim debere Martem eſſe communem, & bellorum exitus incertos. bella non niſi neceſſariò ſuſcipienda, fortiſſimè gerenda, ocyſſimè terminanda. ſic igitur exiſtimaret eam verè victoriæ futuram gloriam, ſi bellum honeſta, ſtabilique pace finiendum curaret. denique meminiſſet, oportere Chriſtianum Principem ab omni iniuria maleficioque temperare: ſed à profundendo ſanguine, atque à Chriſtianorum cæde, multo magis. auctorem belli, malorum etiam auctorem quæ ex bello emanant cenſendum eſſe. neque legatum exercitus imperatoremue, tametſi probum & à malo facinore abhorrentem culpa vacare. nam ærumnas quæ bellum comitantur eſſe innumerabiles; quibus alleuandis imperatoris probitatem parum prodeſſe. atque hæc aſſiduè ſibi ab oculos verſari; de quibus eum monendum cenſuiſſe vti pater filium monet; neque ſine dolore gemitu, lacrymiſque ſcripſiſſe. Probabat Cæſaris conſilium Emmanuel Philibertus, neque ab eo abhorrebat eius ingenium. ſed alieni arbitrij rem, nempe Philippi Regis, non cum vellet ſed cum tempus poſtularet, aliquaue daretur occaſio, aggrediendam animaduertebat. Interim Gallorum Rex tanto accepto detrimento, tametſi nullam in vultu coloreue, aut inſolito motu corporis varietatem oſtendere; tamen anxiùs trahere cum animo ſuo, quid ſibi faciendū putaret. ſentiebat cōtuſas eſſe opes ſuas, Philippi Regis auctas. intelligebat hanc eſſe calamitatum conditionem: vt in iis omnia propemodùm conuertantur: quæ priùs facilia, expedita, procliuia videbantur; eadem aſpera, dura, laborioſa fieri. amicos multum de priſtino ſtudio remittere: inimicis audaciam creſcere: dubios in officio non facilè contineri: pleroſque malle comites eſſe victoriæ, quàm in rebus aduerſis ſocios: plures ad fortunæ motum ſe mouere: nonnullos etiam ſine alia cauſa, ex amicis inimicos exiſtere. ad hoc permouebatur Memorantij, Colignii, & aliorum præfectorum multorū deſiderio, qui capti

Gallorū Rex animo non deficit.

in Emmanuelis Philiberti poteſtatem venerant: quorumque opera in omnibus bellis fortiſſima ſingulariq́ue fuerat vſus, atque eorumdem fidem in magnis rebus ſepenumerò fuerat expertus. Sed tandem animi ſui celſitudine indignum putauit, omnia potiùs non experiri, quàm animo ſuccumbere. permagni verò intereſſe exiſtimans, etiam ad opinionem hoſtium, tantas videri Galliæ facultates, vt quæ ſuperiore bello damna illata eſſent, ea facilè reſarcire, & diminutas copias redintegrare poſſet, exercitum duplicare conſtituit. Quibus ex rebus Regi in aduerſis aucta eſt auctoritas; quæ alijs imminui ſolet. Exhauſto ærario pecunias imperauit, quæ facilè ab amantibus, & fidelibus populis collatæ ſunt. duos magnos exercitus breui tempore, & vtrumque armis omniq; militari inſtrumento, præſertim campeſtribus & muralibus tormentis inſtruxit. alterũ à ſe abeſſe noluit: alteri Termeum veteris diſciplinæ, magniq; conſilij, ac magnæ fortitudinis virum præfecit. Termeus eo prælio, quo ad Cereſolium dimicatum eſt, & Cæſarianæ copiæ fuſæ ſunt, annis antè circiter quatuordecim, cùm equitibus leuis armaturæ præeſſet, captus à Cæſarianis caſu fuerat. poſteà Parmæ oppugnationem fortiter ſuſtinuit, atque omnibus propè bellis, quæ geſta à Rege ſunt, maximam virtutem præſtitit: & quòd magnum in re militari vſum haberet, ad eum honorẽ euocatus eſt. Huic mandauit Rex Henricus, vt copias quamprimùm per Gandauenſium, & Brugenſium fines in eam Belgarum oram, quæ Oceani Britannici littoribus adiacet, induceret. Termeus vti imperatum erat, cum eò contendiſſet, latè regionem omnem depopulatur, frumentis ſucciſis, ædificia incendit, magnum pecoris atque hominum numerum capit. ex omnibus locis agitur præda. plura oppida, Mardicum, Donquerca, Berga, Sanuinocum, Honcoſta partim oppugnantur, partim expugnata diripiuntur. Ipſe Gallorum Rex coactis magnis copijs, ad omnes caſus paratus eſſe videbatur; ſiue alienos fines inuadere ſtatueret; ſiue ſuos tueri cogeretur. nec tamen adhuc quid animo cogitaret ſatis patefaciebat: ſed conſilia ſua quantùm poterat tegebat; ac cunctanti ſimilis, rei ge-

Exercitus duos contrahit.

Termeum alteri exercitui præficit.

Termeus multa oppida in poteſtatem redigit.

rendæ moram interponebat. vel vt vires & conſilia Philippi Regis priùs exploraret; vel vt cognoſceret quàm proſperè Termeo, quem alteri exercitui præfecerat, res cederet. At Emmanuel Philibertus haud per otium hyemem eam traduxerat. nam quid in hybernis ageretur, quotidie diligenter explorabat, vti ſe miles in ijs gereret maximè ſolicitus; quem languidum ac remiſſum eſſe non paſſus eſt. quæ homines deliniunt atque ad ignauiam animos molliunt, magna ex parte ſuſtulit. ſcortorum turbam minuit. mancipiorum, calonum, inermium numerum præſcripſit. ſtationes plures diſponi, in eis militem frequentem eſſe, crebras noctù poni vigilias, eaſque circumiri iuſſit. Edicto monuit vt miles equum, arma, tela parata haberet, atque ad iter nunquam non expeditus eſſet. Ineunte vere exercitum ex hybernis eduxit, eum recenſuit, delectum habuit, nouas copias conſcripſit, tormenta expediuit, rem frumentariam reliquumque commeatum diligenter prouidit. Ac principio coniectura iudicauit, acerrimi animi Regi bellicoſiſſimoque, maiores ſpiritus acceſſuros. eũque, ne fractus animo videretur, omnia conaturum vt deintegro grauiſſimum bellum inferret, atq; vt acceptum incommodum virtute deleret. Poſtea vbi cognouit eum & duos magnos fortiſſimoſque exercitus comparaſſe; & Termeum alteri præfectum ad vexandam extremam Belgarum prouinciam profectum eſſe; dubitãdum non putauit quin ſeſe Regis conatibus opponeret, qui Namurci finibus appropinquare nunciabatur; multique oppidum ipſum oppugnaturum affirmabant. Erat autem coercendus Termeus, & præfecto præfectus opponendus, qui cum eo congredi armiſque contendere auderet. atque eò magis quòd ſciebat ea parte Gallis plurimum fiduciæ, ac ſpiritus acceſsiſſe: non quòd Theonuillam rurſus in poteſtatem redegiſſent: nam Petrus Stroza fortiſsimus imperator, atque omni bellica virtute clariſsimus, ibi ceciderat, neque erat emolumentum iacturæ par; ſed quoniam Caletem quoquè munitiſsimum Reginæ Britanniæ oppidum expugnarant. Emmanuel Philibertus primis quidem de Caletis oppugnatione nuntijs, ſtatim copias

Emmanuelis Philiber. diligentia.

Petri Sirozæ mors.

Galli Caletẽ expugnant.

eduxit: atque ſubſidium laturus, magnis itineribus Gandauum celerrimè peruenit. ſed ipſius celeritas præfecti Britanni formidinem non æquauit. cum enim is reſiſtere poſſet, ac diutius oppugnationem ſuſtinere, conſulens ſaluti ſuę potius quàm exiſtimationi & fidei, continuò deditionem fecit. Erant item in exercitu Philippi Regis duces ſummi, qui magnam fortitudinis opinionem, magnumque in re militari vſum habebant. Ex ijs omnibus Comitem Egemontium eligit, ſummo loco natum, ſpectatæque virtutis, ac fortitudinis. copias omnes in partes duas diuidit, vti Regem feciſſe non ignorabat. ſimilique ratione partem vnam ſecum retinet, alteri Egemontium præficit. cumque quid fieri vellet oſtendiſſet, belli illius adminiſtrandi ſummam ei permiſit. monuit in primis, ne quam bene gerendæ rei occaſionem amitteret, & data facultate prælio decertare non dubitaret. Quàmuis autem Termeus tantummodo leuioris armaturæ equites haberet, Egemontius verò præter illos, nonnullas præterea cataphractorum turmas; Hiſpanos etiam pedites veteranos haberet ſummæ fortitudinis, quibus cum pedites Germani & Aquitani Termei non eſſent conferendi: erant tamen Hiſpani, Gallique ducis copiæ numero æquales: nam vterque peditum circiter vndecim millibus, equitum duobus millibus plus minus præerat. Videbantur item ipſi Duces virtute, atque vſu rei melitaris inter ſe pares: ſed in eis diſpar vel prudentia, vel felicitas. Termeus enim vbi Calete egreſſus copias ad oppidum Grauellinam oppugnandum adduxit, deſperata expugnatione oram illam peruagabatur; neque de cognoſcendis Hiſpanorum conſilijs admodùm videbatur eſſe ſolicitus: quos cum adhuc procul à ſe eſſe, quoniam cupiebat, putaret, hi propriùs aberant quàm putabat. contra Egemontius per exploratores de Gallorum itinere, conſilijſque certior factus ſilentio ab Emmanuele Philiberto diſcedens, compoſito agmine, pedetentim cauteque progrediebatur. Quinto ex quo diſceſſerat die ad hoſtes peruenit, quo die cum priùs campos qui inter Gallorum exercitum & Caletem medij erant, occupaſſet (nam Galli longius ab oppido

Emmanuel Philibertus Com. Egemõtium aduerſus Termeum mittit.

Digitized by Google

do receſſerant) repentè ſeſe eis oſtendit. Termeus improuiſo Hiſpanorum aduentu permotus, vbi ſe Calete excluſum animaduertit, ignominiæque ac periculi paris fore intellexit ſi terga hoſtibus verteret, atque inde recedere conaretur, neceſſariò conſtitit, ſtatuitque prælio rem committere. Vniuerſi peditatus, cui maximè confidebat vnum agmen, idque quadratum conſtituit. tria agminis latera equitatu circundedit. quarto lateri milites tormentis minoribus armatos adiecit, atque ea parte pro vallo carros, quibus impedimenta vehebantur, obiecit: ac continuò prælij comittendi ſignum dedit. *Acies Termei.*

Neque Egemontius huic rei defuit. nam vti militaris diſciplinæ ratio poſtulabat aciem inſtruxit; ac peditatus triplicē aciem conſtituit. diuiſit item equitatus in partes tres. duas ad latera vtriuſque cornu collocauit, tertiam mediæ aciei præſidio eſſe iuſſit. Dextro cornu Barlemontium caſtrorum magiſtrum, ſiniſtro Benincurtium, qui tum Belgarum partem regebat, præpoſuit: ipſe mediam aciem tenuit. Cumque exercitum militari more ad pugnam breui oratione cohortatus eſſet; rogaſſetque, vt Emmanuelem Philibertum adeſſe exiſtimarent, & quam virtutē ipſi ſæpenumerò antea præſtitiſſent, eandem ſibi eius duci præſtarent, concurrendi ſignum dedit. Vtraque pars in aduerſam partem celeriter procurrit. Sed Egemōtius prior equites ſuos in Gallos equites immiſit; qui tametſi principio audacter reſtiterunt, fortiterque pugnarunt, Hiſpanorum tamen impetum non tulerunt, ſed paullò poſt loco moti, paullatimque cedentes cum acriùs premerētur terga verterūt. Ea fuga adeò perturbauit Gallorum ordines, vt latus illud quod obiectis carris muniebatur, tueri non potuerint. qua parte patefacto aditu, Hiſpani ab latere aperto Gallos adorti magnum eorum numerum interfecerunt, ceperuntque. Pedites Galli neque maiores habuere vires ad reſiſtendum, neque in quærenda ſibi ſalute feliciores fuerunt. nam cum hoſtibus congreſſi bis ordinibus perturbatis, de integro conglobati, bis prælium redintegrarunt; ſed demum pulſi omnes, ac fugati ſunt. Termeus vt pedites quibus plurimùm valebat moueri loco, & *Acies Egemontij.* *Prælium.* *Galli fuſi, capti, cæſi.*

per-

perturbari eorum ordines animaduertit, illuc accurrit, & eos aduentu ſuo confirmare, aciemque conuerſam reſtituere conatus eſt. ſed omnia erant timoris, fugæ, tumultus plena: vt nemo preces, vocemuè eius audiret. Itaque Gallorum exercitus fuſus eſt, perterritiſque omnibus, ſibi quiſque ſalutem fuga quærebat; quos Egemontij equites conſecuti, ceperunt, occideruntque. Eandem fortunam tulerunt pedites circiter octingenti, qui ex prælio ſuperfuerant, quique ſalutis ſpem omnem in fuga ponentes ſimul collecti Caletem properè reuerti contendebant. nam in itinere à finitimis qui malè Gallos oderant, ad vnum omnes interfecti ſunt. Conſtat Aloiſium Carualialium eo tempore magnam peditum manum ex vlteriore Hiſpania aduexiſſe: cumque prius Britanniam tantùm attigiſſet, inde continuò ad pugnæ locum contendiſſe, milites expoſuiſſe, Egemontio ſubſidio profectum eſſe. tanta verò contentione Carualiali, & Egemontij milites eo die dimicaſſe, vt illi magnum adiumẽtum his attuliſſe, magnoque vſui fuiſſe; hi verò nullius auxilio eguiſſe viderentur. Fertur item gubernatores nauium Hiſpanis expoſitis, puppes ad littus cõuertiſſe; cumque haud procul à mari pugnaretur, plura tormenta in Gallorum aciem emiſiſſe. Sed eo prælio Gallorum equitum, peditumque circiter quatuor millia cæſa ſunt. capta magna tormenta octo, relata equitum peditumque ſigna ampliùs ſexaginta. Termeus dux fortiſsimè prælians, multis acceptis vulneribus, captus eſt; & cum eo Vilarbonius, Senerpontius, Hanebaldus, Moruilerius, & alij ſummæ nobilitatis, atque potentiæ. Egemontius ex ſuis circiter trecentos deſiderauit, qui primo concurſu ceciderant. Pugnatum eſt aperto, ac patente campo: vt nullus inſidijs, virtuti tantùm, & fortitudini locus fuerit, Idibus Iulij M. D. L VIII. menſe vndecimo, ac quinto die poſtquàm ad Sanctum Quintinum prælium factum eſt. Hac pugna nunciata, magnum in Philippi Regis aula gaudiũ, magna in totis eius caſtris fuit lætitia: inuiſa nemini; quoniam finis eius moderatio atque modeſtia. Egemontius magnam laudem & militaris ſcientiæ, & fortitudinis & prudentiæ con-

Digitized by Google

ſecutus eſt. Sed omnes Emmanueli Philiberto primas deferebant: à quo Egemõtius prępoſitus illis copijs,& aduerſus Termeum miſſus,& conſilio, & monitis adiutus fuerat:& ad quem totius belli illius adminiſtrandi ſumma reſpiciebat. Qua ratione cenſuit etiam Philippus Rex,ad eundem arma & captiuos & ſigna, perinde ac ſi præſens fuiſſet,belli iure pertinere. Conſtat victorem Egemontium, Donquerea recepta, Dorlanum vſque perueniſſe, parùm ab Ambiano diſtans,& omnes eius fines per quos ierat, cædibus, terrore, ac fuga compleuiſſe. Magni item motus Allobrogum per eos dies extiterant. Nam Nicolaus, qui Poruilerenſijs imperabat, Sabaudi nominis ſtudioſiſsimus, excitis ad arma prouincialibus,Brixiam Sebuſianorum occuparat: Burgum oppidum obſidebat: Lugdunum per inſidias Gallis eripere,atque in poteſtatem redigere tentauerat. Quibus omnibus cognitis Henricus Rex, tametſi animo inuictus,nulla calamitate frangi,nullo detrimento incommodo vé terreri poterat; tamen maximi conſilij vir, quo in ſtatu res ſuæ eſſent, animo circumſpexit; & quæ impenderent mala niſi ſibi ipſe prudenter conſuluiſſet, facilè prouidit. itaque copias oẽs quas ſecum habuerat,quæque adhuc integræ erant continuò reduxit,ſuoſque tueri fines inſtituit. Atque hic inter duos ſummos Reges bellorum finis. Gallum attenuatæ vires, & diminutæ copiæ continuerunt: Hiſpanum domeſticus luctus. Cùm enim Philippus de patris morte Caroli V. Cæſaris cognouiſſet, qui XI. Calen. Octobris è vita diſceſſerat, non tam anni tempore excluſus, quàm eo triſtiſsimo nuntio perculſus,animum parũper à belli cogitationibus auertit. Itaque Emmanuel Philibertus, cognita Regis voluntate, vt exercitus vterque reduceretur, ac maturius in hybernis collocaretur imperauit. Vbi Egemontius Bruxellas peruenit, ſententiæ Philippi Regis acquieuit: nihilque tergiuerſatus: quæcunque eo bello acquiſierat Emmanueli Philiberto bona fide tradidit, atque vt de ijs arbitratu ſuo ſtatueret, permiſit. is ſigna,vexillaque numero centum quadraginta vtroque capta prælio Niceam transferri, atque in delubro Mariæ Virginis collocari iuſſit, vt inſignia vi-

In Allobrogib. motus.

Belli finis.

Cæſaris mors.

Digitized by Google

ctoriæ in illa vrbe potiſſimùm viſerentur, cuius vrbis nomen victoriam ſonat. In captiuis benignè dimittendis, eorumque ſumma conſtituenda, quos propinqui pecunia redimere cupiebant, nihil de priſtina liberalitate remiſit. Termeo, alijsq́ue nobilioribus, ac primarijs ducibus cuſtodes tantùm appoſuit, atque ab eo nullum illis defuit ſtudij, & humanitatis officium. Horum permagnus erat numerus: eiſque permittebatur, vt inuiſerent quoties vellent alter alterum: conuenirent, ſimul eſſent, atque vnà familiariter, & liberè colloquerentur. Itaque primò de præteritis caſibus ſermones multos habere; tum quæri, ac communem Galliæ ſtatum miſerari incipiunt. deinceps inter ſe exquirunt, nunquid tot malorum remedium aliquod, finiſué tandem inueniri poſsit. Omnes ſalutis ſpem in pace poſitam putant: vnam pacem probant. Memorantium adeunt, iamdiù anxium, noctes, dieſque eadem ſecum agitantem. rem totam vti ſuſcipiat, rogant. ille primo animum Emmanuelis Philiberti pertentat: & per eum Philippi Regis. nam de Gallorum Rege ſpem maximam afferebat: propenſum illum ad pacem fore; & eos qui ſecum de compoſitione agerent, æquiſsimis auribus auditurum. Pacem Philippus Rex laudabat; affirmabatq́ue optimam fore, ſi vera, ſi diuturna, ſtabiliſq́ue: ſin breuis, & ſimulata; negabat dandum hoſtibus victis ſpatium, quo refectis viribus, bellum primo quoque tempore renouarent, repenteq́ue acriores ad arma deſcenderent. Pacem autem cum Gallis eſſe nullam poſſe, niſi priùs reſtitueretur in antiquum imperium, priſtinaſuè ditiones auitas Emmanuel Philibertus. proinde eum monet etiam atque etiam videat quid optimum factu ſit. quòd ſi in eam ſententiam venerit vt agendum de pace cenſeat, ipſe omnem eius rei cogitationem, curamq́ue ſuſcipiat. Sed erat in magnis negotij illius difficultatibus ipſa rei gerendæ ratio. nam de pace per litteras agere ineptum erat. quòd autem ad colloquia, & legatos attinebat, vnus erat Memorantius cui Gallorum Rex de maximis rebus communicare conſueuerat, ac cuius vel conſilio,

Captiui Galli de pace conſultant.

Memorantius ad Gallum Regem.

vel

vel grata, vel auctoritate permoueretur. ipſe vero cum eo tempore captiuus, & alieni iuris eſſet; nulli ad eam rem vſui futurus eſſe videbatur. Sed Emmanuel Philibertus fide ab eo accepta, ſe, confecto, infecto negocio omninò rediturum, liberam abeundi atque in Galliam ad Regem proficiſcendi poteſtatem fecit. Rex Memorantij aduentu atque oratione permotus, qui accepta incommoda commemorabat; duos magnos exercitus paucis menſibus fuſos, equitatum omnem diſſipatum, Galliam magna nobilitatis parte ſpoliatam; denique rem eò redactam vt Rex cum alijs pro gloria poſſet contendere, cum Hiſpaniarum Rege, præſertim eo tempore, pro ſalute certandum eſſet, animum flexit: pacemque, & amplectendam, & expetendam ſibi perſuaderi paſſus eſt. Neq; eum de ſententia deterruit iacturæ magnitudo, quòd quæcumq; in Allobrogibus & Subalpinis annorũ circiter vigintiquatuor ſpatio armis Galli quæſierant, dimittenda eſſent, atq; priori domino Emmanueli Philiberto relinquenda. nam & eũ iam diligere cæperat, & ſorori Margaritæ adhuc innuptæ virum deſtinarat: neminemque cenſebat eo coniugio digniorem. & cum eũ ſæpè expertus ſuperare armis non poſſet, ſatiùs ducebat obſequiis & officiis vincere, quàm perpetuò bella & diſcordias alere; quibus verendum eſſet ne aliquando ea per vim reddere cogeretur, quæ æquis cõditionibus dimittere noluiſſet. Iraq; Memorantius acceptis à Rege ſuo de pace mandatis, fidem ſeruat; nullaque interpoſita mora ad Regem Philippum reuertitur. expectatus & optatus aduenit: mandata exponit: deligitur colloquio locus: certum ei rei tempus conſtituitur. Vbi aduenit dies conueniunt in Cãbreſianam arcem, pro Hiſpaniarum Rege Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, & Antonius Perenotus Atrebatenſium Epiſcopus: pro Henrico Galliarũ Rege Cardinalis Lotharingius, & Memorantius: pro Emmanuele Philiberto Thomas Languſcus Storpianæ Comes, Io. Franciſcus Oſaſcus Senatus Haſtenſis præſes omnis iuris peritiſsimus, & Buquietus familiæ præfectus. magnum in conſultationem negotium veniebat. itaque dũ conſilia ineuntur, qua ratione res ad otium deducatur; mul-

Rex flectitur ad pacem.

Memorantius redit.

ta in medium prolata: multa & acutè & prudenter diſputata: quiſque eius à quo miſſus fuerat, partes tueri omni ſtudio diligentiaque conatus eſt. Poſtremo ad III. Non. Aprilis M. D. *Pax inter duos reges.* L IX. placuit, omneſque in eam venerunt ſententiam, pacem æquis conditionibus componendam, quarum ſumma (quantum huc pertinet) hæc fuit. *Pacis conditiones.* Vt Elyſabeta Henrici Regis filia Carolo Regis Philippi filio nuberet, Margaritam Henrici ſororem Emmanuel Philibertus in matrimonium duceret. Vt quæcumq; ſuperioribus temporibus bellorum vi erepta eſſent, continuò redderentur. atque in primis Emmanuel Philibertus in auitam tranſalpinæ, ſubalpinæque ditionis poſſeſſionem reſtitueretur. Gallis tamen liceret oppida quinque in ſubalpinis retinere. Taurinum, Penarolium, Cherium, Cliuaſium, & Villamnouam; quoad iure experirentur, an ad Gallorum Regē vt ipſi rebantur aſſerebantque, Nicea vrbs & eius ditio, & Brixia ſebuſianorum, aliæque nonnullæ ditiones & oppida; an ad Sabaudiæ Duces pertinerent. eodem vero tempore, vti Philippus Rex Vercellas, & Haſtam Coloniam obtineret, vtrimque præſidia ſua deducturus, cum Galli quæ diximus, lite diiudicata dimiſiſſent. Rex vterque, & Emmanuel Philibertus pacem conditioneſque probarunt. Illud tantum Philippus Rex immutari poſtulauit, vt Henrici Regis filia, quæ Hiſpaniarum principi Carolo filio ſuo deſtinata erat, ſibi deſponderetur. Quæ res Henrico Regi optabilis potius quàm optata; (neque enim voluntas aberat, ſed ſpes) cum per ſe grata ac iucunda eſſet, eoque iucundior quòd inopinata, ipſius Regis Galliæque totius gaudia duplicauit.

LIBER SECVNDVS.

IAM verò omnem Europam, & propè terrarum orbem de compoſitione inter ſummos Christianos Principes conſtans fama perfuaſerat. quare immortales actæ Deo maximo gratiæ, paſsímque ſupplicationes decretæ. publicæ autem famæ æqualis, communiſq; omnium lætitia reſpondebat. Nam de ſummo Pontifice Paulo Quarto dubitandum non erat quin magnoperè lætaretur: ad quem tanquam ad omnium parentem, præcipuè pertinebat Deum aſsiduè precari, omnemque operam dare, vt pax inter Christianos Reges conciliaretur. Ferdinandus Cæſar, & alij Europæ Reges optata potiùs quàm ſperata pace non magnoperè gaudere non poterant; quòd vtrumque Regem Hiſpanum & Gallum, vel amicitia, vel affinitate contingebant. Veneti, Ligures, Lucenſeſque, & reliqui Principes Itali, quorum nemo erat quin alteri parti vel palàm vel occultè faueret, pacem mirificè probabant; quòd neque inimicum vinci, neque amicum vincere, ſed vtriuſque vires exæquari, & bellum extingui maximè cupiebant; veriti ne altero prorſus debellato, alterius potentia nimis augeretur: vt ab inimico victore certa pernicies; ab amico, non certa ſalus expectanda eſſet. Adeò rerum humanarum miſeria, vel noſtrorum temporum iniquitate, rarò ſumma potentia cum ſumma moderatione coniungitur. Rex Philippus videbatur proprio quodam iure exultare poſſe, quòd pax cumulus geminatæ inſigniſque victoriæ eſſe cenſebatur. Henricus Gallorum Rex, quòd tantis incommodis acceptis, omni tamen ex parte ſaluo atque incolumi regno, honeſta pace bella finiuiſſet: oblato inſuper ei præter ſpem genero Philippo Hiſpaniarũ Rege; Margarita ſororè Emmanueli Philiberto in matrimonium collocata. nàm cum Henricus ditiones Subalpinam Tranſalpinamque ei reddebat, agebat quòd iuſtitia, & pacta, & conuenta poſtulabant, quodque ex re æquè ſororis

Communis de pace lætitia.

atque eius viri futurum erat. Emmanuel Philibertus, quòd parto poſt tot annos otio, receptis paternis imperijs, bellica gloria clariſſimus, laborum ſuorum fructu fruiturus erat, nihilque ei deerat niſi triumphus (quamuis iuſtam habere triumphandi cauſſam hiſce temporibus, quàm triumphum agere, non minus glorioſum eſſet,) quodque addito virtuti ac fortitudini tanto rei militaris vſu, tantaque rerum geſtarum, fama ſuis rebus conſtitutis ſecuro eſſe animo poterat: alijs etiam metuendus; niſi naturali quodam bono & optima diuturnaque diſciplina, diligi quàm timeri maluiſſet. Vniuerſi populi, præſertim qui horum parebant imperio, partim quòd ſublato bello impendentium malorum metu omni liberati erant; partim quòd nulla amplius imperandæ pecuniæ impoſita neceſſitate, tributis & oneribus leuati, tranquilliore animo commodiuſq; ſe vitam acturos reliquo tempore ſperabant. Itaque hilaritatis & lætitiæ, vti demonſtrauimus, plena omnia. Verumtamen hoc commune gaudium optatis & expectatione bonorum longè breuius: nimirum paullò poſt (vt fluxæ ſunt humanæ res, crebræque illarum viciſſitudines) magna ægritudine contaminatum. Emmanuel Philibertus breuitate temporis excluſus, de pace paciſq; conditionibus Ferdinandum Cæſarem priùs docere non potuerat, quàm decreto Regum, ſuoq; ipſius ſancirentur, quoniam celerrimè tranſacta erant omnia. Sciebat autem olim à Carolo patre ſuo, & Ferdinando Cæſare annis ante circiter viginti actum eſſe, vt Magdalena Cæſaris filia virgo iam nubilis, ipſi, qui tunc decimum annum vix attingebat, deſponderetur eidem cum adoleuiſſet, nuptura. quare legato ſuo Proſpero Archi Comiti mandat, vt conditiones pacis, atq; in primis de Margarita Valeſia ducenda quamprimum Cæſari ſignificet. paullò poſt in Germaniam ad eundem mittit Gaſparem Ponzilionum ab epiſtolis: quem ob magnam in rebus agendis diligentiam, & fidem carum habebat. Ponzilionus Emmanuelis Philiberti nomine ignoſci petijt quòd ſerius adueniſſet: affirmauitque tunc demum illi grata fore Cambreſiana decreta ſi eius conſenſu comprobarentur, quem ſemper

Emmanuel Philibertus cum Ferdinando Cæſare ſe excuſat

Ponzilionum ad Cæſar. mittit.

omni

omni ſtudio atque obſeruantia coluiſſet quemque fautorem, adiutorem, patronum rerum omnium ſuarum habere magnoperè cuperet. Cæſar quam animo capiebat voluptatem vultu, verbis, re oſtendit. hominem benignè accepit, donatum dimiſit. reſpondit ſe publica priuatis ſempes habuiſſe potiora. quæ verò pręcipuè ad Emmanuelem Philibertum pertinerent, non minori ſibi curæ fuiſſe quàm ſua. Proinde ſponſionem, quæcumque de ipſius & filiæ nuptijs facta eſſet, ſe volentem libentemque remittere. Quod verò fauſtum, fælixque eſſet, Henrici Regis ſororem Margaritam vxorem duceret; & quod agendum eſſet ageret ocyus, neque moram vllam interponeret, nihil cunctaretur: nam in illo potiſsimùm matrimonio ſitam fore prolis Sabaudæ ſpem, Regum, & Principum Chriſtianorum concordiam, Europæ tranquillitatem, Italiæ ſalutem. Magdalena verò coniugio quod ſperarat, caritura, cætera quæ proponebantur coniugia conſtanter recuſauit, atque in ædes ſacrarum Virginum ſe conijciens, ſuam Deo virginitatem perpetuò conſecrauit. Eodem tempore Emmanuel Philibertus nuntios confeſtim ad Paulum IIII. Pontificem Maximum miſit, eumque de pace eiuſque conditionibus, ac de nuptijs certiorem fecit. Quoniam verò affinitas obſtabat impediebatque quominùs legitimè fierent; nàm Franciſcus Primus Rex Henrici & Margaritæ Pater, matrē habuerat Ludouicam Caroli Sabaudiæ Ducis ſororem, Emmanuelis Philiberti amitam; petijt vt pro auctoritate ſua lege illa quæ impedimentum afferebat, eos eſſe ſolutos iuberet. iuſsit id libenti animo Summus Pontifex, diplomaq; ſumma diligentia ſtatim conſcribi, & aureo ſigno pro plumbeo conſignatum mitti voluit. Cum autem poſtulationi eius concederet, ac de more ſcripſiſſet, FIAT, quaſi celeſti afflatus numine addidit, MASCVLVS; naturamque poſtea diuini Vicarij imperio paruiſſe, & eum verum vatem, ac futura vaticinatum fuiſſe, felix euentus breui tempore comprobauit. Sed iam primis diebus, poſt ratam habitam ab omnibus quorum intererat pacem, confirmatamque; Thomam Languſcum Emma-

Quæ Cæſar reſpondit.

Sum. Pont. impedimentum matrimonij tollit.

Vaticinatur de maſculo.

nuel

nuel Philibertus in Galliam ad Regem miſerat, qui in primis Margaritæ ſponſæ litteras afferret, charas quidem, & optatas: eam inuiſeret, & ſuo nomine ſalutaret. ijs litteris acceptis magno illa gaudio cumulata eſt: quibus etiam paullò poſt reſcripſit: non putare ſe pluribus hortandum eum vt moram nullam interponeret quinquam primùm adueniret: ſed affirmare aduentum eius Henrico Regi, & affinibns omnibus, & toti Galli optatum & gratiſſimum fore: de ſe nihil dicere, cuius ſenſum cupere ſenſu ſuo ipſum metiri, qui celeritatem tantæ ſibi curæ eſſe per litteras & nuntios oſtenderet. Emmanuel Philibertus igitur hortante in primis magnoperèque ſuadente Philippo Rege, ſubitò profectionem in Galliam adornat. Viros centum primarios eligit genere claros, pretioſa veſte, ſimilique inſignes: ijs variata coloribus, nigro nempe, croceo, rubro, quibus Margaritæ oculos delectari cognouerat. in ijs Philippum & Claudium Sabaudos fratres; alterum Raconiſij, alterum Pancalerij Comitem: Bernardinum Sabaudum Caburri Comitem, Thomam Languſcum, Oſaſcum Preſidem, Rubertum Rouereium eorum præfectum militum quos cuſtodiæ cauſſa circum ſe habere conſueuerat; Buquetium familiæ præfectum: atque, ne ſingulorum nomina recenſeamus, alios complures magnos viros, cùm Hiſpanos, tùm Belgas, qui eum quem diximus numerum conficiebant. Cum eo tam ornato comitatu ſpectante Philippo Rege, pompamq; & ſplendorem laudante, Bruxellis diſcedit: per diſpoſitos equos iter facit: breui: Lutetiam Pariſiorum peruenit. Appropinquanti occurrerunt omnes propè Ciuitatis illius ordines; frequentiſſima nobilitas paſſim ſeſe effudit: eumque Regis filij, qui cum primarijs viris principibuſque Regis propinquis & neceſſarijs obuiam prodierant, benigniſſimè exceptum ad Regem perduxerunt. Rex ex cubilibus ſuis egreſſus, atque ad extremum conclaue progreſſus aduenientem affinem, ſeq; demittentem erexit, ac ſumma cum amoris ſignificatione ſemel atq; iterum amplexus, iuncta dextera vix lacrymas præ gaudio tenuit: eumque ſtatim ad Margaritam ſororem perduxit. Ni-

Emmanuel Philibertus in Galliam.

Henrici Regis filij cũ proceribus Emmanueli Philiberto obuij.

hil maiori curæ erat Regi, quàm vt nullũ in hoſpitẽ eumdemque propinquũ officium prætermitteret, quocumque honore poſſet eum afficeret, atque vt ſororis ac filiæ nuptias maximo ſingularique ſplendore celebraret. nam ad eum Ferdinandus Toletanus Albæ Dux iam peruenerat, qui Elyſabetam Virginem Regi Philippo deſponſam, in Hiſpaniam perduceret. At primùm in regia, paſſimque alibi conuiuia copioſa, lautiſſimaque inſtructa ſunt; deinde ludi, & varia pugnarum ſimulacra edita. Quibus Henricus dum id agit vt robuſtos milites viribus non minus quàm Summos Reges magnanimitate ſuperet ex gloriæ cupiditate vitæ finem ſibi maturat. Diximus genus eſſe certaminis ludicri, quo armati equites admiſſis equis alter in alterum feruntur, lanceiſque, quarum tamen acies ferrea retuſa eſt, mutuò ſe petunt. hos equeſtres ludos Rex ſe facturum, atque cum iis qui eius rei cauſſa aduenerint, ſe concurſum edicit. Diem dici, certumque locum ſpectaculo conſtitui iubet. omnes qui robore præſtent, viribuſque confidant ad certandum inuitat: vt in campum deſcendant, hortatur: quæ victori præmia delaturus ſit, proponit. Die certamini funeſto conſtituta, maxima mortalium multitudo ad ſpectandum confluxit, non ſolum tota vrbe, ſed etiam ex finitimis locis omnium ætatum, ordinumque viri ac mulieres. Rex in equo armatus prodiit, atque in altera areæ parte conſtitit: qui cum eo certaturi erant è regione. Iam plures cum eo concurrerant; nemoque ex ſpectatoribus erat, qui & elegantiam, & equitandi ſcientiam, & ſummam fortitudinem eius non admiraretur, ſummiſque laudibus non extolleret. Sed Reginæ atque aliarum regiarum mulierum, & Emmanuelis Philiberti vocibus permotus, quibus rogabatur, vt à pugna tandem deſiſteret, neque tantoperè fatigaretur; finem certandi facturus eſſe videbatur. Abire inde volentem ferunt oculos in oppoſitam partem conuertiſſe, ibique paratum ad pugnam equitem conſpexiſſe, atque eodem temporis momento, vndique concinentibus ſignis, tanquàm ſtimulis acriori eius animo admotis, protinus haſtam arripuiſſe, aduerſarium ad concurrendum inuitaſſe, equo cal-

Regiꝰ ſplendor in nuptijs ſororꝰ & filiæ.

Ludi equeſtres.

Rex Henricus cum Mongomerio concurrit.

car admouiſſe. Mongomerius, quo nomine aduerſarius appellabatur, futuri euentus ignarus, qui incitato equo ferebatur, ex militari diſciplina caput Regis lancea petijt, qua ſatis firma, & tamen fracta, comminutaque caſsis ferrea grauiſsimum ictum non ſuſtinuit: ſed ſuperiore parte ab inferiore aliquantulum diſcluſa, haſtę fragmentum per rimam illapſum Regis oculum transfixit. Rex protinus ſenſit ſe inſanabilem, & mortiferam plagam accepiſſe, ac ſubmiſſa quidem voce, ſed vt tamen ab ijs qui animaduerſo ictu ad eum accurrerant, audiretur, vitæ ſibi finem adeſſe dixit. Quæ vbi cognita ſunt (cito enim per totam vrbem fama perlata eſt, & quod palàm acciderat, celari tegiuè non potuit) omnes nouitate atque acerbitate rei mirum in modum perculſi, primò ſilere; obſtupeſcere, horrere. deinde, nondum curato vulnere, quiſq; pro ingenio, vel ſalutem ſperare, vel de ea deſperare. Poſtremò mortuo Rege, omnes tota vrbe, prouinciaque dolere, triſtari, caſum aduerſum miſerari, gemitibus, plangore, queſtu, lacrymis regiam complere. Regina verò, & liberi, & filiæ, & Margarita ſoror præ cæteris, in maximo luctu, ſqualoreque verſabantur, mœroreque conficiebantur. ſe miſerrimas appellabant: non ſolum quòd felicitatem calamitas excepiſſet (id enim interdum eſt conditionis humanæ, atque communis miſeriæ,) ſed quòd gaudia vix exorientia ſtatim occidiſſent: nuptiæ quas lætiſsimas eſſe decuerat, lacrymis perturbarentur, immò ipſarum initium eſſent: breuis lætitia diuturno dolore, exigua gaudia magno luctu miſcerentur. Rex dies decem poſt vulnus acceptum vixit, vndecimo interijt. Sed biduo antèquàm è vita diſcederet; cum ſe morbo vulneris vrgeri, & à morte non procul abeſſe intelligeret; integris adhuc ſenſibus prima luce Cardinalem Lotharingium ad ſe vocari iubet, atque ei quid fieri velit oſtendit. Cardinalis Margarita atque Emmanuele Philiberto confeſtim accitis, præſentibuſque primarijs viris pluribus, in Regis cubiculo ſacrum fecit: quo perfecto, cum idem ſolemnia verba præiret, vtrumque matrimonio iunxit. Tum Rex eoſdem vti propiùs accederent, rogauit, eoſque complexus languen-

Letale vulnus accipit.

Margarita & Emmanuelis Philiberti matrimonium.

Poſtrema Regis verba.

ti

ti voce, ſi quis in homine, inquit, extremis vitæ horis ſolarij ſenſus ineſſe poteſt; ſcitote me connubio veſtro magnoperè fuiſſe recreatum. quæ vobis ego pollicitus ſum filius meus integra fide præſtabit: maximè autem opto, & Deum etiam atque etiam præcor, vt felicitatem qua mihi frui non licet vobis addat; quoſque annos vitæ meæ iam ad finem properanti adimit, apponat veſtræ, atque vt ambo concordes diutiſsimè feliciſsimeque uiuatis. Reſpondere uolentes fletus prohibuit. quorum lacrymis ne Rex permoueretur, grauiuſque & uehementius afflictaretur, vterque ſenſim à cubiculo ſe ſubtraxit. Mortuo Rege, poſtquàm illi more regio iuſta facta ſunt, Emmanuel Philibertus paucos dies Lutetiæ Pariſiorum commoratus, Bruxellas ad Regem Philippum contendit, atque apud eum tamdiu fuit dum Rex in Belgis manſit, atque eius conſilio populorum illorum res conſtituit. Cumque Margaritam Auſtriacam ſororem magnæ virtutis mulierem, Octauij Farneſij Parmenſium Ducis uxorem illi prouinciæ præpoſuiſſet: in Hiſpaniam profecturus, Emmanuelem Philibertum uſque ad Mattiacorum inſulas, quæ Zelandæ appellantur, ubi claſsis præſtò erat, ſecum perduxit. Multa antequàm diſcederet: plura in itinere inter eos tranſacta: crebrò de grauiſsimis rebus magnæ conſultationes habitæ: atque ab vtroque eò diligentius, quòd prouidebant ſe magno locorum interuallo disiunctos, grauiſsimamque rerum & negotiorum molem ſuſtinentes, non facilè poſt eos dies mutuo aſpectu ſermoneque fruituros. Conſcendentem poſtremò nauem & abeuntem Emmanuel Philibertus iter proſperum & ſecunda omnia precatus eſt. nam ſi Philppi res ex Emmanuelis Philiberti ſententia proceſsiſſet, nemo poſt hominum memoriam illo felicior. Paullò poſt in Galliam redijt; ubi iam legibus & inſtitutis illius prouinciæ Franciſco II. quatuor Henrici mortui filiorum natu maximo regnum delatum erat. A nouo Rege nihil de priſtinis pacis conditionibus immutatum. Cambreſiana decreta confirmata, quin etiam datum paucis poſt diebus regijs Prouincia-

Rex mortuus.

Emmanuel Philibertus Bruxellas.

Philippum Regem comitatur.

Philippus in Hiſpaniā nauigat.

Franciſcus II. Galliarū Rex pacis conditiones confirmat.

Digitized by Google

rum præfectis negotium, vt veteres Emmanuelis Philiberti ditiones, Tranſalpinam Subalpinamq; liberè dimitterent: ijs tãtum retentis oppidis, quæ legibus pactiſque Cambreſianis except a fuerant. Itaque pro eo Rhenatus Challandi Comes, in Sabaudæ prouinciæ poſſeſſionem miſſus, Auguſto menſe Cãberium ingreſſus eſt. Eodem tempore Amedeus Valpergius Maſini Comes imperium ſubalpinæ prouinciæ eiuſdem nomine recepit. His confectis negotijs Emmanuel Philibertus ad Villam Cotienam, quò cum Rege animi cauſſa ſe receperat, in febrim incidit, eaque poſt nonnullos dies leuatus, valetudine recepta, rebuſque cum Rege ex ſententia conſtitutis, non antè ab eo diſceſſit quàm is in Remos perueniſſet, atque ei Remorum Epiſcopus prius in uncto coronam regiam de more ſolennibus cerimonijs impoſuiſſet: poſtea à Rege dimiſſus Lugdunum petijt. Itineris comitem diebus paucis Margaritam vxorem habuit: nam paullò poſt illa itinere conuerſo ad Regem fratris filium redijt; grauiſſimo viro ſummæque fidei ac ſpectatæ integritatis Carolo Prouanæ commiſſa commendataque diligenter; vt is rerum eius omnium curam ſuſciperet, atque ab ea non diſcederet. Erat apud Emanuelem Philibertum per eos dies Hieronymus vir ſingulari virtute: cui patria Taurinũ, Gens Ruuereia, maiores propinquiq; Summi Põtifices duo, Cardinales octo, Vrbinatum Duces ſex, ſummi viri bello paceq; clariſſimi complures. Ipſe literis ac bonis moribus à primis annis deditus, eo tempore Toloneſium Epiſcopus, tùm Archiepiſcopus Taurinenſis; poſteà in Cardinalium collegium lectus. hunc, cuius fidei ac prudentiæ magnoperè confidebat, in Italiam venturus, ex ſuis omnibus elegit, quem Legatum ad Regem Gallorum mitteret: quoniam ei prætereà chariſſimum ſciebat eſſe, quòd apud patrem Henricum Regẽ in honore diù fuerat, eundemq; mortuum paulò ante funebri concione publicè laudarat. Lugdunum Emmanuel Philibertus cùm perueniſſet, ibi tribus vel quatuor conſumptis diebus ad populos Sebuſianos excurrit: ac Brixiæ parumper commoratus, Lugdunumq; reuerſus amicum Franciſcum Ferdinan-

Sabaudia recipitur.

Item Subalpina prouincia.

Hieronym. Ruuereius Emmanuelis Philiberti legatus apud Gallorum Regem.

Emmanuel Philibertus. Lugdunũ & inde Miceã.

dum Aualum in Hiſpanias proficiſcentem offendit. Vterque ſecundo amne Rhodano haud magnis nauigijs vectus, & Auenionem contendens, vix naufragij periculum euaſit. nauigia quidem nonnulla, & quæcumque in eis impoſita erant, & ipſi vectores flante aduerſiſſimo vento ſubmerſi perierunt. Maſſiliam nauiganti cum non longè abeſſet à portu, Andreas Prouana occurrit, qui Nicea paullò ante diſcedens magnam lectiſſimorum hominum manum ſecum adducebat. ij Prouinciales erant maximo Emmanuelis Philiberti viſendi ſtudio flagrantes, atque vt aduentum gratularentur, aduenientes: qui ab eo omnes amanter accepti ſunt. Maſſiliam cum veniſſet, maximiſque à Prouinciæ præſide cæteriſque præfectis, honoribus affectus eſſet, à Franciſco Rege in equitum ordinem qui diui Michaelis appellatur, & cuius ipſe princeps erat, lectus eſt: torquem aureum Tendanus Comes eidem affinis, de more detulit. Triremibus tribus, cum illæ in portum Maſſiliæ perueniſſent, ibique aduentum eius opperirentur, quartam per eos dies emptam addidit: & cum eo nauium numero Maſſilia Niceam profectus eſt. Illuc ad III. Non. Nouembris appulit, omnemque ciuitatem, & totam illam prouinciam ingenti lætitia perfudit. atque eò magis quòd primis turbulentis temporibus illuc infans adhuc, vti ſupra demonſtrauimus, perductus, ibiq; educatus fuerat. Nicea Cuneum profectus eſt. nam haſce duas ciuitates ſibi priùs adeundas putauit quàm alias inuiſeret; quoniam conſtantiſsimè in fide permanſerant: & cum longa obſidione à magnis Gallorum exercitibus premerentur eam fortiter ſuſtinuerant. Poſt menſes circiter tres cum cognouiſſet Margaritam vxorem ſecunda tempeſtate iam ſoluiſſe, atq; iter ingreſſam aduectare, ſuas quatuor triremes expediri iuſsit: Maſſiliæque ſummis honoribus à Senatu & à tota ciuitate exceptã, haud multum temporis ibi moratus, Niceæ incolumem expoſuit: aucta mirum in modum claſſe; cum ſe itineris illius comites multi addidiſſent, regiæ claſsis prępoſitus, & Prouinciæ præfectus, cum vxore, & liberis, & domeſticis; & Maſsilienſes ciues primarij quàmplures. Nihil in vrbe Nicea, quod ad cele-

Legitur à Rege in Equitũ ordinem diui Michaelis.

Margarita Nicea ſummis honoribus excepta.

brandum aduentum eius excogitari poſſet, prætermiſſum eſt. multitudo ingens tota vrbe effuſa: ſacerdotes longo ordine vſque ad oppidi portam obuij: magnus portarum ornatus: lætiſſimi plauſus: fauſtæ acclamationes: tormenta diſploſa innumera: crebri toto oppido ignes: lumina noctù vbique accenſa. in opulentioribus enituit magnificentia & ſplendor: in tenuioribus ſtudium ſummæque voluntatis ſignificatio. Confluebant ad Emmanuelem Philibertum vndique, præſertim tota Italia inſignes viri, ſummæ nobilitatis magnæque potentiæ, & aduentum in Italiam, priſtinumque ſtatum receptum gratulabantur. In primis vero, qui populi quæque prouinciæ eius imperio parebant; ciuitates omnes, nullo propemodùm municipio, oppidouè excepto legationes gratulationis cauſa miſerunt. Ac primis quidem de Emmanuele Philiberto in paternas ditiones reſtituto nuntijs gaudium eorum timore mixtum; qui ab acrioribus cupiditatibus abeſſe ſæpe non ſolet. animus rei optate diuturna ſpe defatigatus, principiò famæ tametſi veræ, conſtantibuſque omnium ſermonibus non facilè credebat. Tunc eum præſentem intuebantur: depoſitis armis, conciliata pace rerum ſuarum potientem: aduerſante nemine paternas prouincias obtinentem: priſtinumque imperium non caſu, ſed ſumma virtute receptum, eadem virtute conſeruatum iri confidebant. Itaque omni prorſus abſterſo metu, magna hilaritate, gaudioque exultabant. Augebat eorum lætitiam admirabilis quædam lenitas Principis, atque clementia. Erat enim triplex eo tempore hominum genus Emmanuelis Philiberti imperio parentium. Vnum eorum qui belli temporibus ab eo deficientes cum hoſtibus conſenſerant, atque etiam in aduerſa acie armati ſteterant. Alterum, qui neutram partem ſecuti domi conſederant, otiumque labori atque militiæ prætulerant. Tertium, qui amantiſſimi fidiſſimique, rerum ſuarum obliti, laborum omnium periculorumq; participes, neque pace, neq; bello vnquam ab eo diſceſſerant. Hos cum vehementer diligeret; charoſque haberet, ac pro eorum beneuolentia, fide, atque conſtantia gratus videri, & eſſe vellet, in familiaritatem

Gratulationes de reditu Emmanuelis Philiberti.

Clementia Emmanuelis Philiber.

reci-

recipiebat, magnis præmijs afficiebat, magnis honoribus dignitatibuſque auhebat & ornabat. Illos, quorum alteri ſibi ipſi maximè diffidebant, nullis officiorum vel obſequiorum meritis fulti, alteri iure ſibi metuebant, cum grauiſſimo crimine, teneri viderentur, omnes maluit tamen lenitate ſibi adiungere, quàm animaduerſionis ſeueritate quemquam perdere. Itaque qui domi remanſerant, non pecunia multauit: non verbis caſtigauit: nemini ignauiam, ſiue mollitiem animi obiecit: neminem à conſpectu excluſit: omnes admiſit, benignè accepit, blandè appellauit. ijs verò qui hoſtes fuerant & aduerſus eum arma tulerant, omnibus clementer ignouit. ita publica communiſque lætitia omni ex parte conſtitit, nullius ſupplicio, luctuuè aut mærore vel contaminata vel diminuta. Dum hybernos menſes Nicææ mitiore cælo traducit; ad publicas res ordinandas, conſtituendaſque ſe totum conuertit. Magiſtratus creauit qui diligenter partes iuſtitiæ tuerentur, controuerſias componerent, delitibus deciderent, maleficia vindicarent, vectigallibus præeſſent, alios plures qui alia curarent. Quæſtorem, quem magnum Cancellarium appellant, quique maximam inter homnes poteſtatem & exiſtimationem habet, Thomam Languſcum fecit. In primis verò ex omnibus præclaris ditionis ſuæ viris, aliquot ſapientia, fide, rerum vſu præſtantes ad intima conſilia elegit, cum quibus de grauiſſimis rebus communicaret. Summum præterea in iudicandis cauſis ordinem Senatorium conſtituit; cuius magna eſſet auctoritas, atque ab eius decretis ad Principem tantùm daretur prouocatio. Senatorum numerum præſcripſit: duodecim tantummodò in Senatum legit: hos diligenter conquiri iuſſit honeſto loco natos, ætate moribus, conſilio, doctrina præſertim iuris ciuilis ſcientia, continentia, & integritate inſignes. Senatum bifariam diuiſit; duaſque eiuſdem claſſes conſtituit, vtriq; præſidem attribuit: alteri Caſſianum Puteum, Octauianum Oſaſcum alteri, grauiſsimos, ac prudentiſsimos viros. Senatores Cariniani pro tempore reſidere, ibiq; Senatum haberi, quòad Taurinum tranſlatus eſt, iuſsit. Vectigalium magiſtratui Io. Ia-

Prudentia in publicis rebus ordinandis.

Magnũ Cancellarium creat.

Ordinem Senatorium conſtituit.

Item magiſtratum vectigalium.

cobum

cobum Solſium præſidem conſtituit. quo aduocato, adhibitiſque vtroque Senatus præſide, & conſiliarijs, ijs negotium dedit vt Ærarii vires diligenter inſpicerent; quærerentque in Ærarium ex vectigalibus quantum quoque anno referretur: quantum contra ex Ærario depromendum eſſet in ſumptus publicæ priuatæque rei neceſſarios: quid item ipſi de tota ea re ſentirent, ſignificarent. Cum autem initis ſubductiſque rationibus conſtaret patrimonij fructibus impenſas quæ fierent; quaſque fieri oporteret, longè eſſe maiores, vectigalia augenda eſſe cenſuerunt. nam ſi fortè Galli Regis qui tum à ſæuiſſimis hoſtibus inteſtino nefarioque bello premebatur, res aduerſæ eſſent, quin ijdem hoſtes Allobrogum prouinciam inuaſuri eſſent, dubitandum non erat. Atque ea quidem re omnes anxio animo erant, malumque imminens anteueniendum putabant: vt aditus clauderentur, opportunis locis munitiones opponerentur, arces extruerentur. neque magna ad defenſionem præſidia; ſine magnis ſumptibus comparari poſſe intelligebāt; quibus cum ſalus ſecuritaſque populis præſtanda foret, affirmabant quod ſingulis profuturum eſſet à nemine recuſandum videri. Sanè Emmanuel Philibertus cum eorum probaret ſententiam, monuit omnem operam darent, vt id nullis vel minimis prouincialium incommodis ageretur. Ac primò ſalis pretium duplicandum proponebatur. poſtquam id difficilius eſt viſum; actum eſt per idoneos homines cum ſingulis tranſalpinæ, ſubalpinæque prouinciæ ciuitatibus, vt vna quæque tantum annui tributi æquis portionibus penderet, quantum ſine detrimento grauique incommodo tolerare poſſet; inuenta eſt nulla quę recuſaret, nulla quæ negaret. Factum eſt autem magna imperij latitudine, copiaque & multitudine populorum, vt modico ære pro cuiuſque cenſu à ſingulis ciuibus incoliſq; collato, maxima ſumma conficeretur. Neque verò tributi continuatio viſa eſt cuiquam durior, aut moleſtior. non ex ea animorum alienationes, ſed ne quærimoniæ quidem: quoniam pecuniæ ſine acerbitate exigebantur: quodque conſtabat nihil ad auaritiam excogitatum, nihil ad proprium quæſtum relatum

Vectigalia neceſſariò auget.

Quare libenter tributa conferrētur.

fuiſſe:

fuiſſe: pecuniam neque defoſſam, ſordida tenacitate comprimi, ſemperuè de ea colligenda vel augenda laborari, neque temerè cum probro, dedecoreuè effundi. In corporis custodibus, in familia, veſtitu, lecto, cibis, ædium cæterarumque rerum ornatu luxum abeſſe; ſplendorem verò quæri cum moderatione, moderationem cum dignitate. Ad hæc, publicas res maiori curæ illi eſſe quàm proprias: neminem liberalitatis eius expertem eſſe. præter beneficentiam in egenos, ſtudiumq; eos omnes ſubleuandi qui iacerent, oppreſſique eſſent: alium prætereà in familiam legit; alium militiæ adſcripſit; alijs victum ſuppeditauit, quo ſe vel liberalium artium aliarumque litterarum ſtudijs dederent, vel artem aliquam exercerent, qua pro ingenio conditioneque emergerent. denique neminem honeſtum hominem diutius egere paſſus eſt, niſi qui ſibi ipſe defuiſſet. Pecuniæ igitur quæ ex tributis cogebantur, cum populi ſatis ſcirent eas non recondi, animaduerterentque modò in publicam vtilitatem conuerti, modò in huius vel illius beneficium, commodumque redundare; libenti atque alacri animo ab ijs conferebantur. Certè, cum ego fortè Taurino poſtridiè redirem quàm Emmanuel Philibertus è vita exceſſerat, in itinere ij plerique quos obuios habebam interrogabant, an verus eſſet qui de eius morte aduerſus rumor percrebuerat: cum verum eſſe affirmarem, tùm verò ingemiſcere, & infelicitatem conqueri, quòd optimum Principem, ſimulque pium parentem amiſiſſent. Cum autem dicerem ſupereſſe filium adoleſcentem optimum, à quo iuſtiſſimum & leniſſimum imperiũ expectandũ eſſet, id planè fatebantur: ſed cũ paullo antè duo clariſſima lumina haberent, quæ ipſis in oĩbus tenebris præferrentur, reſpondebãt, alterũ repentè ſæuo turbine extinctum grauius eſſe quàm ferri poſſet. vt cuiuis facilè eſſet intelligere, q̃ mortuũ Principẽ adhuc amarẽt: & quo tẽpore liberiores voces ſolent è pectoribus erumpere laudarent, non grauia viſa fuiſſe onera; eum verò dum viueret, iuſtiſsimè mitiſsimeq; imperaſſe; & morientem triſte, ac magnum ſui deſideriũ reliquiſſe. Cũ autem animaduertiſſet in adminiſtrationem publicarum rerum

De populorum in Principem amore auctoris teſtimonium.

Sanctiones plures ſaluberrimæ conſtitutæ.

per incuriam nonnulla vitia paullatim irrepſiſſe, temporumque iniuria multa in iure dicendo deprauata eſſe intelligeret; conuocatis ſæpenumerò Conſiliarijs ſuis viris peritiſſimis, quid addendum, demendum, corrigendumque cenſeret, cum eis communicauit. à quibus re diù prudenterque tractata, poſtea conſcriptum, & promulgatum eſt volumen illud multarum ſanctionum decretorumque, ad optimam prouincialium gubernationem pertinentium. cuius quidem exemplum Principes multi, plures externi magiſtratus, atque Reſpublicæ poſtularunt, & impetrarunt. Neq; verò liberalium diſciplinarum omniumque artium colendarum quam ſuſceperat cogitationem vnquam depoſuit: nàm & publicum earum Gymnaſium pro tempore in oppido Monteregali inſtituit: & qui viri in quacunque ſcientia excellerent vndique conquiſiuit. hos omnes quamuis tenuibus adhuc publicis vectigalibus, magnis tamen propoſitis præmijs inuitauit. ſuarum vero ditionum qui magni nominis, & exiſtimationis in alijs Gymnaſijs haberentur, indè confeſtim reuocari, atque ad ſe quàmprimùm accerſiri iuſſit. Forte eo primùm tempore contigit, vt ego ad eum cum mandatis à Franciſco Ferdinando Aualo mitterer, qui tum Mediolanenſi prouinciæ cum imperio præerat, atque cum eo de pluribus negotijs priuatis ac publicis agerem: quare petij eius nomine vehementer vt Aymonem Crauetam omnis iuris peritiſsimum, ſequenti anno Ticini publicè, vti ſuperioribus annis fecerat, ius ciuile docere pateretur. Cætera facillimè impetraui: id verò vnum non quidem præcisè negauit, ſed ſubridens dixit Philippi Regis ciuitates omnes & earum commoda ſe eodem loco & numero habere quo propria: quare ſibi ex æquo & bono agendum videri: quod ſi fieret; Crauetam oportere tandiu in Montiſregalis Gymnaſio ius ciuile docere, quandiù Ticini docuiſſet. Alios vndique etiam magna deinceps mercede conduxit. præter Crauetam de quo diximus, Theologos præterea doctiſſimos; Iacobinum Maleſoſſium Bargium, Io. Ambroſium Barbauariam Mediolanenſem. Iuriſconſultos celeberrimos, Antonium Goueanum Luſitanum, cui etiam ob

Cymnaſium publicum inſtituit.

Vndique viros doctiſsimos conquiſiit.

Qui viri inſignes publicè docuerint.

exquiſitam doctrinam & ſingularem induſtriam magnas res commiſit & credidit, Ioannem Manutium Gallum, Guidum Pancirolum: Philoſophos, medicoſque primarios, Franciſcum Vicomercatum Mediolanenſem, Lucillium, Marcum Antonium Capram, Valeriolam, Ioannem Argenterium, Ebutium, Eugenium. Mathematicos illuſtres Franciſcum Othonarium, & Io. Baptiſtam Benedictum Venetum. Poëtam eundemque oratorem egregium Io. Baptiſtam Giraldum: alios alijs ſcientijs claros: vt breui tempore illius Gymnaſij fama magnis vbique ſermonibus celebraretur: illucque viri eruditi & eximij accederent, vbi facilè laborum præmia iuſtis honoribus, magnoque compendio conſequerentur. Antequàm Nicea diſcederet, Occialino & Mamino Neapolitanis magni nominis piratis, cum triremibus nouem ad littus illud appellentibus, nonnullæ armatorum manus aquandi cauſſa exponuntur: quo improuiſo malo perturbati oppidani ſubitario milite, imparatoque egreſſi, quibus magna ſe admiſcuit nobilitatis pars, quæ cum Emmanuele Philiberto aduenerat, cùm raris, & diſperſis congredientes, atque ab eis in inſidias paullatim deducti, facilè circumuenti ſunt: quod initio prouidens Emmanuel Philibertus, plures oppido egredi prohibuit; egreſſoſque celeriter à pugna reuocauit: nonnulli cæſi ſunt: capti circiter octoginta: quos paullò poſt aureis vndecim millibus redemit. Deinceps toti officio maritimo Andream Prouanam præpoſuit: claſſem ei tribuit: eam vti augendam curaret, & littora tueretur, & maritimas munitiones quæ cœptæ erant, vt perficeret imperauit. Nicea diſcedens, cum Margarita coniuge Vercellas venit. Atq; huius anni MDLX. initio renuntiatus fuerat Pontifex Max. è Cardinalium numero Ioannes Angelus Medices Mediolanenſis, & Pius IIII. appellatus, Paulo IIII. ſuperiore æſtate mortuo. ad illum cum legatos, duos deſtinaſſet, Gaſparem Epiſcopum Haſtenſem & Georgium Coſtam ſummæ nobilitatis virum, atque eius oppidi Comitem quod Trinitas appellatur qui ipſius nomine ſe ad eius pedes demitterent, eundemque vti Chriſti Vicarium agnoſcerent; dum ij

Piratæ ad Niceam.

Pius IIII. Pontif. Maxim. mortuo Paulo IIII.

Ponzilionus ad Piū IIII. conueniunt, ſeſeque ad iter illud expediunt, Ponzilionum magnis itineribus mutatiſque ad celeritatem iumentis præire, & ad eum proficiſci iubet. Ponzilionus vbi ad Vrbem peruenit, *Mandata exponit.* ad Summum Pontificem perductus mandata diligenter expoſuit: vetus Emmanuelis Philiberti ſtudium, maiorumque obſeruantiam in omnes Summos Pontifices; præſertim in ipſum commemorauit. affirmauit nihil ei maiori vmquam curæ fuiſſe, quàm eorum auctoritatem, & dignitatem, & amplitudinem: qua ratione ipſi, & ſucceſſoribus libenter omni tempore pariturum. tum addidit, priuatas inimicitias ei nullas eſſe; proprio nomine odiſſe neminem. ſed de vera Chriſtiana pietate religioneq; malè ſentientes ferre non poſſe. illud eum ſolicitum habere, quod nam ei conſilium ineundum eſſet, vt quamprimùm deſertores omnes ex ſuis prouincijs expelleret: laborareque vehementer in primis, vt hanc radicem quacunque ratione ex omnibus ſuis finibus euelleret. aſſiduè animo agitare cupereque in primis, fœdam ac pernicioſam totius Europæ ſentinam, ſordiumque omnium receptaculum, Geneuenſem ciuitatem, quæ iam pridem à patris ſui imperio defecerat, atque in eo perſeuerabat, rurſus in poteſtatem redigere. neque minus vallis Angronianæ populos deterrimis opinionibus infectos, neque Chriſtiano neque ciuili more viuentes, armis domare: ſi tàm amentes eſſent, vt vltrò redire ad ſanitatem nollēt. *Summi Pont. beneuolentia in Emmanuelem Philiber* Gauiſus eſt vehementer Summus Pont. Emmanuelis Philiberti ſtudio & optima voluntate: mentem, propoſitūque eius probauit, laudauit; multumque ſe ei debere palàm ſæpeque profeſſus eſt. in ſignificanda tamen erga eum beneuolentia multiſque verbis teſtanda, quàm in armis ſociandis, ferendaque ope & auxilio liberalior: ſine quibus vlla ratione Emmanueli Philiberto non videbatur aggrediēdum, quod an perfici poſſet, planè eſſet incertum. *Mittitur ad eū Nuntius.* Miſit ad eum Summus Pontifex oratorem honoris cauſſa, quem Nuntium appellant, Geneuæ Epiſcopum Franciſcum Baccodium, quo tempore miſit item legatum *Reſpublica Veneta legatum mittit.* Reſpublica Veneta patritium virum, cuiuſmodi mittere ſolent ad Reges tantùm. & Hercules etiam Ateſtinus Ferrariæ Dux,

&

Item Ferrarius Dux & pleriq; principes Itali.

Moritur Francisc. II. Gallorũ Rex succedit Carolus IX.

Erumpit Hugonotorum factio.

& pleriqúe Principes Itali legatos miſerunt apud eum permanſuros. Anno eo exeunte, M. D. LX. moritur Lutetiæ Pariſiorum Franciſcus II. Galliarum Rex: regnoque ad Carolum IX. eius fratrem puerum ætate proximum delato, paullò poſt grauiſſima bella ciuilia toto Regno paſsim excitata ſunt. Eruperunt enim eo tempore, & quaſi tum primùm ex tenebris atque ex latebris perditorum hominum cetus, coniurationeſq; atque in primis eorum factio ſceleſtiſsima, qui Hugonoti appellati ſunt. Hi ex veteranis militibus conſtabant, quorum opera Franciſcus primus, & Henricus filius Galliarum Reges continentibus bellis vſi fuerant. prædæ enim & licentiæ aſſueti, neque pati quietem poterant, neque erat vnde ſublato bello impunè raperent: quibus ſe ſe adiunxere latrones, prædoneſque prouinciæ, ac finitimarum regionum, & capitis damnati, & factioſi, & fugitiui, & exules. Hi primò à pia Chriſtianaque religione diſſentire: tum priſcos ritus, ſacraque inſtituta & cærimonias floccifacere, deridere, contemnere, poſtremò inſanire, furere, bacchari: ſacerdotia ſceleſtè inuadere: ſacrorum virorum, virginumque bona impudenter diripere: templa cædibus ſummiſque flagitijs polluere; poſtea incendere, diruere: ſacerdotes ad necem depoſcere, eoſque exquiſitiſſimis ſupplicijs excruciatos, ante aras mactare: iuxtà profana ſacraque miſcere. Sceleſta conſilia quantum poterant tegere: ſpecie cauſſam religionis oſtentare, eamque veram eſſe quam ipſi amplecterentur, aſſerere: re ipſa ab eorum ducibus regnum appeti. Nam vbi creuere factionis eius vires, & vſque eo auctæ ſunt perditorum manus, vt ex eis conflari poſſet exercitus; tum regni vires diducere: populos ab imperio Regis aduertere, pluresq; ad defectionem quotidie ſolicitare. arces & munita loca audacter occupare cæperunt: ac poſtremò acie inſtructa, dimicare cum Regis exercitu in campis non ſemel auſi ſunt. Horum malorum per eos dies apparere incipiebant initia, quibus Ponzilionus à Summo Pontifice dimiſſus, ab Vrbe Taurinum redierat. Vbi Emmanuel Philibertus intelligit ſe omni auxilij Pontificij ſpe fruſtratum, oppugnandæ Geneuæ conſilium

abiecit: maximos motus Heluetiorum veritus: quorum plures fœdere cum Geneuenſibus iam pridem coniunctos eſſe non ignorabat: animum illicò ad coercendam Angronianorum improbitatem conuertit. Hi vallem incolebant Angroniam appellatam; quæ latè patens inter Cottias & maritimas alpes, magnis, aſperiſque montibus vndique continetur: ipſi montium iuga tenebant prærupta, ad quæ pauci aditus iique admodum anguſti atque difficiles. horum locorum iniquitate freti, vel ſcelerum impuræque vitæ conſcientia deterriti, confluentibus vndique ad Emmanuelem Philibertum omnibus prouincialibus, & alijs populis, neque legatos mittebant, neq; ſi quid imperabatur, dicto audientes erant. Itaq: cum repente Georgius Coſta magna armatorum manu eorum fines inuaſiſſet, primo aduentu perterriti Vercellas ad Emmanuelis Philiberti clementiam confugerant. numeratoque ijs militibus, qui aduersùm eos ierant, ſtipendio, & alia pœna multati, & præterea extructa ad Villarium arce, cum pollicerentur, ſe in poſterum imperata facturos, vti ſibi ignoſceretur, impetrarant. Sed vel ab Vgonotis clàm ſolicitati, vel vltro cum eis vitæ, morumq; ſimilitudine conſentientes, paullò poſt arma capiunt & Villarium expugnant. Quare auctis prioribus copiis nouarum cohortium ſupplemento, rurſum mittitur Coſta, addito impigro, & forti viro Guidone Piouena cum tormentis campeſtribus, magnoque lectorum militum numero. Quibus conſpectis Barbari, tametſi armorum genere, & reliquo apparatu belli, & rei militaris vſu longè inferiores; tamen homines aſperi & montani numero confiſi, inermis multitudinis, mulierum præſertim, & liberorum fletu excitati, cum in eius diei pugna ſpem omnium fortunarum ſuarum poſuiſſent, fortiſſimè prælium committunt. diù atque acriter vtrinque pugnatum eſt. ſed tandem pluribus hoſtibus cæſis vulneratiſque reliqui pelluntur: Villarium recipitur: Vallis Lucernea à Coſta in Emmanuelis Philiberti poteſtatem redigitur. Neque multò poſt ijs ſubminiſtrata ſunt à Gallis auxilia: qui rari & diſperſi, quam occultiſſimè poterant aduenientes, munitiſſimam arcem, quæ

Quare oppugnati Angroniani.

Prælium cũ Angronianis.

Prea dicitur, ſenſim circumire, atque occupare conati ſunt: qua re animaduerſa, Coſta ſtatim cum Piouena, fortiſsimiſque centurionibus Blaſiuo, Boſſo, Taurellio, & Carolo Coſta copiarum partē præmiſit. ipſe cum reliquis properè ſubſecutus, hoſtes audaciſſimè reſiſtentes, fortiterque dimicantes, impetu facto indè repulit, & ad Pratornum loci natura munitum, atq; in ſummis iugis vndique præruptis poſitum ſe ſe recipere coegit. Centuriones duo Ludouicus Montelius, & Carolus Turchetus cupiditate gloriæ adducti, cum nihil adeò arduum ſibi exiſtimarent, quod non virtute conſequi poſſent; in locum iniquum cum manipularibus ſuis progreſſi nonnullis amiſſis, à multitudine oppreſſi; multis vulneribus acceptis deiecti ſunt loco. pauci qui in hoſtium poteſtatem venerunt, crudeliſſimè in conſpectu omnium interfecti ſunt. Expugnari vi Pratornum vlla ratione non poterat, propter locorum iniquitatem, & anguſtias, aſperitateſque viarum: quibus ex ſuperiore loco prohibere poterant facilè perpauci magnam hominum multitudinem. fortaſsè obſidione premi, atque ad deditionem fame compelli potuiſſent; ſed ægerrimè: quòd ea iuga alij montes altiſſimi excipiebant, quorum erat magnitudo tanta, tantuſq; circuitus, vt vallo & foſſa cingi, atque opere & munitionibus circumplecti non poſſent. Quare Emmanuel Philibertus, cum bello iam cæpto neque finis breui tempore fieri poſſet, neque illud diutius trahi, ducique tutum eſſet, quòd hoſtes interim magnis Gallorum & Germanorum auxilijs, auctum, atque in dies magis ac magis confirmatum iri non dubitabat, ab armis diſceſſit. nam Angroniani ſibi metuentes, conditiones quæ proponebantur, facilè accipiebant: quare ſe nunquàm imperata recuſaturos pollicentibus: præterea obſidibus datis, per Philippum Subaudum, cuius mentionem ſupra fecimus, præteritorum delictorum gratiam fecit, eorumque ſatisfactionem, qui iam reſipiſcere videbantur, accepit: atque reuocato ad ſe exercitu, eos clementer in fidem recepit. Anni inſequentis initio, qui fuit M. D. L X I I. pridie Idus Ianuarij, Summo Pontifice Pio IIII. Cæſare Maximiliano II. Auſtriaco, au-

Centurionū duorum infelix audacia.

Emmanuel Philib. Angronianis ignoſcit.

Naſcitur Carolus Emmanuel.

ctus

ctus eſt filio Emmanuel Philbertus, ſalua Margarita coniuge. peperit ea in arce Ripulana, Taurino non longius, ſex paſſuum millibus interuallo. Infans tametſi ſaluus, & incolumis, & validus in lucem editus eſt, tamen vt quamprimùm animæ ſaluti conſuleretur, atque, quod maximè neceſſarium erat, nihil produceretur, vti Chriſtianis Principibus genitum decebat, ſine mora ſacro fonti priuatim admotus eſt. ſplendor & pompæ, & ſolennia omnia in aliud tempus dilata. literis tamen & pluribus nuntijs certiores facti Reges amici, & reſpublicæ, & Principes: à quibus omnibus celeriter honorificæ legationes miſſæ, lætitiæ teſtificandæ, & gratulationis cauſſa. Populi verò vtriuſque prouinciæ ſubalpinæ tranſalpinæque, tanto tamque optato bono ſingulari gaudio exultabant, incredibili lætitia efferebantur. Nam filium hunc ſi vita manſiſſet, non ſolum moribus & virtute parentes relaturum ſperabant; ſed etiam eumdem fore arctiſſimum vinculum, & firmiſſimum pignus otij, pacis, & tranquillitatis ſuæ confidebant. Sed quamuis ſpes illorum minimè fallaces; tempora tamen illa varia, neque felicitas planè conſtans, neque mentes hominum maximarum curarum expertes. Nam in Gallia magni motus, & res admodum turbulentæ. auctæ Hugonotis perditorum hominum manus: addita ſceleribus ſcelera: multiplicata maleficia. ab impijs & deſertoribus pluribus modis contempti, exagitatique veræ religionis cultores, vexati contumelijs, pulſi, eiecti. vici plures direpti, incenſi, deleti. capta oppida nonnulla: Lugdunum præter omnium opinionem de improuiſo occupatum. At Emmanuel Philibertus pios, ac religioſos homines tutatus eſt: & expulſos clementer accepit, & ad ſe confugientes, quacumque ratione potuit, benignè adiuuit. Regi verò laboranti celeriter ſubſidium miſit. Quare prælijs multis fuſi hoſtes, magnis crebriſq; cædibus repreſſa eorũ audacia, Lugdunum receptum, Regis potentia, vireſque confirmatæ, & auctæ. quibus ex rebus in magnam inuidiam paullatim adductus eſt Emmanuel Philibertus: magnum acerbumque in eum ab impijs odium excitatum, & occultis coniurationibus confla-

Populorum lætitia.

Hugonotorum conatũ & maleficia.

Emmanuel Philibertus bonos tuetur Regi ſubſidium mittit.

ta eius vitæ pericula. His detectis perditorum coniurationibus, vbi animaduertit oppidum Ripulim, in quo per eos dies morabatur, apertum; neque ad vim acerbiſſimorum hoſtium repellendam, neque ad vitandas inimicorum inſidias ſatis opportunum, Foſſanum, propinquum oppidum magnum munitiſſimumque, conceſſit: accolæ vicini lecticam, qua infans cum nutrice vehebatur, humeris libentiſſimè detulerunt. Poſtulabat æquitas, & Emmanuelis Philiberti recentia in Gallum Regem Carolum, neque leuia merita, & ipſe natus infans quodammodo interpellare eum tacitè videbatur, vt quæ oppida retenta fuerant, magno volentique animo ei celeriter redderentur. Et quidem Rex gratus beneuoluſque maximè in eam partem propenſus erat. ſed Regum, & Principum voluntates, tametſi rectæ, iuſtæque, optatos tamen ad exitus non ſemper perueniunt: cum ij, qui ad deliberationes adhibentur, palàm auribus ſeruiunt; occultè adminiſtrationes impediunt: vel vbi palàm diſſentiunt; ſpecie quidem ſimulationis publicam vtilitatem oſtentant; re autem vera propriam vel affinium, vel amicorum quærunt. Itaq; multùm temporis retardatione, & tergiuerſationibus extractum; magna mora leuibus de cauſis allata: vt res longius produci, ac propemodùm ſeneſcere videretur. Sed Hieronymus Ruuereius, quem ab Emmanuele Philiberto legatum ad Regem miſſum demonſtrauimus, monere, rogare, obteſtari Regem non deſtitit: quoad certus ab eo locus conſtitueretur dieſque diceretur, ad quam diem iuriſconſulti, conuenirent, à Rege, & ab Emmanuele Philiberto ea de cauſſa mittendi, vt ij de partis vtriuſque iure diſceptarent. crebris enim literis nuntijſque Ruuereius ab Emmanuele Philiberto fiebat certior peſtem Hugonoticam ſerpere, latiuſque in dies diffundi: iamque & Alpes tranſiſſe, & paullatim in ciuitatem Taurinenſem irrepſiſſe. In ea nonnulli iam à Chriſtiana veritate palàm diſſentire, atque de ſuperiore loco publicè concionari, & impudenter diſputare, & in eam inuehi audebant. quod quidem in primis Emmanuelem Philibertum maximè ſollicitum habebat, vicinæ Galliæ prouinciæ exemplo territum,

Coniurationibus detectis Foſſanum ſe recipit.

Miniſtrorum vitia.

Ruuereij opera de redden. oppidis.

deformique eius calamitate ſuis rebus timere coactum. Neque enim ignarus erat vbi de numine vel de numinis colendi ritu quæſtio eſt, ibi ſumma vi atque omni impetu dimicari, omniaque diuina atque humana permiſceri. ſed pium optimumq; Principem magis angebat metus, ne Chriſtiana reſpublica eo mortifero morbo ſenſim vrgeretur; cuius ſtatum magis ac magis in dies labefactatum, poſtremò conuulſum iri, niſi maturè obuiam iretur, intelligebat. Maximos item res eadem Ruuereij animo ſtimulos admouebat, & patriæ amantiſſimo, quam in ſummum adduci diſcrimen animaduertebat, & fortè animo præſagienti quale munus ſibi non multò poſt eſſet obeundum. Ad dictam diem pro Rege Lugdunum profecti ſunt iuriſconſulti duo; Antonius Caudonus, & Petrus Siguerius. Emmanuel Philibertus eodem tempore miſit Preſides treis Caſſianum Puteum, Octauianum Oſaſcum, Ludouicum Odinetum, & Petrinum Belum intimum conſiliarium: quorum non minus fidei atque beneuolentiæ, quàm iuris ciuilis ſcientiæ confidebat. Quærebatur vtrum Nicea vrbs & eius ditio, & Brixia Sebuſianorum, & oppida alia ditioneſq; de quibus erat controuerſia, ad Gallorum Reges pertinerent, an potius ad Sabaudiæ Duces. Itaque diſceptatum diù: actumque vtrinque tanta diligentia contentioneque, quanta maximi momenti, & ponderis res ab acerrimi iudicij viris agi debuit. Sed neutri ſe ſuperari paſſi ſunt; vel adduci vt ſe victos fuiſſe faterentur. Itaq; ne litem perdidiſſe viderentur; in ſua quiſq; ſententia permanſit, eandemque mordicus tenuit: nemine præſertim iudice conſtituto qui quæſtioni illi præeſſet, & lata ſententia controuerſiam dirimeret. Niſi cenſeatur Regem ipſum iudicem fuiſſe, ac ſatis apertè ſententiam tuliſſe, cum oppida illa quæ adhuc retinebantur, protinus reddi iuſsit. Quòd ſi iuſti iudicis: certè eodem tempore amantis atque beneuoli hominis officio Emmanueli Philiberto functus eſſe viſus eſt: quem non minus Regis maxima in ſe beneuolentia & voluntate, quàm æquitate & iuſtitia gauiſum ferunt. Rex negotium dat prudentiſsimis viris Carolo Lotharingio Cardinali, & Ioanni Morbille

Lugduni diſputatur de iure regis & Emmanuelis Philiberti.

Rex oppida Emmanueli Philiberto reddi iubet.

rio Aurelianorum Epiſcopo, ad Tridentinum Concilium euntibus, vt prius Foſſanum pergant, Emmanuelem Philibertum inuiſant, & ei oppida hæc, Taurinum in primis, & Cherium, & Villamnouam, & Cliuaſium reddenda omninò curent: affirmentque redditum iri Penarolium item & Sabinianum, cum Regis res, quæ adhuc agitari & fluctuare videbantur, meliore tutioreque loco eſſe cœpiſſent. Sed magnum incommodum afferebat, eratque in magnis Emmanuelis Philiberti difficultatibus res pecuniaria; qua nouis vectigalibus nondum exactis, eo potiſsimum tempore anguſtè vtebatur. Negabat autem Bordillonius Regis præfectus, ſe vnquam Taurinum dimiſſurum; niſi prolata antè pecunia, numeratoque prius ad nummum multorum menſium ſtipendio quod militi debabatur. quæ res omnis tametſi ad Regem Carolum pertinebat: quòd miles ad eum diem non quidem ſub Emmanuele Philiberto, ſed ſub Rege meruiſſet; illius tamen diſcutiendæ nulla eo tempore opportunitas eſſe videbatur. Sed neque magnum auri pondus ex Ærario, quod promeret habebat: neque facilè erat ei maximmam ſummam conficere: infinitis grauiſsimiſque ſumptibus maximi diuturnique belli exhauſta prouincia. Itaque Emmanuel Philibertus multorum beneuolentiã tempore maximè neceſſario experiendam putat: ditiſsimum quemq; ex ſuis prouincijs euocat, omnibuſque ſimel coactis colligendæ pecuniæ neceſsitatem proponit. petit vt vnuſquiſque tantum commodare velit, quantum ſine graui rerum ſuarum incommodo detrimentouè poſsit; ſeque ſemper eius beneficij memorem fore pollicetur. Ibi quanti fieret Principis auctoritas, ac quantoperè ab omnibus diligeretur, cognoſci licuit. nam res grauis admodùm, ac per ſe plerumque odioſa, nullius prorſus aures offendit. quin etiam pro moleſtia vel excuſatione animorum alacritas, & inter eos æmulatio. Certatim, quòd de eorum in ſe voluntate, ac ſtudio non dubitaſſet, magnas ſinguli gratias egerunt: Cumque multa pollicerentur, plura præſtiterunt. Ac ſanè fuerunt eorum nonnulli qui præter pecuniam quam corraſerant, gemmas etiam & aurea matrum fami-

Præfecti regij tergiuerſatio.

Emmanuel Philibertus pecuniam mutuò accipit.

lias atque vxorum ornamenta ad eum deferrent. Magnas omnibus gratias egit: gemmas & ornamenta vnicuique intacta remiſit: pecuniæ tantùm quantum opus erat accepit: quam poſtea ſingulis ad diem vti promiſerat, perſoluit. Quare numerato Gallicis præſidijs ſtipendio, cum nullus iam relictus eſſet illis amplius recuſandi locus, Bordillionius tandem, quamuis inuitus, redditis prius alijs oppidis, Taurinum pridie idus Decembris Emmanueli Philiberto dimiſit. Is biduo poſt, paucis comitibus, eò profectus eſt: euocatiſque ad ſe Decurionibus & primarijs ciuibus, eos ſemper fideles fore ſanctiſſima iuriſiurandi religione obſtrinxit. Poſtquam eò venit, Regi Gallorum non defuit: in ſumma enim rei pecuniariæ difficultate mutuum poſcenti; quicquid cogere & vndique contrahere potuit, millia circiter centum & viginti aureum nummum curari iuſſit. In eadem vrbe Auguſta Taurinenſium, vti ſuperiores Duces ſolebant, ſedem ac domicilium ſuum collocauit. in eandem ex Cariniano Senatum, ex Monteregali diſciplinarum & bonarum artium Academiam tranſtulit, rerum copia & incolarum numero mirum in modum auxit. Falſi verò concionatores qui palàm ciuium animos prauis opinionibus imbuere, falſaque doctrina decipere conabantur, ſub ipſius aduentum omnes ſubitò dilapſi ſunt: Emmanuele Philiberto Principe, ſi ibi remanſiſſent, neque ab incepto deſtitiſſent, nihil illis ſupplicio pœnaque certius. Tùm Alfonſum Carectum nonnullorum oppidorum ratione, Agnellæ, Mombiſilij, Saliſſæ, Parolli, beneficiarium ſuum imperia recuſantem, & priſtina repentè officia deſerentem, ijs oppidis per Ioan. Franciſcum Oſaſcum armis in poteſtatem redactis, redire in viam de qua declinarat compulit. Cum Auguſtino Titiono eodem in cauſſæ genere malis conſilijs lapſo, ſed cautius celeriuſque reſipiſcenti, re ab armis ad iudicium ciuile iuriſperitorum deducta, facilè in gratiam redijt. Neque multò poſt Taurino Mediolanum menſe Ianuario excurrit: vbi paucis diebus cum Franciſco Ferdinando Aualo Ciſalpinæ prouinciæ præfecto conſumptis, Brixellum, quod oppidum ad Padi ripas

Taurinum recipit.

Gallorum Regi pecuniam mutuo dat.

Academiam Taurinum transfert.

Carrectum & Titionum in gratiam recipit.

poſitum eſt, ſecundo amne vectus, Herculem Aceſtinum Ferrariæ Ducem auidè ipſius aduentum expectantem, conuenit: indeque Taurinum reuertens, trans Alpes Camberium profectus eſt. Ibi quæque Sabaudæ prouinciæ Ciuitas, & Senatus, & beneficiarij ſacramento rogati, ſe in fide ſemper manſuros cõceptis verbis iurarunt. poſtea per Centrones & Graias Alpes Auguſtam prætoriam profectus, Ripulim redijt: ijs itineribus ſaluti & commodis prouincialium æquè proſpiciens, conſulenſque ac ſuis. Neque enim id vnum agere ut eos in ſua verba per iuſiurandum adactos in fide atque officio contineret; ſed quo in ſtatu eſſent animo circumſpicere, vt Chriſtiana religio, ſacrique ritus vbique piè inuiolateque ſeruarentur, prouidere; inopiæ mederi; ne frugum aliarumuè rerum quæ ad vſus vitæ neceſsariæ ſunt, penuria laborarent ſummo ſtudio curare: quę loca aperta infirmaque finitimorum iniuriæ maleficijſque paterent, quibus in finibus munitiones, & propugnacula, & arces ad prohibendos hoſtes excitandæ eſſent, diligenter animaduertere. Crebrò enim ſolebat veram illã diuinamque vocem vſurpare, Principi populis imperanti non vnam tantùm ſed duplicem à Deo impoſitam fuiſſe perſonam, Principis vnam, alteram patris: qui verò priorem tantùm ageret, poſteriorem ſui muneris & conditionis oblitus, negligeret; hũc malè populis, peſſimè ſibi ipſi conſulere. Dum autem in huiuſmodi cura cogitationeque aſsiduè verſatur fortè in grauiſsimum & periculoſum morbum incidit; cuius hæ feruntur cauſſæ. Cum ceruos ſæpiſsimè, cupidiſsimeque venaretur; non eum grauiſsimum anni tempus deterruit, quominus ei rei crebrò operam daret. Vt verò meridie æſtum vitaret ſeſeque recrearet magnis laboribus defatigatus, in medium Padum, natandi peritiſsimus, cui rei iàm indè à puero aſſueuerat, ſe conijciebat. & quidem aqua cætera membra refrigerabantur, eaque ratione, dum ſe calor frangeret, leuari illa moleſtia videbatur. ſed interim capite aperto ſolis ardoribus expoſito, parùm valetudini parcebat, ea in re nimium ſibi indulgens: vti plerique Principes ſolent intemperantes adeò plerumque,

Sabaudi iurant ſe fideles fore.

Emmanuelis Philiberti prouidentia clemẽtiaque.

Emmanuel Philib. grauiſſ. ægrotat.

vt

vt etiā ſibi ipſi ſint incommodi. Igitur Emmanuelem Philibertum, ex illa ſolis & aquarum intemperie Auguſto menſe grauis morbus inuaſit. ac principiò febris occultè quodammodo latere & quaſi ex inſidijs petere: poſtea grauius accedere & augeri apertè cœpit; atque ita continuari, vt nunquàm intermitteret. ad hæc ſiti vehementer vrgeri, acerrimis capitis doloribus conflictari, cibum aſpernari, noctes primò inſomnes ducere, deinceps contra, graui torpore, veternoque vehementer opprimi: vires paullatim deficere, vita in ſummum diſcrimen adduci: medici omnes de ſalute propè deſperare. Quare graues nuntij de vitæ periculo vbique accipiebantur: triſtis fama de eius interitu iam latius in dies emanabat. Populi ditionis eius & beneuolentia ſummaque charitate in Principem permouebantur, & eodem tempore terrebantur impendentium malorum metu. Conſiliarij, proceres, ac primarij viri, qui ſummæ rerum præerant, potius publicum malum & communem calamitatem miſerabantur, magiſque remedia rebus afflictis conſilio quærebant quàm inuenirent. in rei magnitudine difficultatibuſq; magno iudicio expendendis prouidi; in expediendis haud quaquàm pares. At Margarita vxor in maximas anguſtias adducta, neque dolorem ſuperare, neque ab eo vinci, in ſumma animi ægritudine ſummam conſtantiam retinere: ſummam prudentiam oſtendere: extra cubiculum raro egredi; viro ſemper aſſiſtere: propter eum humi ſtrato modico cubare; noctes inſomnes ducere; ſingula momenta diligenter obſeruare: coràm eo ſemper ſereno vultu ac firma voce: amantibus verbis eum hortari, vt ſeſe colligeret, bono animo eſſet: ſalutis magnam ſpem afferre ſimul & oſtendere. At ſi quando cubiculum viri egrederetur, tum verò crebri ſingultus, & vis ingens lachrymarum effuſa animi ſenſum, & doloris acerbitatem teſtabantur. Vbi verò à Senatu & alijs ſummis viris actum eſt de conſilio capiendo, ſi quid Emmanueli Philiberto (quod omnes verebantur) humanitùs accidiſſet; compreſſo fletu ſedatoque animo, quid ipſa ſentiret paucis, grauibuſque verbis elocuta, eorum omnium prudentiam, ſe

Margaritæ vxoris conſtantia & in virum pietas

pru-

prudentia ſua anteueniſſe oſtendit: neque inuentus eſt quiſquàm qui ab eius ſententia diſſentiendum putaret. Sed planè ſe ipſam ſuperaſſe viſa eſt, cum exiſtimans ſe non longè ab eo temporis momento abeſſe, quo in perpetuum ab amato viro ſeiungeretur, eodem tempore paſſa eſt à ſe infantem filium Carolum Emmanuelem oculis & vita chariorem ſeiungi. eum enim patris ingraueſcente propeque deſperato morbo, cuſtodiæ fideique ſummorum virorum creditum Hieronymi Ruuerei Tolonenſium Epiſcopi qui è Gallia redierat, & Thomæ Languſci, & Franciſci Coſtæ Ariniani Comitis, Taurinum mitti placuit. Poſt alterum tamen, & vigeſimum diem Emmanueli Philiberto leuari cœpit morbus, & eius vis imminui: poſtea decedente febre refectæ paullatim vires, & confirmata aliquantùm à recente morbo valetudine, Sauonem oppidum Alpinum Genuenſium, in maris littore poſitum ſe contulit. Ibi cum eſſet eum vidi ſæpius ore adhuc macilento, tantaq; virium imbecillitate, vt rarò ſtaret; ac niſi bacillo innixus ambulare non ſoleret. Biduo poſt quàm eò venerat, ad auguſtũ celebreq; Mariæ virginis templum quod inde millia paſſuum quatuor abeſt, lectica delatus ſacro interfuit: fecit illud, & eo peracto ſermonẽ habuit Angelus Iuſtinianus Genuenſis patricius, ſed in inſula Chio ortus, ſingulari pietate, admirabili doctrina: tunc Franciſcanæ familiæ ſodalis, poſteà à Summo Pontifice creatus Geneuenſis Epiſcopus: cumq; priùs crimina ſua deteſtatum, eademq; ſacerdoti faſſum: ac pro recepta ſalute, alijſq; innumerabilibus beneficijs ſuppliciter Deo gratias agentem viuo pane, celeſtiq; pauit. Conſumptis autem Sauone diebus circiter decem, claſſe ſua Niceam vectus, ibi hyemem traduxit: medicis apricum littus ad confirmandam valetudinem maximè probantibus, affirmantibuſque imbecillo, & adhuc infirmo corpori, à pruinis, & niuibus ſubalpini tractus magnoperè cauendum. Ibi igitur ſub puriore cœlo, mitiore hyeme, & tepidiore tempeſtate valetudinem planè confirmauit, priſtinaſque vires recepit. monuit tamen eum præteriti morbi vis & recentis periculi magnitudo, cui paullò antè ſe quodammodò commiſerat,

Filius Taurinũ mittitur.

Emmanuel Philib. valere incipit.

Sauonem proficiſcitur.

Eiuſdem in Deum pietas.

Niceam proficiſcitur.

vt in poſterum ſibi caueret magis, maioremque ſalutis ſuæ rationem haberet. Cæterùm in his quæ ad humanam naturam pertinent, præter Principum virorum morem, ſæpe conſiderabat ſe à cæteris hominibus nihil differre: quibus in cogitationibus otium & receſſum quandoque nactus cum aſsiduè verſaretur, atque ſecum humanæ conditionis miſeriam ſæpe reputaret; id aſſequebatur, vt eum nullus propè caſus imparatum offenderet: cupiditates facilè coerceret: vitæ ſuæ non præcipitem aliquam & lubricam, ſed planam admodum ſtabilemq; viam & rationem iniret: atque in re ambigua ac dubia diſcernenda caliginem omnem diſcuteret, neque iudicio falleretur: Nam quæ huiuſmodi erant, vt ſui magnitudine & ſplendore oculos mentis perſtringere, & animum allicere poſſent; ipſe deterſo ab eis omni fuco ornamentiſque detractis moderato animo conſiderabat: atque æquali lance magnoque iudicio librata ad verum, iuſtumq; pondus reuocabat. De Cypri autem regno, quod illi nihil eo tempore minùs cogitanti præter ſpem opinionemque quodammodò fors, & caſus offerre videbantur; ab eo maiore ne prudentia conſilioque conſultatum, an maiore animi magnitudine, pietateque ſtatutũ ac decretum ſit, aliorum erit iudicium: nos enim omnem rei ſeriem quàm breuiſsimè poterimus exponemus. Erat apud Solymanum Turcarum Regem Ioannes Miques Hebræus, prouincia Luſitanus, patria vt ferebatur Vlixipponenſis, magni conſilij magnæque in rebus agendis exiſtimationis: is regiorum præfectorum conſilijs, præſertim Pialis Baſſæ qui ſummam imperij maritimi tenebat, crebris ſermonibus impulſus (iis enim Solymanus quid fieri vellet oſtenderat), Nicolaum Petrum Coccinum hominem Græcum familiarem ſuum non humili loco natum, cuius ingenio & induſtriæ & voluntati maximè confidebat, ad ſe vocat; ac primo quoque tempore in Italiam ad Emmanuelem Philibertum proficiſci iubet. litteras ſcribit quibus poſtulat, vt aduenientem ad ſe benignè accipiat, atque omnem eius verbis fidem adhibeat alias item litteras dat publicæ fidei, à Piali Baſſa conſcriptas: vt quando-

Quæ acta ſunt de Cypri Regno.

Miques Coccinum ad Emmanuelẽ Philibertum mittit.

cumque Emmanuel Philibertus legatos mittere ad Solymanum vellet; ſciret maritimos, & alios eius præfectos nauigium quod miſiſſet omnibus portubus libenter recepturos, commeatuque, atque alijs rebus, quæ opus eſſent, benignè iuuaturos. Coccinus celoce vectus Niceam peruenit, ad decimum Calen. Martij M. D. L X I I I I. atque ad Emmanuelem Philibertum perductus, litteras à Ioanne Miques ei reddidit: & pulcherrimum præterea equum quem Miques eidem dono dabat, adduci iuſſit. tum mandata quæ habebat expoſuit: quorum hæc erat ſumma. Turcarum Regem Solymanum reipublicæ Venetæ maximè offenſum eſſe: neque Venetos Cyprio Regno potiri diutius paſſurum. cauſſas arbitrari eſſe magnas & plures: ſed hanc potiſſimum præferri, quòd crebris populorum vocibus inſulæ illius maximè permoueretur, qui vehementer de Venetorum acerbitate quererentur; negarentque omninò duriſſimum eorum imperium ferri amplius poſſe; atque eius auxilium & opem implorarent. cogi autem eum exemplo maiorum, eos tegere qui ad ſuam fidem clementiamque confugerent: ſimul eum optimè ſcire regnum illud ad neminem alium quàm ad ipſum Emmanuelem Philibertum iuſtius pertinere. quòd ſi legatos miſiſſet qui maiores ſuos ſuperioribus temporibus iniuſtè ſpoliatos quererentur poſtularentque illuc eum reduci vndè illi per dolum & vim pulſi fuiſſent, Solymanum omnem daturum operam, vt Cyprij ad ſuam clementiam non fruſtrà confugiſſent; eodemque tempore partes eius quas certò ſciret iuſtiſſimas eſſe, defenſurum. Tantùm in omnibus hominibus à ratione non prorſus alienis ſemper valuit recti & honeſti vis: nam etiam Barbarus Rex, in bello ſuſcipiendo quod iam animo conceperat, vel iuſtus eſſe vel videri voluit. Ad ea quæ Coccinus expoſuerat Emmanuel Philibertus humaniter reſpondit: ſatis intelligere ſe quantum ipſi qui maximum difficillimi ac longiſſimi itineris laborem ſuſcepiſſet; quantum Ioanni Miques deberet; qui ſua ſponte & voluntate nullis prouocatus officijs, tàm eximiam in ſe beneuolentiam oſtenderet; quantumque in primis ipſi Solymano; qui in hominem nihil

Coccinus mādata exponit.

Emmanuel Philibertus Coccino reſpōdet.

de ipſo meritum, parùm etiam fortaſſe notum, ſummum beneficium conferre ſtatuiſſet. Sed quoniam grauiſſima maximiq; momenti eſſent quæ proponerentur, ſe tempus ad deliberandum ſumere: interim vbi libuiſſet, in Luſitaniam ipſe proficiſceretur (ſciebat enim illi iter eſſe in eam prouinciam negotiorum aliorum cauſſa, quæ multa & magna priuatim Miques ei mandarat) cum inde rediјſſet, ſe rei pondere examinato, captoque conſilio, certa & deliberata reſponſurum. Profuit mirum in modum Emmanueli Philiberto rerum omnium optimus magiſter vſus atque prudentia, ne anxius in deliberando diu diſtraheretur. ne verò immoderata cupiditate incenſus impelleretur in deteriorem partem, naturæ bonitas, educatio, pietatis ſtudium atque conſtantia. Illud vnum animum eius anxium ſolicitumque habebat, qua potiſsimum ratione deprehenderet vera né an falſa eſſent, quæ Coccinus homo ante id tempus ſibi planè ignotus Pialis, & Ioannis Miques nomine referebat atque an ab ijs vtì affirmabat mitteretur. ſed ea cura breui liberatus eſt. Nam haud multò poſt alias literas ab eodem Ioanne Miques ſcriptas accepit, quibus ſe mirifico deſiderio expectare Coccini reditum ſignificabat; vt reliqua cognoſceret: à quo de aduentu ſuo Niceam, & de ijs quæ agere cum ipſo cœperat, ſe iam certiorem factum affirmabat. has præterea litteras aliæ poſteriores eodem exemplo litteræ ſunt conſecutæ, eademque confirmantes, à Nicolao Iuſtiniano honeſto homine è Chio inſula oriundo allatæ. hic diebus nonnullis apud Emmanuelem Philibertum fuit: quibus quoties ad colloquium eius admittebatur; cum crebrò ſolicitabat vt quamprimùm legatos ad Solymanum mitteret: quòd ab eo quæ voluiſset omnia facilè impetraturus eſset: neque rem tantam, tàmque vtilem negligeret, quæ breui temporis ſpatio ſuſcipi ac confici poſſet: non ſolum ſine vllo ipſius incommodo, negotioque, ſed etiam ſumma & Regis Solymani, & præfectorum omnium, quos Baſsas appellant, quique rem ad arma deduci ſtudebant, voluntate. Vbi Emmanuel Philibertus cognoſcit, Coccinum nihil mentitum neque id

Aliæ litteræ Miques Emmanueli Philiberto redditæ.

Emmanuel Philibertus rem ad conſilium defert.

ipſius commentum eſſe, ſed quæ mandata fuerant agi ſeriò; rem quamuis ſibi certam ac ſtatutam, tamen ad concilium defert: ne de priſtina ſua conſuetudine quicquam immutaſſe, neuè prudentibus optimiſque viris conſiliarijs ſuis diffidere videretur. Cæterùm quid quiſque cenſeret libenter quidem vtì ſolebat erat auditurus, ſed ita vnumquenque ſententiam rogaturus, vt tamen ſi quid ſecus atque ipſe ſentiebat diceretur, ipſe nihilominus à ſua non diſcederet. Ac ſanè erant nonnulli qui cenſebant barbaris nihil credendum, nihil confidendum, obtinendique regni illius conſilium omnino abijciendum. non enim veriſimile videri, poſtea quàm Solymanus bellum mouiſſet, armiſque & viribus ſuis Venetos è Cypro expuliſſet, regnumque in poteſtatem redegiſſet; gratis ab ipſo in eius poſſeſſionem ſubitò vocatum iri Emmanuelem Philibertum: neque aliter quàm impoſito ſaltem graui tributo, atque in primis dirutis arcibus ac mænibus oppidorum, munitionibuſque ſublatis. itaque inſulæ dominium ſemper in Solymani arbitrio, qui latè poſsideret omnes vicinas prouincias, ſitum fore. quòd ſi precariò obtinendum eſſet; eadem ratione haud diuturnius futurum, quàm homini impotenti ac ſuperbo tyranno placuiſſet: qui quod liberet, licere putaret, quique potius vi contendere quàm fidem ſeruare ſoleret: neque cupiditatē, & intemperantiam, & libidinem à tanta potentia ſeiunctam fore: ea verò ſi adeſſent, nunquam deſerendi officij, violandæ amicitiæ, armorumque cauſſam ei defuturam: cum vel grandē pecuniæ ſummam in ſumptus bellicos erogatam ſibi protinus reddi peteret, quæ confici nulla ratione poſſet: aut aliquid vel leuiſſimum obijceret, quod ad bellum, quocumque modo inferendum ſatis eſſe videretur. Quòd ſi Veneti interim aliquid de Solymani alienata voluntate ſubodorarentur; omnia tentaturos, vel Gallo Rege deprecatore, vel aliorum precibus, vel pretio, offenſionem omnem redempturos, atque cum eo facillimè redituros in gratiam: ad verò Emmanuelem Philibertum ſine vlla dubitatione in ſummum eorum odium, inuidiamque venturum; quòd aliquando grauium diſſenſionum ſeminarium

Diſſuadetur à multis.

antequàm manum conſeras, multò minus. Quid ſi vel difficultates nullæ oriantur, vel breui facileque expediantur? quid ſi res omnes felicius cedant, vt plerumque contingit cum diligenter & prudenter adminiſtrantur? Quòd ſi omnia opinionem fallant, & regnum illud celeriter partum celeriter etiam dimittendum ſit, attamen quòd ipſe ſibi non defuerit, quòd occaſionem non prætermiſerit, quòd magnum opus magno animo aggreſſus ſit; ſummum veteremque tametſi intermiſſum ſplendorem renouarit, regium titulum receperit, dignitatem auxerit; quibus præſertim temporibus de ea re eſſet inter ſummos Principes acerrima contentio: id ad poſteritatis decus & ad nominis ſui gloriam augendam maximè profuturum. Maiori parti mirum in modum hæc poſterior ſententia placebat. Sed Emmanuel Pgilibertus quamuis optimè intelligeret fine ſibi propoſito recuperandi Cyprij Regni, nihil eo auxilio cõmodius, nihil ea occaſione opportunius qua facillimè multũ quæri, amitti nihil poſſet aut omninò parum; liberè tamen dixit omnem à ſe laborem ſumptum, vt vitam ſine aliquo dedecore & turpitudine, atque ab omni culpa indignitateq; alienam à primis annis traduceret, inanem forè, ſi eam conſtituta iam ætate labe aliqua contaminaret. Sed pietatem veramq; religionem vti principem Chriſtianum decet, in primis ſummo ſemper ſtudio coluiſſe, atque eam regnandi cauſſa, communicatis cum Turcarum Rege conſilijs armiſuè, nulla vnquam cõditione violaturum: neque vſque eo ſeſe demiſſurũ vt ab exſterno Principe preſertim Chriſtianę legi aduerſario, auxilium peteret, vltrouè ab eodem oblatum acciperet, quod poſteà in exitium perniciemque Chriſtiani nominis verteretur. Multos animi magnitudinem imperandi regnandique cupiditate metiri; ſe verius magni animi ducere, regna atque imperia ipſa deſpicere, quæ ſine flagitij ſuſpitione aut aliqua dedecoris nota acquiri non poſſent. Ad eum diem ſe Cyprio regno inuitum caruiſſe: in poſterum eodem ſponde cariturum potius quàm moliturum quicquam, vel omnino cogitaturum, quod Principe Chriſtiano indignum eſſe videretur. Verſari enim

Emmanuel Philibertus animi ſui ſententiam aperit.

ſibi ob oculos diem illum quo Turcarum armis opeque Cypri regiam ingrederetur, ab iꝭs paullò antè Venetorum cædibus pollutam: atq; in ſolio illo ſederet quod ab impiꝭs recenti Chriſtianorum cruore reſperſum eſſet: animumque ab ea cogitatione prorſus abhorrere. Dimiſſo concilio, cum rem omnem

Pontif Maxim. & Philip. Regem de eo certiores facit.

Philippo Regi, & Summo Pontifici confeſtim, & ipſis Venetis patefaciendam cenſeret; Angelum Iuſtinianum Epiſcopũ Geneuenſem in Hiſpaniam, proficiſci iubet, & quæ acta erant Philippo Regi diligenter exponere. rem omnem per legatum ſuum & per litteras ſummo Pontif. ſignificat. eodẽ tempore Mauroccenum Venetorum legatum, ad ſe euocat, Solymani conſilia aperit. etiam atque etiam hortatur, vt quæ ille cogitet, quidq; de ea re ipſe ſentiat, primo quoq; tempore Senatui perſcribat.

Conſulit vt fœdus fiat.

Ex nuntiꝭs, literiſq; Emmanuelis Philiberti ſummus Pontifex, & Rex Philippus paucis poſt diebus, cognouerunt illum ſingulari conſtantia præditum, regnandi cupiditate illecebrauè nihil omninò de vera virtutis via deflexiſſe: cum etiam ipſe eoſdem rogaret, oraretq; vt firmiſſimo fœdere quamprimùm cum Venetis facto, communicatis cõſiliꝭs viribuſq; bellum ſuſciperent, & Solymani conſilia anteuenirent. Quare Principè neq; rebus aduerſis fractum, neque ſecundis elatum, ſed in vtraq; fortuna ſtabilem, conſtantem, ſemperq; ſui ſimilem; recta & honeſta, ſpecioſis & vtilibus anteferentem, ſummum, ac ſingularem virum, atque admirabili virtute præditum eſſe iudicarunt. Itaq; vterque propoſitum eius laudauit; innocentiamque, & integritatem, & pietatem admiratus eſt. Summus Pontifex autem, quòd Chriſtianus princeps auxilia à nefario Turcarum Rege vltrò oblata contempſiſſet; Chriſtiano ſanguini in primis parcendũ putaſſet; religionis cauſſam nomini & potentiæ & ſplendori regio prætuliſſet; mirificè lætabatur. At de fœdere per nuntios & legatos actum ſæpius. cum omnes illud mirificè probarent; tamen in fœderis conditionibus diſſenſerunt; dum alius aliꝭ parùm credit, & vnuſquiſque rei ſuæ parcus eſt, atque

Gratus Venetorum animus.

in cauendo ſibi nimius. Itaque occaſionem quam Chriſtiani Principes inconſulta ratione amittebant; Turcæ poſtea capta-

runt, & auidiſſimè arripuerunt. Veneti de magno Solymani in ſe odio, malaque mente & animo ab Emmanuele Philiberto, atque de eius conſilio per legati ſui litteras certiores facti, eidem gratias immortales egerunt: ſeque in eius ſummi beneficij memoria gratiſſimos eſſe oſtendentes, & Principem illum quem ſui amantiſſimum videbant magnoperè coluerunt, & quantum ei debere ſe agnoſcerent, ſæpe declararunt. Nulla etiam interpoſita mora præfectis ſuis euocatis, omnem operam dederunt, vt præcipua inſulæ oppida magnis propugnaculis, alijſq; munitionibus firmarentur. atque ſi maiora militum præſidia addidiſſent, creditur futurum fuiſſe, vt eam ab hoſtium conatu quamuis maximo facilè tuerentur. annis enim poſt id tempus circiter quinque à Selymo Solymani filio, defenſorum (vt fertur) paucitate expugnata, atque in poteſtatem redacta eſt. Nondum Emmanuel Philibertus Nicea diſceſſerat. cum ex Germania clariſsimi adoleſcentes duo, Rodulphus & Herneſtus Maximiliani Cæſaris filij ad eum peruenerunt, in Hiſpaniam ad Philippũ Regem ituri: neq; enim Genuam accedere, vel Ligurum fines attingere voluerant; à quibus Cæſar erat alienatus. Offenſionis autem hæc erat cauſſa; quòd Genuenſis Reſpublica ſuperioribus annis dum adhuc Ferdinandus Cæſar Maximiliani pater viueret, Alfonſum Carectum Finarij Marchionem, qui in Romani imperij tutela erat, hoſtem iudicauerat, & fines eius inuaſerant. Vbique ſummis honoribus magniſque ſumptibus ijs adoleſcentes accepti: præſertim Mediolani. quò vbi primùm eos perueniſſe Emmanuel Philibertus accepit, Hieronymum Ruuereium Tolonenſium Epiſcopum cum magno comitatu miſit: à quo Niceam ad Emmanuelem Philibertum perducti ſunt. Quacumque iter fecerunt per Emmanuelis Philiberti ditiones magnus in apparatu ſplendor adfuit: nihil quod ad liberalitatem & magnificentiam pertineret, eo tempore deſideratum eſt. ſic ſolebat cum Reges, ſummoſq; Principes hoſpitio acciperet: quod illi peculiare atque vſitatũ cum eſſet; rarum tamen & nouum alijs videbatur. diſcedentes ad naues deduxit, nullo in eos officio ſtudioque,

Cæſaris filij hoſpitio accepti.

qui-

quibus coli potuiſſent, prætermiſſo. Eos verò ſibi magnoperè deuinxit, cum ſuis triremibus in Hiſpaniam deuehendos curauit; atque cum eis Andream Prouanam officio maritimo præpoſitum illuc proficiſci iuſſit. nam ex eius prudentia, & conſilio, & grauitate magnum capiebant fructum; omniq́ue itineris moleſtia leuari videbantur. Ipſe cum Margarita coniuge Nicea diſcedens haud magnis itineribus Taurinum venit: & ambo inde ſuperatis alpibus, per Maurianæ, & Camberij, & Beugeſij, & Brixiæ fines, in Galliam ad Regem officij cauſâ profecti ſunt: ad cuius fines Sabaudiæ proximos, iam Gallorum Rex, & frater, & Regina mater viſendi eos, amplexandiq́ue cupidiſſimi peruenerant. aduentantibus omnes ij Mirabellum vſque Sabaudiæ oppidum obuiam proceſſerunt, Lugdunumq́ue perduxerunt. Ibi & ali s vicinis oppidis dies conſumpti plures, ſumma omnium hilaritate, incredibiliq́ue vtrinque animorum lætitia. Congreſſum illum & conſuetudinis iucunditatem futuram (ſi licuiſſet, eo tempore diuturniorem,) peſtilentiæ vis diremit; quæ in locis remotioribus cum diù fuiſſet, ſerpebat latius, & Lugdunenſem regionem, atque ipſum oppidum iam attigerat. Nam huius morbi ſanandi longè alia quàm cæterorum ratio. illis poſtquam inuaſerint medicina adhibetur: malum hoc niſi antequàm inceperit remedia anteuertant; vbi cęperit, fruſtra ſunt. Neque ſaluti certius conſulas, quàm ſi infecta loca diligenter euites, à ſuſpectis celerrimè diſcedas, quàm longiſsimè abſis, ſerò redeas. itaque Rex à Lugduno declinãs Emmanuelem Philibertum, & vxorem Auenionem perduxit. Paucis poſt diebus à Rege digreſſi, cum ad oppidum Cuneum perueniſſent, non inde ſtatim Taurinum ſed Cherium profecti ſunt. eòdem paullo poſt filius infans perductus eſt; atque eo in oppido omnes tandiu permanſerunt; dum manifeſtò conſtaret ipſum & totam familiam ab omni peſtilẽtiæ ſuſpicione abeſſe, omneſque ſaluos, atque incolumes adueniſſe. noluit Taurinenſem ciuitatem alicuius contagionis metu ſollicitam & ſuſpenſam eſſe: nam per publicum edictũ capitali pœna vetuerat quẽquam intra quodcumque ſuæ ditionis oppidum recipi, niſi lite-

Emmanuel Philibertus & vxor in Galliã ad Regem.

Peſtilẽtia metus.

Emmanuelis Philiber. medela.

ris earum ciuitatem per quarum fines ierat, ſe peſtilentiæ morbo non affectum eſſe docuiſſet, eos verò qui ex peſtilente loco redirent, per dies quadraginta oppidorum aditu prohiberi, interimque aſſeruari ſtatuerat: quod temporis ſpatium ad experiundam cuiuſque ſalutem ſatis eſſe videbatur. legem igitur quam ipſe tuendæ prouinciæ ſuæ cauſſa tulerat, ne cuiquam durior ea videretur, obſeruare non recuſauit: ſponte in ordinem ſe ipſum redigens Princeps cum eſſet, qui ſolutus legibus cenſetur, & imperium haberet. A regionibus ditionis ſuæ, quæ peſtilentes fuerant, cum perniciem omnem auertere non potuiſſet, ſamen tamen & inopiam peſtilentiæ ſocias benignitate ſua depulit, eas oneribus omnibus ſponte leuauit, immunes eſſe quinquennio iuſſit. Taurinum cum veniſſet, ibi cognouit Hieronymum Ruuereium Tolenenſium Epiſcopum, à Summo Pontifice Taurinenſium Archiepiſcopum renunciatum, ex eiuſdem auctoritate iam in poſſeſſionem veniſſe: volente probanteque Egnatio Cardinale Arragonæ, qui in Cæſaris Cybi Archiepiſcopi demortui locum ſuffectus fuerat. Ea res propinquos, & neceſſarios & totam Ciuitatem ingenti gaudio cumulauit: quòd ſpei ſuæ euentus optimè reſpondebat; ac diù cogitata res, multumque optata proſperè proceſſerat. Per eos dies Balthaſar Rauoria Cruceius ad Cęſarem Maximilianum ab Emmanuele Philiberto miſſus eſt; vt litem quam de Montisferrati prouincia cum Gulielmo Gonzaga Mantuanorum Duce habebat, iam pridem cæptam, diuque intermiſſam renouaret, ac ditionem illam re in iudicium adducta, repeteret; ne longo ſilentio quadamque voluntaria obliuione de ſuo iure vltrò deceſſiſſe, remque maximi ponderis, & momenti neglexiſſe videretur. Iacobum Sabaudum fratrem patruelem nouis honoribus ornauit, Gebennenſium Ducem appellauit qui Comes antea dicebatur: vectigalibus auxit: eidem priuata lege poteſtatem magnoperè amplificauit. Tranſegit etiam cum Heluetiorum pagis, eorumque in primis qui Bernenſes appellantur, conditionibus pro tempore neceſſarijs, vel opportunis, potiuſquàm æquis vel vtilibus, controuerſiam de ijs

Eiuſdem liberalitas.

Rauoria de lite Montuferrati ad Cæſ. miſſus.

Benignitas in Iacobum Sabaudum.

Tranſactio cũ Bernenſibus.

Digitized by Google

ditionibus & pluribus oppidis quæ iamdudùm occuparant, quo tempore Geneuenſes religionem in Deum, & fidem in Principem exuentes ab imperio Ducum Sabaudorum defecerunt. recepit enim treis tantum ditiones Cablaſij, & Gaij, & Terniaci, reliquas verò cum ij reddere recuſarent, rem diſſimulandam cenſuit, eamque tacitus in aliud tempus reſeruauit: aliquando tamen, vt putabatur, non lite iudicioque, ſe bello & armis, ſi daretur occaſio, decernendam. In pace enim & otio aſſiduè quidem animo agitabat, qua ratione vtrumque diutiſsimè tueretur: ſed non minus etiam rerum viciſſitudines varietateſque reputans diligenter circumſpiciebat, ſi neceſsitate cogeretur, qua ratione vel bellum inferret, vel illatum defenderet. Itaque

Arces pluribus locis extructæ.

Vercellis, quæ vrbs Mediolanenſi ditioni proxima eſt, cum arcem extrui, & oppidum munitionibus firmari iuſsiſſet; in Allobrogibus item in oppido Montemiliano: aliiſque duobus locis arces excitarentur, Architectos vrgebat, mandabatque præfectis fabrûm, ne quod omnino tempus ab opere quòad perfectum eſſet intermitti paterentur. Taurino verò cum primùm

Taurini verò maxima.

proſpiciendum putaret, ea oppidi parte quæ vergit ad occidentem ſolem, Pactioto Vrbinate architecto ea tempeſtate maximè inſigni vſus, nobiliſsimam munitiſsimamque arcem ædificare inſtituit. Eo tempore Turcæ magna inſtructiſsimaque claſſe ad Melitam inſulam appulerant; copijſque expoſitis ſumma

Turcæ ad Melitam inſulam.

vi oppidum in ea poſitum oppugnabant. quare permoti ſunt Chriſtiani Principes, atque in primis Pius IIII. Summus Pontifex, & Hiſpaniarum Rex Phillippus. maximè verò ſoliciti, nè firmiſsimum maris propugnaculum infenſæ immaniſsimæque genti obiectum & oppoſitum, expugnaretur (quo ſublato in Siciliam totamque Italiam facilior aditus illis patuiſſet,) ſubſidium laborantibus propeque obſeſsis, omninò ferre conſtituunt. Præfecerat Philippus Rex regno Siciliæ Garziam Toletanum Petri filium cum imperio, eumque præterea claſsi præpoſuerat: ad quem Emmanuel Philibertus Andream Prouanam cum triremibus lectis quatuor quas armauerat omnibuſque rebus inſtruxerat, miſit. cumq; alia auxilia conueniſſent, Garzias

Emmanuel Philib. triremes ſuas ſubſidio mittit.

Meſ-

Digitized by Google

Meſſana ſoluens, primo claſsis agmini Prouanam præfecit. qui cum in itinere obuiam habuiſſet magnam fortè Turcarum onerariam nauem, quæ ſupportandi commeatus cauſſa Africæ littora petebat, impetu in eam ad Pachinum facto, fortiter expugnauit. Adueniente poſtea ad Melitam Inſulam Garzia, Turcæ nihil ſibi reliqui ad celeritatem fecerunt; indeque ſubitò ita diſcedētes, vt profectio illa ſimilis fugæ eſſe videretur; multis ſuorum amiſsis obſidionem oppugnationemque dimiſerunt. Hoſtibus autem fortiſsimè reſtiterunt, oppidumque præſenti animo tutati ſunt Hieroſolymitani milites equeſtris ordinis qui diui Ioannis appellantur, inſulæ defenſores & incolæ: eorum militum Ioanne Valleta Gallo, magno Magiſtro. Prouana Taurinum redeunte, Emmanuel Philibertus familiares ſuos, quorum breui tempore auctus erat non mediocriter numerus, quoſque epiſtolis, menſæ, cubiculo, poculis, aliiſque domeſticis muneribus præfecerat, bellicæ laudis cupiditate incenſos, vti in equeſtrem militiam nomina darent, hortatus eſt. ex illis igitur cataphractorum turmam confecit: ita nihilò ſecius partito tempore, vt nemo priſtinum officium deſereret, ſed ſtatutis diebus, tertio quoque menſe quiſq; munus ſuum obiret. qua ratione conſilioque rei cum militari, tum domeſticæ prudenter conſulit. Cum item animaduertiſſet conſiliarios iam plures eſſe, quàm vel rei opportunitas, vel neceſſitas poſtularet; nonnulloſque partim commendationibus Principum, partim rogando eum dignitatis gradum conſequutos, numerum illorum paullò frequentiorem ad paucos præſtantioreſque redegit. eorum tamen qui loco mouebantur exiſtimationi conſuluit: eius rei cauſſam aperuit: neminem crimine aliquo notauit. quin etiam hunc in Senatum, vel alium magiſtratū cooptauit: illum ad Principes legauit: alios aliis muneribus præpoſuit. vt neque quemquam eius culpa loco mouiſſe, ſed conſultò ad alium tranſtuliſſe; neque alicuius vitii damnaſſe, ſed publici commodi præcipuam rationem habuiſſe videretur. Arx quę Taurini conſtruebatur, mēſibus circiter quindecim quibus cœpta erat perfecta eſt, latiore foſſa, & propugnaculis quinque

Turcæ re infecta diſcedunt.

Ex aulicis cataphractorum turma conficitur.

Conſiliariorū numerum minuit.

firmiſſimis munita. ijs duobus quæ ad vtrumque portæ latus extructa erant, continuatæ poſtea alio tempore munitiones magnæ, quaſi brachia latè extenſa, quas forcipes appellarunt. *In arce Taurini puteus inſignis.* In arce puteum miræ magnitudinis effodit perennium aquarum; & vberrimarum, & ſalubrium, quæ corrumpi auertiuè nequeant: nam perpetuò & ſcaturiunt & decurrunt ex vicinis collibus venis intimis pluribus illuc defluentibus. puteum ipſum ab imo ad ſummum duplici pariete muniuit, tanto inter vtrumque parietem ſpatio relicto quantum ſatis eſſet ad continendas binas ſcalas, ſingulas latitudinis pedum circiter trium, alteras ſub alteris extructas: vtraſque cochlides, & circa parietum orbem ſe agentes; ſupra concameratas; infrà lateribus ſtratas. gradus appoſiti ſunt nulli, quibus in leni admodùm decliuitate nihil opus erat:& ij iumentis commeantibus impedimento fuiſſent. nam aquæ non ſupernè hauriuntur, vt in alijs puteis fieri ſolet alligata ad funem hydria: ſed ſuperioribus ſcalis, homines & iumenta, ſiue bibendi, ſiue aquandi cauſſa, ad aquæ ſuperficiem perueniunt:inferioribus autem quicunque deſcenderint, aſſenſu leniter accliui redeunt. ita fit, vt occurſatione omni ſublata, euntes ſcalis alteris, alteris redeuntes, complures eodem tempore aquam haurire commodè poſſint. Tormentis verò & omni bellico apparatu atque armorum genere, & commeatu abundè prouiſo, magnum lectorm militum præſidium arci impſuit, & ei Ioſephum Careſanam Vercellenſem patricium, fortiſſimum virum reique militaris peritiſſimum, ac de ſe benemeritum præfecit: vt locus & opere & magno validoque præſidio, & omnibus neceſſarijs rebus munitiſſimus, addito tam forti tantæque virtutis præfecto vi expugnari communi omnium iudicio non poſſe putaretur. Interim Solymanus Turcarum Rex, cui ſæpenumero res benè ſucceſſerat, *Selymãus bellum parat.* diuturna felicitate elatus, Regum barbarorum more qui cupiditatibus non modum ſtatuere, ſed earum ſitim explere glorioſum ducunt, proferendi imperij impotenti effrenataque libidine incenſus, maximum bellum parabat, atq; in Pannoniam breui venturum eum cum ingenti exercitu conſtans fama vul-

gaue-

gauerat. Qua re longè antè crebris multorum literis nuntijſq; cognita, Maximilianus Cæſar Chriſtianis Principibus ſcribit: eos diligenter de Turcarum apparatu imminenteq; bello certiores facit: docet quantoperè Chriſtianæ reipublicæ interſit, tantas copias contrahi vt viribus potentiſſimi hoſtis celeriter opponi poſſint. quoquò verſus ad auxilia accerſenda, præſertim ad conducendos equites magna celeritate nuntios dimittit. concilium Germanorum Principum in diem certam indici iubet, idque Auguſtę Vindelicorum ſe habiturum affirmat. Quibus cognitis Emmanuel Philibertus, eò magnis itineribus contendit: ſic animo paratus vt libenter à ſuis ditionibus abeſſet, laborem pro Cæſare nullum recuſaret, bello illi intereſſet. Magnoperè eius aduentu confirmatum, lætatumque ſe fuiſſe manifeſtè Cæſar oſtendit. nam ad oppidi portam eum ab Othone Truchſe, Cardinale Auguſtano, & à Menapiorum Duce, qui Cleuenſes appellantur, & ab alijs ſummis viris excipi voluit: eumdemque, teſtata multis verbis eius virtute, renouataque priſtinæ amicitiæ memoria quæ inter eos iam multis annis ab ipſa adoleſcentia intercedebat, amantiſſimè complexus eſt. in quibus autem ſe ipſum offerebat, vt niſi confecto eo bello indè non diſcederet, ſtudium eius, & humanitatem agnouit, quod dabatur non accepit: in ſignificanda pari voluntate gratiſſimus: in remittendis ijs quæ vltrò promittebantur, æquè moderatus ac prudens: cum omnia animo circumſpiceret, atque ſua commoda amici commodis metiretur. Nam Cæſar poſt multos congreſſus, crebraque colloquia quibus de tota belli illius gerendi ratione ſæpe conſultatum eſt, monere eum & hortari etiã atque etiam non deſtitit, vt primo quoque tempore in patriam rediret, regionibuſque ſuis ne quid mali propter vicinos Galliæ tumultus paterentur, omni diligentia proſpiceret. Itaque Emmanuel Philibertus per Carinthiam, & forum Iulij Venetias profectus, à Senatu & à tota ciuitate lætiſsimis animis ſummaque omnium voluntate acceptus eſt: in itinere bis teruè febre laborauit: qua paucis diebus decedente, Taurinum incolumis peruenit. inde confeſtim auxilium

Emmanuel Philibertus ad Cæſarem.

Cæ-

Cæſari de imminente bello ſolicito quingentorum lectiſſimorum equitum miſit: eiſque curato in menſes plures ſtipendio, clariſſimum iuuenem Bernardinum Sabaudum, Philippi filium, præfecit. In Pannonia à Chriſtianis fortiſſimè res geſta eſt: & ſuſtinuerunt Solymani copias & repulerunt; priuſquàm valetudine grauiter tentaretur exercitus. poſteà morbi inceſſere: quibus multi abſumpti: plurimi valetudinis infirmitate de-

Solymãus ad Siguetum ibi moritur.

cedere ex ea prouincia coacti ſunt. Solymanus cum exercitum ad Siguetum oppidum adduxiſſet, illudque acerrimè oppugnaret; antequàm expugnaret, mortuus eſt. ac quamuis poſtremi conatus illius prohiberi non potuerint; Deus tamen in cuius tutela ſumus, quicunque veram pietatem colimus, rem eo viuo benè atque ex ſententia ſuccedere, eumque gaudij illius vſura frui non paſſus eſt. maiorené ſuperbia arrogantiaque; an in Chriſtianos odio vel inuidia æſtuaret, non facilè diſcerneres. nam à funere, ætate iam confectus, cum longè non abeſſet, adhuc tamen triumphos de cladibus, & ſpolijs

Mehemetis aſtutia.

Chriſtianorum ſibi deſpondebat. Mortem Regis, Mehemetes Baſſa eius gener celauit quandiù voluit. mæſtum enim, & lachrymantem è Solymani cubiculo tantùm egreſſum, cum vndique prætoriani milites, quos Iannizeros appellari diximus, accurrentes circumſtetiſſent; atque id quod erat de morte Regis ſuſpicati iam fremere ac perſtrepere incœpiſſent; audaciam eorum compreſſit, motumque facilè ſedauit. homo enim aſtutus animos eorum leuiores confeſtim ab alijs cogitationibus ad ſummum timorem traduxit. grauibus ſanè verbis, ſeueroque vultu affirmauit ſe non Solymani mortem, vt ipſi rebantur, deflere, qui iam depulſo morbo conualeſceret, quemque paullò poſt ſaluum atque incolumem viſuri eſſent; ſed eorum calamitatem perniciemque deplorare: quorum ob inſolitum languorem & ignauiam Solymanus iratus maximeque offenſus, eos non ferre diutius ſtatuiſſet. quamobrem niſi eo biduo triduouè Siguetum expugnaſſent, atque in poteſtatem redegiſſent, inermes ab armato exercitu de improuiſo circundari, vniuerſoſque confodi iuſſurum. Iam verò Solymani cadauer indè nocte me-

dia

dia remouendum, clamque aſportandum curauerat: atque in eiuſdem lecto transfugam, deſertoremque Chriſtianum collocarat. ille interdùm, cum ſubmiſſa oratione loqueretur, manuſque ſæpè verſaret, ianitores ſtipatoreſque regij foribus penitioris tabernaculi nonnunquàm ſemiapertis, eum procul videntes, manum ſpecie decepti, quæ Solymani manibus ſimillimæ erant, & Regem adhuc viuere ipſi putabant, & falſa pro veris affirmantes, alios non malitia ſed errore fallebant. quare ſumma vi à prætorianis impetu facto, eodem propè tempore, & magna Chriſtianorum cæde captum eſt oppidum; & Mehemetis patefacta atque detecta fraus. ſed metu omni in lætitiam verſo, calliditatem eius qua ludificati fuerant, re ex ſententia confecta mirificè commendarunt. Iam verò Emmanuel Philibertus quod iampridem mente conceperat, vt ſi quæ hoſtiles copiæ repentè ipſius prouincias inuaderent, nè ab exercitu imparatus, & ab omni auxilio infirmus, facilè opprimeretur, rei militaris bellicique præſidij rationem habere conſtituit. itaque in ſuis ditionibus delectum habere inſtituit, diligentique tacta conquiſitione, iuuentutem ad danda militiæ nomina pellexit. Cum magna hominum multitudo gratum Principi factura vndique ad præfectos conflueret, eam in cohortes diſtribuit: quibus centuriones, & duces, & tribunos, & alios præfectos vetere more, inſtitutoque militari præfecit. deſcriptos militiæque ſacramento obligatos præmijs nonnullis confirmauit, auxit, ornauit. à pleriſque oneribus perpetuò liberos & immunes eſſe iuſſit. rerum capitalium præcipuos iudices eis conſtituit, atque ab aliorum omnium iuriſdictione exemit. pecuniam ex Ærario depromere nihil neceſſe fuit. nam populi quanta ſatis eſſet ad arma militibus illis comparanda quibus præſidium ſuum niti intelligebant, ſponte contulerunt. mandatum autem eſt à ducibus vt illa ſemper terſa eſſent & lucida, & ita parata; vt nihil eos moraretur quocunq; tempore in expeditionem mittendi eſſent. Illi cum diligenter, aſsiduequ; ſeſe exercerent, militarem diſciplinam breui perceperũt: vt & decurrere, & ſigna probè agnoſcere, & ab eis præfectorũ

Signetum expugnatur.

Emmanuel Philibertus delectum habet.

iniuſſu

iniuſſu non diſcedere, & ordines ſeruare, & hoſtem laceſcere, & impetum facere, & pedem referre, cum vſus poſceret optimè ſcirent. In tribunis aliiſque militum præfectis non tam genus, quàm fortitudinē & rei bellicæ ſcientiā ſpectabat nouumq; hominemē ſed fortitudine præſtantem, patricio viro imbelli præferebat. quòd ſi quis eſſet magno loco natus, idemque bellica virtute, & animi robore magnitudineque inſignis; hunc digniſſimum cenſebat cui præfecturas deferret, quemq; ad omnem militarem honorem euocaret. Itaque præter centuriones & duces, ſummæ præterea virtutis & nobilitatis viros elegit quos tribunos militum iis copiis præficeret, Ioannem Thomā Valpergium Maſini Comitem, Ariniani Comitem, & Federicum Aſinarium Comitem Camerani; & Thomam Sinfredi Comitem; & Leonardum Ruuereium, & Fozarum Scalengū, & Ioſephum Careſanam, & Caſtrocarium, & Guidonem Pionenam. Cum hæ copiæ à præfectis recenſerentur, & numerus omnium iniretur; reperiebantur cōfecta armatorum lectorum millia triginta ſex: quæ quocumque opus eſſet, ſine mora perduci poſſent, & in campis pro muro hoſtibus opponi, ſi prouinciæ illæ munitis oppidis & arcibus omnino carerent: multò magis ipſas arces, & oppida munitiſſima tueri. Superioribus diebus Pius IIII. Pontifex ſummus, quo tempore firmiſſima optimaque valetudine vti videbatur, maximo morbo de improuiſo correptus eſt. Dum enim languidi defatigatique corporis imbecilliores vires potu ciboque ad conquoquendum difficilli, inconſultè reficit, octauo die è vita migrat. Atque nō multò antè, quàm è vita diſcederet longè propenſiorē ſe oſtēderat ad Emmanuelem Philibertum iuuandum in recipienda Geneua, reuocandiſque ab improbitate ac ſcelere Angronianis populis. Sed poſtrema pōtificatus tempora haud quaquam à primis diſcreparunt: Vt ille beneficij cauſſa quod accepiſſet, non multum Summo Pontifici deberet: bonam tamen mentē eius agnoſceret, atque in accepti beneficij loco ducendam putaret. Patres in demortui locum Michaelem Cardinalem Alexandrinum ſuffecerunt, qui Pius V. appellatus eſt. hic in Bo-

Præfectos peditum conſtituit.

Pius Quar. Pōt. Max. moritur.

Sufficitur Pius V.

ſco

ſco agri Alexandrini oppido natus, cum nomen à puero in Dominicanam familiam dediſſet, atque in ea cum probitatis commendatione conſenuiſſet; à Paulo IIII. Summo Pontifice primò Sutrinorum & Nepenſium Epiſcopus dictus; poſtea in collegium Cardinalium, ob vitæ innocentiam, & quòd Paulus antequàm Summus Pontifex eſſet, eius opera in perſequendis religionis aduerſarijs vtebatur, lectus eſt. nam quòd ad eruditionem attinet, in Philoſophia humana diuinaque haud mediocres progreſſus fecerat. Sed fertur. cum cæteras diſciplinas, præſertim verò politiores literas quæ humanitatis dicuntur, haud admodùm magni feciſſe. Mores eius caſti & integerrimi, probitas conſtans, magna ſanctitas, pia mens, & animi propoſitum iuſtiſſimum. Primis diebus Emmanuel Philibertus Romam legatum miſit Georgium Coſtam Trinitatis oppidi Comitem, qui ipſius nomine Chriſti Vicario pedes oſcularetur, omne in eum ſtudium promitteret, ipſumque libenter eidem ſemper pariturum affirmaret. Ac principiò inter ipſum, & Emmanuelem Philibertum parùm conueniebat. cum enim Summus Pontifex vt inopiæ Populi Romani mederetur, frumentum in Prouincia comparati Romamque comportari iuſſiſſet, naues duæ eo frumento onuſtæ Niceam quam littori inferi maris adiacere diximus, appulerunt, atque ab oppidanis qui tùm fortè in ſummis rei frumentariæ erant anguſtijs interceptæ ſunt, qua re magnoperè commotus Summus Pontifex legato ſuo ſcribit, qui Nuntius appellatur, vt ea de re cum Emmanuele Philiberto diligenter agat, ac niſi frumentum ſubitò reddatur, Nicenſibus abſque vlla mora ſacris interdicat. Erat nuntius, quem Summus Pontifex multò antè ad Emmanuelem Philibertum miſerat, vir eximius Vincentius Laureus, qui in omni doctrina, præſertim in Philoſophia diuina, humanaque mirum in modum excellebat, ſingulari ingenio, & quod caput eſt, magno rerum vſu prudentiaque admirabili: idem poſtea à Gregorio XIII. Summo Pontifice, magno virtutum æſtimatore, atque in largiendis ſummis honoribus parco, in collegium Cardinalium cooptatus eſt: cum

Offenſionis inter Pium V. & Emmanuelem Philibertum cauſſa.

Vincentij Laurei Nuntij dexteritas & prudentia.

Carolus Emmanuel eum Cardinalem creandum curat.

ad eius merita Caroli Emmanuelis Allobrogem Dúcis gratia acceſſiſſet, qui virum Gregorio per legatum, & per litteras diligentiſsimè commendauit. Nuntius antequàm Summi Pontificis ignea tela emitteret, rem totam diligentius inſpiciendã putauit. itaque primùm per ſe attentè cõſiderauit: tùm Theologis pluribus ſummis viris diſcutiendam propoſuit: poſtremò Summo Pontifici quæ egerat, ſignificauit: atque de illorum ſententia ſcripſit, non videri Nicenſibus ciuibus ſacris interdicendum, qui nulla iniuriæ maleficijué culpa tenerentur; cum eos fames compuliſſet, neceſsitaſque coëgiſſet, quæ legibus omnibus ſoluta ſemper eſt. quòd ſi frumentum reddi poſtularet, ſerò id agi: quoniam illud eodem propè temporis puncto interceptum, diuiſum, conſumptum fuiſſet. Summus Pontifex Nuntij, & Theologorum ſententiæ acquieuit: & vbi rem ſedato planè animo expendit, quod Nuntius Nicenſibus non interdixiſſet, probauit: quoniam pœnam illam grauiſsimam non meruerant: & erant in Emmanuelis Philiberti ditione, ac poteſtate, qui id ægerrimè tuliſſet. Nã vbi poſtea virtutes eius maiore cura perpendit, eum vehementer dilexit: contraque officia omnia quæ tribui potuerunt, ab illo in Summum Pontificem profecta ſunt. facinoroſum quẽdam nefarijſque ſceleribus coöpertum in eius prouincijs ſeſe occultantem, è latibulis eruẽdum, producendum, ſummoque Põtifici, qui id maximè cupiebat mittendum curauit. Cardinalem Alexandrinum Summi Pontificis propinquum, & neceſſarium atque ab ipſo legatum ad Reges Hiſpanum, & Gallum, dum it, reditque, Taurini ſummo ſplendore excepit. Michaelem eius fratrem diù apud ſe detinuit, magnos ei honores habuit, militiæ equitum Mauritij & Lazari adſcripſit, magna eius militiæ cruce decorauit: & eumdem poſtea filius Carolus Emmanuel in equitum ordinem qui Nunciatæ dicitur, legit. Ad hæc Pius V. multis alijs magniſque virtutibus ornatus fuit: in domeſticos benignus & liberalis; in amicos gratiſſimus: in augendis propinquis & affinibus, moderatus. Atque in primis acerrimi vir animi: magnæque integritatis, in maximam virtutis ſanctimonięque venerat opi-

Mutua inter Pium V. & Emmanuelem Phili. beneuolentia.

Officia Emmanue. Phi. in Pium V. et eius propinquos.

nionem. tanta verò auctoritate apud Chriſtianos Principes valebat, vt eos quocumque vellet, impelleret; neque ab eius ſententia, in ijs præſertim quæ ad tuendam Remp. Chriſtianã pertinebant, eorum quiſquam facilè diſſentiret. Quare cum Selymus Turcarum Rex Solymani filius, patre iampridem mortuo, bellũ apertè pararet, Cyproq; immineret; Summo Põt. hortante ſuadẽteq;, quod iã antea agitatũ ſæpè diligenterq; fuerat, tandẽ perfectũ eſt. Inita eſt inter ipſum & Philippũ Hiſpaniarũ Regẽ, & Venetã Rempub. armorum belliq; ſocietas: eaq; fœdere confirmata, vt coniunctis communicatiſq; conſilijs, & copijs, ſe ſe Turcarum viribus opponerẽt. Claſsi autẽ quæ in Italia, & in Hiſpania ſummo ſtudio parabatur, & vniuerſis fœderatorum copijs cum imperator deligendus eſſet, vnus in Chriſtiana Republica occurrebat Emmanuel Philibertus, cuius conſiliũ & fortitudo, & rei militaris ſcientia, & rerũ omniũ vſus, Principum illorũ, cæterorumq; animos ad rerum maximarũ ſpẽ erigebant. Neq; Summus Pontifex, Philippuſq; Hiſpaniarum Rex quicquam vehementius optabant, quàm imperij ſummam illi deferri, & munus illud ab eo ſuſcipi, quem ob eximiam multiſq; & arduis rebus ſpectatã virtutem, magnumq; rerum bellicarum vſum, plurimi faciebant, ac mirum in modum diligebant. Sed duobus impendentibus malis propeque præſentibus, alteri remedia quærere, alterius curam abijcere negligereuè, cum vtriq; ſuccurrendum eſſet, & fieri vtrumque poſſet, imprudentis eſſe videbatur. Neque enim ſola Orientis mala proſpicienda erant; ſed Occidentis etiam metuenda. Neque à Turcis eo tempore magis quàm ab Hugonotis temendum erat, Trace omni, atq; omni barbaro, ſæuitia, impietate, immanitate. atque in veram religionem Chriſtianam odio deterioribus. Cauendum autem erat ne ij Emmanuele Philiberto poſt acceptum exercitus imperium longius abſedente, ſedato ad tempus inteſtino ac domeſtico bello, iter ſibi repentè quodcumque vellent per alpes aperirent, atque in Italiam contendentes eam diriperent, ferroque & flamma vaſtarent. Quare ſatius viſum eſt, Emmanuelem Philibertum Taurino non diſcedere, atque ab ea

Fœdus Chriſtianorũ Principum aduerſus Turcas.

Pij V. & Phil. Regis opinio de virtute Emmanuelis Philiberti.

Emmanuelis Philiberti diligentia.

patte quæ ad occaſum ſolis vergit, pottas clauſtraque Italiæ tueri; quàm claſsi præfici. Neque verò ille Summi Pontificis, aliorumque ſpem feſellit; mente atque oculis ſemper in Galliam coniectis, hoſtium illorum conſilia animo circumſpiciens, eaque per homines idoneos explorans, ſeſe non ſolum inuidię, verùm etiam periculis fortiter opponens. ita conatibus illorum quantùm omni ingenio ſummiſque viribus conniti poterat, ſic reſtitit, vt illorum audaciam ſæpè frangeret; fraudes verò ſemper eluderet. quare cum Summo Pontifici difficile eſſet merita illius aſſequi, id magno ſtudio agebat vt beneuolentiam & ſtudium officiis imitaretur: nouos etiam honores & titulos ei delaturus, niſi moderationem animi atque modeſtiam eius iampridem notam habuiſſet, qua contentum ijs ſciebat eſſe, quos ab antiqua longaq; ſerie maiorum acceperat. At ſolemnia quæ non omiſſa negligenter ſed conſultò dilata fuerant quo die filius Chriſto priuatim initiatus eſt, cum Emmanuel Philibertus perfici vellet, vetereſque ac pios ritus Chriſtianos ſumma diligentia cærimoniaque ſeruari; ei rei diem conſtituit vij. Idus Martij. ad quam diem Taurinum conuenere Alexander Cribellus Cardinalis à Summo Pontifice miſſus: à Carolo IX. Galliarum Rege, Villarius officio maritimo præpoſitus, quem Amiralium vocant: pro vtraque Regina Galliarum & Hiſpaniarum Catherina & Eliſabeta; Iſabella Gonzaga Ferdinandi Franciſci Auali Piſcariæ Marchionis vxor; & ea abſente Maria Sabauda Emmanuelis Philiberti filia: pro Republica Veneta, idem Senator qui pridem ab ea miſſus ad Emmanuelem Philibertum venerat: pro magno Melitenſis militiæ magiſtro, Eques Raſchietius. ab ijs autem omnibus ſacrofonti admotus eſt Emmanuelis Philiberti filius, atque Carolus Emmanuel appellatus; ſacramenti illius miniſtro Hieronymo Ruuereio Taurinenſium Archiepiſcopo. magni eo myſterio ſponſores; magna pro nihilo: ſed tamen quæ infans progrediente paullatim ætate, ſimulque cum ea creſcente pariter in pectore eius religione, animique celſitudine, optimè poſtea ſeruarit. Ad eximiam, excellentemq; naturam, qua ad omnem virtutem pro-

Carolus Emmanuel Sacrofonti ſoleniter admouetur.

Indicia virtutis in puero.

penſus

penſus erat, diligens educatio acceſsit, domeſticis exemplis inflammatus, quæ ob oculos eius aſsiduè verſantur, illud agere, atque in id vnum tota mente atque animo videtur intentus eſſe, vt maioribus, quos ſummis virtutibus, præſertim pietate Chriſtiana, & bellica gloria clariſsimos fuiſſe non ignorat, omnibus antecellat. Quæ mortuo patre maturè aggreſſus eſt, quæque poſtea geſsit, ſatis indicant qua mente ſit: teſtanturq; quod eius conſilium, quàm conſtans & firmum in publica religionis cauſſa ſempertuenda propoſitum. Nam iam indè à ſui principatus initio vetuſtiſsimam vrbem Geneuam, quæ à Sabaudo nomine iampridem defecerat, armis in poteſtatem redigere conatus eſt. illud in primis acturus ſi res proceſsiſſet, vt ciuitatem eam deſertoribus quibus refertiſsima erat eiectis purgaret: oppidanos autem & ceteros accolas partim falſis opinionibus in fraudem impulſos; partim ſcelere proprio de ſanitate menteque deturbatos; ad ſalutem reduceret. Quo verò potiſsimum tempore hæc ſcribebamus, Hugonoticæ factioni in Italiam contendenti ſeſe fortiter oppoſuit. eorũ conſilium occupandæ improuisò Salutienſis ditionis anteuertit. trans Alpes, expugnato primum oppido munitiſsimo Carmagnola, armis eiectos, Italia excluſit. Sed ad patrem redeamus: nam à Carolo Emmanuele Emmanuelis Philiberti filio res preclarè geſtas ſcriptores alij literis conſignabunt: quos quidem præclaros eſſe oportebit ſi argumento, & materiæ pares. Iam impuriſsima lues Hugonotica diffundebatur latius, vireſque mirum in modum auxerat: neque duces prefectiuè deerant magnæ nobilitatis & potentiæ; Henricus Vandomius Cantabriæ Rex, quam Nauarram vocant, & Ludouicus Condeus Princeps eius frater patruelis, & Gaſpar Colignius, & alij plures, ac præter armatorum copias; eorum prætereà qui ſecta illam apertè ſequebantur, magnus numerus: ſed qui occultè cum illis conſpirauerant conſentiebantque longè maximus. Itaque à dolis & fraudibus nihil omninò tutum. non legis alicuius vis, non fœderis aut amicitiæ nodus. non ſanguinis, vel neceſsitudinis, vel hoſpitij iura nefariòs illos a flagitio, ſcelereq; continebant.

Nonnulla ab eo præclare geſta.

Hugonotorũ factio diffunditur.

Totius opprimendæ eodem tempore prouinciæ Galliæ, atque occupandi cuiuſque oppidi conſilium cœperunt: illiſque nefarijs conatibus dictus fuerat dies, ad III. Calen. Octobris, qui diuo Michaeli ſacer eſt. Eo die Emmanuel Philibertus in

Emmanuel Philibertus inſidijs propè circumuētus.

Sebuſianis cum eſſet, & fortè venaretur, à coniuratis propemodùm circumuentus eſt: ſed paratas inſidias ei Franciſcus Cabeus Fellianus pari diligentia, & fide in tempore detulit. cuius fide, & beneuolentia cum periculum vitaſſet, ei ſanè merita pro accepto beneficio præmia eaque ampliſſima decreuit.

Subſidiū miſit Gallorum Regi.

Tùm Gallorum Regi magnis difficultatibus laboranti, atque de improuiſo ab hoſtibus penè oppreſſo, qui paullò antè, Matiſconem oppidum primùm per inſidias, poſtea vi occupare conati erant, ſubſidium miſit; lectorum peditum tria millia; equites leuioris armaturæ mille, & ſeptingentos. Turmis equitum viros magnæ fortitudinis magnoque loco natos præpoſuit.

Præfecti equitum.

Æneam Pium Sabaudum, Alexandrum Rangonium, Franciſcum Martinengum, Brunorum Zampeſcum, Marcum Antonium Villamclaram, Octauium Sanuitalem, Franciſcum Ruuereium Cincianum, Rubertum Rotarium Sanſeuerinum, Antonium Georgium Prouanam Andreæ fratrem patruelem, Claudium Antonium Muſſiacum, Ferdinandium Vitellium, Guidonem Piouenam Vicetinum, & alios. Peditibus item centuriones duceſq; fortiſſimos dedit: omnibus copijs Alfonſum Ateſtinum Alfonſi Ferrarienſium Ducis patruum præfecit. hi quòd fortiſſimi erant, quòdque celeriter ad Regem miſſi, opportunè aduenerant, magno in honore in eius exercitu habiti, magno item vſui fuerunt.

Maria Emmanuelis Phi lib. filia nubit.

Annis antè circiter quindecim Emmanuel Philibertus forte formoſam virginē Vercellis honeſto loco natam vehementer adamarat, atque ex ea filiam ſuſceperat. Maria igitur (ſic enim illa appellabatur) cum adoleuiſſet, atque à patre ob virginalem modeſtiam, & ſermonis leporem, & ſuauiſſimum ingenium, miramque venuſtatem magnoperè diligeretur, Philippo Ateſtino Sigiſmundi, & Iuſtinæ Triuultiæ filio, in matrimonio collocata eſt.

Philippo Ateſtino.

Hunc Emmanuel Philibertus cum de ea re diù conſultaſſet, ex omnibus

clariſſimis adoleſcentibus Italis ſibi generum aſciuit, vetuſtò inprimis, ampliſſimoque genere natum, Ateſtina gente, Ducum Ferrariæ propinquum & neceſſarium; optimis moribus ornatum, opibus, & ætate, & gratia clarum. Eius autem antiquis ditionibus ſanè amplis, quas à patre maioribuſq; quaſi per manus traditas acceperat, oppidum Lanzium adiecit; cumque opidi illius Marchionem appellauit. Deinceps iuuenis naturam, & vitæ rationem, & ingenium diligenter explorare cæpit, attentiuſque ſecum expendere. quem vbi comperit, nihil à maiorum diſciplina degenerantem, liberaliter educatum, ipſo naturæ habitu moderatum, ſtudio verò & diligentia naturæ munus augentem, laudis auidum; pecuniæ liberalem, ad res magnas gerendas aptum; ad eum augendum, & magnoperè ornandum animum conuertit. Quare conſtituta iam pedeſtri militia, cum equitatum pariter conſcribendum putaret, quem exercitus omnis neruum eſſe, præſertim apertioribus locis vſu ipſo didicerat, prælium que ſine eo præſidio temerè committi; equites leuioris armaturæ circiter mille celeriter confecit. in ſubalpinis, pluribus ad danda nomina concurrentibus, quadringētos & quinquaginta tantùm conſcripſit. trans alpes in Allobrogibus amplius trecentis; præter ducentos alios, quos armaturæ mutato genere dimiſſiſque lanceis, tormentis minoribus inſtruxit. Singulis horum equitū turmis, vti in peditatu fecerat, magnos duces, quorum virtutem fortitudinemque maximè & probabat & anteà ſæpè fuerat expertus, præpoſuit: equitatui verò omni Philippum generum præfecit. atque his peditum equitumque præſidijs non dubitabat, quin ſuos fines ab omni inopinata hoſtium impreſsione, repentinoque impetu facilè tueretur: quò ad vel Hiſpanos, vel Germanos, ſi opus eſſet, vel Heluetios euocaret, vel alium externum militem mercede conduceret. conducto tamen exercitu, & auxiliaribus copi's ita vſurus, vt vetuſtis & recentibus exemplis monitus, non illis copijs planè confideret ſe ipſumuè crederet; ſed ſemper plus ſui roboris, ſuarumq; propriè virium in caſtris haberet. Ac quoniam

Eiuſdē animi bona & externa.

Emmanuel Philib. equitatum cōſcribit.

Philippum generum equitatui præficit.

Rectè inſtituendum curat.

Philip-

Philippum generum optima indole prœditum iam ita amabat, vt in eum quem in filij loco ducebat, omne officium conferret; ad cæteras adoleſcentis virtutes eam addendam diſciplinam cenſuit, qua ipſe, & maiores ſui maxima diligentia à pueris inſtituti fuerant: vt militarem laudem omnibus quidem alijs anteferret, ſed eandem nullam duceret, niſi cum præcipua pietate religioneque coniungeret; in hiſce cogitationibus aſsiduè ſeſe exerceret, harum quaſi naturam ſibi faceret. Nam iuuenis animus, præſertim vero Principis, vbi ad laudem aliquam gloriamque, virium & potentiæ tantummodò via graſſatur; fortè potius & caſu quàm virtute prudentiaue regitur: quòd ſi prauis cupidinibus capiatur, tùm verò pro conſilio rationeque, mala animi affectione libidineque imperante, à nullo ferè flagitio abſtinet, audacia fortitudinis locum occupante. itaque immoderatæ potentiæ frenum, religio: religionis tutela defenſioque, vires & arma. Pluribus igitur in prouincijs inſtituta ſunt à Chriſtianis Principibus equitum genera duo: alterum quod Ordinem, alterum quod Militiam equitum appellarunt: vtrumque potius dignitatis nomen quàm muneris: vtrumque ab ijs equitibus diſtinctum qui menſtruo merent ſtipendio, cataphracti nimirum & leuioris armaturæ: ad vtrumque nouis & obſcuris hominibus aditum prohibentes; genere claros tantum modo legendos eſſe conſuerunt. Has equitum militias, quæ plures inſtitutæ ſunt, ſinguli earum auctores & magnis vectigalibus ditarunt; ne præmium pro ſuſceptis laboribus, dignaque pro fortitudine merces cuiquam deeſſet; & ſingulos equites inſigni præcipuo decorarunt. neque eorum fuit quiſquam, quin inſigni eodem; illuſtri videlicet crucis nota vtendum cenſeret: tametſi quod ad crucis colorem, & formam attinet, alij aliter. id nimirum agentes, vt quaſi æquata conditione cùm nouus honor homines ad militarem gloriam accenderet; tùm pia Chriſtianæ religionis monumenta ſemper ob oculos verſantia nimiam licentiam, quaſi adductis habenis compeſcerent, animoſq; ab eſſrenata violentia ad magnam moderationē temperantiamq; facilè reuocarent. Sic exiſtimarunt fore, vt le-

Militaris virtus cum religione coniungenda.

Equitum genera duo.

Ordo & Militia.

Cuiuſmodi ſint.

Quare inſtituta.

ctiſſima iuuentus dum ſeſe militari labore parum exercet, neq; nimis aliquando remolleſceret, otioue torperet; neque in vna potentia innixa, atque omnia in armis, & vi poſita ducens, præceps in nimiam audaciam & ſcelera ferretur. Huiuſmodi equitum militiæ in pluribus Europæ prouincijs, multis ab hinc annis magno hominum fauore florere cæperunt, & adhuc florent. In Germania, in Rutenis, in citeriore vlterioreque Hiſpania plures; in Gallia; in Italia, duæ; in Melita inſula, quò ex Rhodo poſteà quàm inſula à Turcis capta eſt, commigarunt: & alibi. Ordines verò equitum pauciores ſunt: & eorum auctores plerumq̀ue Cæſares, vel Reges, vel ſummi Principes fuere: vt Britanniæ Rex, & Duces nonnulli: præſertim Sequanorum; quorum iura ſimul cum ditionibus ad Hiſpaniarum Reges peruenerunt. horum ordinum tanto maior præſtantiorq̀ue cenſetur eſſe dignitas, quanto cæteris principibus ſplendore & potentia antecellunt qui eis præſunt. Sed ſi de antiquitate agitur, quæ magnum nobilitatis argumentum eſt, nullus eſt eo vetuſtior qui à ſuperioribus Sabaudis Principibus pietatis religioniſque cauſſa inſtitutus eſt. Nam Amedeus huius nominis V. Aymonis filius, cum ab adoleſcentia cultui diuino mirum in modum deditus, Mariæ Virginis nomen præcipua ſemper pietate veneratus eſſet; & huius rei monumentum aliquod extare vehementer cuperet; annis ab hinc circiter ducentis & quinquaginta, Equitum ordinem inſtituit, eumq; Nuntiatæ ordinem appellari voluit. Sacroſancti nempe diei illius celeberrimam memoriam colendam cenſuit, quo miniſter Dei Gabriel de cœlo miſſus, Mariam ſalutauit, eamdemque gratia plenam & benedictam appellans: Deum verum eumdemq̀ue verum hominem illæſa virginitate parituram nuntiauit. Huius ordinis inſigne, torquis eſt aureus latitudinis circiter digitorum duorum, longitudinis verò quantum ad collum tantummodò ambiendum eſt ſatis. occupant autem torquis longitudinem affixæ in eo litteræ huius dictionis. FERT. bis terue repetitæ; totæ ex auro ſolido, argentoue: nonnumquam etiam gemmeæ atq; litteræ illæ grandiores, quanta eſt torquis

Plures equitum militia in Europa.

Ordines equitum quales.

Ordo Nuntiata ab Amedeo V. inſtitutus.

Inſigne huius ordinis.

ipſius latitudo: neque coniunctæ ſed diuiſæ, & interpunctæ, quaſque aliam ab alia æquali interuallo ſeparat aureus nodus vnicuique adiectus, Gordiano ſimilis. Adnectitur torqui paruus aureus circulus,& in eo Mariæ virginis,& cœleſtis nuntij, & paruulæ columbæ, cælatæ imagines. Sic ſe habet torquis, cuius quotidianus eſt vſus. Sed eſt item alter, qui vel ſolennibus tantùm, ſtatiſque diebus induitur, vel quo tempore prælium initur. illis enim Equitibus fas non eſt abſque eo torq; vbi collatis ſignis dimicatur, in acie ferroque verſari. hic forma ſimilis eſt priori; eiſdem ſcilicet litteris & nodis occupatus verum & aureus totus eſt, & altero longè amplior. nam ſuper vtrumque ſummum humerũ reclinatur, & æquè in dorſum; atque in pectus demittitur; & præter nodos habet præterea pro interpunctionibus roſas alternas rubri coloris & candidi.

Equitibus ordinis ſtipendium nullũ.

Equitibus huius ordinis ſimiliter atque aliorum, ſtipendium nullum conſtitutum, nullum præmium. nam honor huiuſmodi & rarò, & pauciſſimis tantummodò, iiſque ſummis viris communicatur, qui vnum illum ſplendorem ſibi quærunt, idque enituntur & contendunt, vt in eorum numerum perueniant, quorum principes, ſunt Reges, vel ſummi Duces; atque eodem inſigni decorati conſpiciantur, quod illi gerunt. Vir autem magnanimus præ dignitate & gloria diuitias facilè contemnit, emolumentum pro nihilo ducit.

Emma. Philib. filium & nonnullos alios in Ord. legit.

Hunc Nuntiatæ Ordinem temporum vetuſtate, diuturnaque principis abſentia magnoperè diminutum, atque ad pauciſsimos redactum, cum explere & in priſtinum ſtatum reſtituere vellet Emmanuel Philibertus, primum omnium Carolum Emmanuelem filium legit: huic eodem tempore adiecit Philippum, Claudiumque Sabaudos fratres, & Andream Prouanam, & Franciſcum Coſtam Atiniani Comitem, & Thomam Valpergium Maſini Comitem. In eumdem ordinem cooptaui poſtea anno MDLXVIII. Laurentium Gorreuodium Ponteualci Comitem, Petrum Maliardum Turnoni Comitẽ, Carolum Emmanuelem Sabaudum Gebennenſiũ Principem, Bernardinum Sabaudũ Caburri Comitem. Et anno M.D.LXIX.

Proſperum Lullinium, Federicum Madrucium, & Philippum Ateſtinum generum. Poſtremo legit anno M. D. LXXVI. filium Amedeum Sabaudum Sancti Ramberti Marchionem, Federicum Ferrerium Romagnani Marchionem, Aloiſium Gorgenonium Pereziorum dominum, Rubertum Rouerium Sanſeuerinum Reueliaſci Comitem, Tomam Iſnardum Sinfredi Comitem, Beſſum Ferrerium Fliſcum Meſſerani Marchionem, Honoratum Grimaldum, Franciſcum Martinengum, Æneam Pium Sabaudum. lecti igitur ab eo diuerſis temporibus duo, & viginti. Cum autem Carolum Auſtriacũ Maximiliani Cæſaris fratrem è Germania diſceſsiſſe, iamq; aduentare profecturum in Hiſpanias, accepiſſet, ad Gauium nobile olim Alexandrini agri oppidum ei occurrit: per ſuos fines eundem paruis commodiſq; itineribus perduxit. in via autem de pluribus inter eos actum, atq; poſt grauia ſeriaq; de temporum illorum varia conditione, de quietis ſpe, de bellis imminentibus, de eorum ſi incidiſſent gerendorum ratione, additi etiam interdum familiares & humaniſsimi ſermones. In hoſpitiorum ratione, quibus tot illo itinere omnibus ditionis ſuæ locis benigniſsimè Emmanuel Philibertus Carolum accepit, illud potiſſimum obſeruatum eſt; vt cum ad primi diei magnificentiam nihil addi poſſe videretur; quotidie tamen totius apparatus, reliquarumque rerum omnium ſplendor mirum in modum augeretur; atque cum ab omnibus ſpecies, & pompa, & regij ſumptus magnopere commendarentur, nihil eſſet tamen in quo luxuriam effuſionemuè quiſquam meritò poſſet obiicere. Diſcedente Carolo, Emmanuel Philibertus triremes omnes præſtò eſſe, celeriterque expediri, & Andream Prouanam claſſis præfectum cum eo pergere, ac nauigationis illius comitem & rectorem eſſe iuſsit: ne pluris feciſſe Rodulphum, & Herneſtum filios Maximiliani fratris eius, non multo antè tempore, quàm ipſum, pluſque illis, quàm ipſi eorum patruo tribuiſſe videretur. Dum Prouana iter in Hiſpaniam facit, ipſe ad Allobroges proficiſcitur: arces duas in ea prouincia conſtrui iuſſerat, alteram in Sebuſianis in Burgo oppido, eiuſque editiore parte;

Carolum Cæſaris fratrem hoſpitio accipit.

Hoſpitij ſplendor.

Arces duæ in Allobrogibus extruuntur.

in agro Gebennenſi alteram. vtramque diligenter inſpexit, probatoque prorſus opere, præpoſitorum etiam induſtriam laudauit. cumque in vtraque quantum præſidij ſatis viſum eſt, impoſuiſſet; illi Philibertum Monioüentium, huic Petrum Maliardum, vtrumque fortem & veteranum ducem præfecit. Sed præſidijs illis alia præſidia addita: imbecillioribus firma, fallacibus certa, profanis diuina. Sic enim exiſtimabat quicunq; ſibi ſuiſque rebus non proſpiciens, ignauiæ ſe dederet, vitamq; per inertiam & ſocordiam oſcitando ageret; neque durioribus temporibus quæcunque inciderent, quantum conniti poſſet, paratum præſidium haberet; hunc & nihili hominem meritò dici poſſe, & propè amentem eſſe. ab hoc non procul abeſſe eũ, qui ſalutem omnem & omnẽ ſpem in humano tantùm conſilio opeq; poneret, quæ plerumque infirma, & lubrica efficiunt, modò incerti caſus, modò variæ nimis & flexibiles hominum voluntates. ſed bonum & prudentem cenſendum, qui humana præſidia non deſpiciens, mentem tamen in primis ad ſuperna, ad Deum ipſum dirigat, atque in præcipuo eius auxilio nitatur: qui neque fallatur vnquam, neque fallat; atq; bonorum ſpem, cum honeſta & ſalutaria petunt, cogitationemuè nunquam fruſtretur. Cum autem optimè ſciret diuinum numen aſſiduis bonorom precibus placari, facileque exorari; ſi quàm creberrimè fieri poteſt, ſacerdotes pio, ac Chriſtiano ritu faciant ſacrificium: Ieſuitarum familias ad ſe acciuit; illorumque Collegia præclara duo, alterum Camberij tranſalpes; alterum Taurini inſtituenda ſummo ſtudio curauit. atque eodem propè tempore Cartuſianis templum, & peramplam domum, atque in ea conclauia plura inter ſe ſimillima, ſed aliud ab alio diſtinctum, ex eorum vetere inſtituto in finibus Montiſregalis, eo loco quod Conſuerium appellatur, ædificari iuſſit. Ac ſane eo tempore latiſſimè patebant Ieſuitarum ſodalitates: celebre erat id nomen. magnaque de illorum cum doctrina, tum probitate in Chriſtiana republica omnium opinio. atq; initia quidem illorum parua, ſed incrementa & acceſſiones maximæ. mirum eſt autem quantum in omni doctrinæ eruditioniſq; ge-

Emmanuel Philib. religio & prudentia.

Ieſuitarũ familias accerſit.

In Cartuſianos liberalitas.

nere

nere breui tempore profecerint. nam inter omnes tempeſtatis huius theologos, philoſophoſque vnus maximè eminet Franciſcus Toletus ſuperiore anno à Clem. VIII. in collegium Cardinalium lectus. qui verò in mathematicis floret, Chriſtophoro Clauio primas deferunt. at hiſtoricorum noſtri temporis Ioannes Petrus Maffeius Bergomi honeſto loco natus, facilè principatum obtinet. quæ vero Franciſcus Bencius ſummus Orator, grauiſque & ingenioſus poeta ſcripſit, ita nitore & arte ab eruditis probantur; vt nemo propius ad veterum ſcriptorum laudem perueniat. Complures alios conſultò prætermimus: ſatis ſit veritatem indicaſſe, quæ taceri vlla ratione ſine parui ieiunique animi nota non poterat. ſi verò enumerati à nobis fuiſſent plures; non longè abfuiſſet quæſitæ gratiæ ſuſpicio; quæ omnino vitanda fuit. Nullum enim crimen adulationis crimine (quæ peſtis verius videtur appellanda,) homini libero ingenuoque turpius eſt; quem decet in omni vita ſimplici veritati ſic aſſueſcere, vt quicquid agẽdum ſit, ſine pigmentis, ſine fuco, & fallaci s agat: ſeruire autem cuiuſquàm auribus, vel etiam ipſorum Regum, indigniſſimum putet. aſſentatoris enim culpa nè, magis deteſtanda, an indignitas irridenda, an malitia tametſi fatua cauenda ſit; facilè iudicari non poteſt. Cæterùm à Ieſuitis honeſti adoleſcentes publicis in eorũ Gymnaſijs litteris ac bonis artibus erudiuntur, ad virtutem informantur. Neque verò inter Cartuſianos deſunt etiam qui eruditionem non mediocrem conſecuri, lectioni, ſcriptionique vtilem admodùm dent operam: extantque nonnullorum ſcripta valdè quidem probanda, Dionyſij, Lanſpergij, Landulfi, Surrijq; noſtrorum temporum ſcriptoris, & aliorum. Has igitur familias magna ſanctitate inſignes, magnis virtutibus ornatas Emmanuel Philibertus cæteris addendas cenſuit, quæ in ſuis ditionibus cum ſumma religionis laude eo tempore florebant. tum demum & in colenda pietate, pureque ducenda vita, conſtantiam, & imperij diuturnitatem, & ſalutem, & rerum ſuarum tutelam, & cætera bona ſe conſecuturum ſperans, cum ea pij viri optimiq; à Deo immortali ſummis precibus conten-

Ieſuitæ nonnulli inſignes.

Adulatio crimen max.

Vtilitas ex Ieſuitarum familia.

Cartuſiani Eruditi.

de-

derent. Diuinæ enim clementiæ, & eorum precationibus præcipuè adſcribebat, quòd excitatum paullò antè incendium è veſtigio, antequàm latius vagaretur, reſtinctum eſſet: & perditorum coniuratio eodem propè quo conflabatur tempore feliciſſimè compreſſa. Nam fortè per eos dies certis indicijs compererat, ſceleſta à nonnullis nefarijs iniri conſilia, vt vrbem Niceã eiuſque munitiſsimam arcem, Mombruno deſperato perditoq; homini, ac partibus Hugonoticis infecto, proderent. Ille enim delectu in agris habito, magnam egentium & deſertorum manum coëgerat, omnemq; operam dabat vt occultè oppido appropinquaret. Quare Emmanuel Philibertus illuc confeſtim profectus, pluribus qui in maleficij ſuſpicionem venerant comprehenſis, & in carcerem coniectis, queſtioneque ſeueriter habita, de ſceleris auctore, & ſocijs, & conſciis, ſumi ſupplicium iuſsit. Quibus rebus repreſſa latronum audacia, cum aliam propulſandi hoſtis, aliam ab inſidijs cauendis rationem eſſe intelligeret, præfectos vrbi illi & arci conſtituit, non modò virtute ac fortitudine, ſed etiam ſumma fide & diligentia, & rerum vſu ſibi perſpectos. cæteriſque conſtitutis rebus, quæ maximè ad tuendum oppidum æquè à fraude, atque ab omni vi pertinere videbantur; inde diſcedens Taurinum reuertit. Eo cum veniſſet, Andream Prouanam, qui iam perducto in Hiſpaniam Carolo Auſtriaco, ſecunda vſus nauigatione redierat, ad ſe euocat. mandatque vt rurſus claſſem omnibus rebus inſtruat, celeriterque expediat: Meſſanam properet; atq; cum nauibus fœderatorum Principum, quæ aduerſus Turcas omni ſtudio diligentiaque parabantur, ſeſe coniungat. nam Emmanuel Philibertus in illud bellum tota mente atque animo intentus, cui intereſſe magnopere cupiebat, & ab eo abeſſe cogebatur; cum eo tempore magnam claſſem anguſtijs temporis excluſus comparare non poſſet. quas triremes habebat ſine mora e naualibus productos omni nautico inſtrumento, multiplici armorum telorumque genere, copioſo remige, lectiſsimo milite, fortiſsimiſque ducibus inſtructas miſit. Poterat hæc nauigatio; ſi itineris longitudinem, & ſummos labores, &

Cõiuratio detecta.

Emmanuel Philibertus Niceam.

Prouana Meſſanã cũ triremibus.

mul-

multa magnaque pericula reſpicias, videri moleſta atque diffi-cilis: ſin nauigationis cauſſam, & fructus, & gloriæ ſpem; viſura erat viro forti optabilis & grata. Nam per eos dies Selymus Solymani filius Turcarum Rex naturæ vehementi addita potentiæ ſuperbia, nec non præfectorum aſſentationibus illectus, diuturna fælicitate inflatus, Cypro non multò ante ſubacta, atq; in ditionem redacta, cum nullam potentiam, nullam armorum vim, vel armis & viribus, vel fortunæ ſuæ parem eſſe poſſe confideret, claſſem ingentem compararat. ea Conſtantinopoli diſcedens, atque ex Ægeo egreſſa vtrumque mare ſuperum inferumque infeſtiſſimum habebat, littora omnia liberè percurrebat; quæ nudata præſidijs erant, populabatur; magnas vndique agebat prædas. Quo malo perterriti Veneti, magnum equitum numerum ſecundum id littus diſpoſuerant quod mare à mari diuidit, quodque à foſſis Claudijs, quæ Clugia dicitur, Venetias vſque in longitudinem paſſuum circiter viginti millium porrigitur. accolas item armatos, accepto ſigno accurrere iuſſerant. campeſtria tormenta plura locis idoneis crebriſque collocarant; vt barbaros è nauibus egredi prohiberent. Claſſem quidem Chriſtiani Principes, vti inter eos conuenerat Meſſanæ cogebant: reliqua item parabant quæ vſui ad pugnam futura erant. Sed ijs accidebat quod in ſociali exercitu accidere neceſſe eſt; vt omnia quæ ad id bellum neceſſaria erant, quamuis ſummo ſtudio prouiſa, quamuis diligenter adminiſtrata; ſerius tamen expedirentur: quòd ipſa rei totius moles tarditatem, & moram afferebat: quodque in omnibus focijs magnum quidem celeritatis ſtudium; ſed non idem celeritatis fructus. Præfecerat triremibus ſuis Pius V. Summus Pontif. exercitatiſſimum in armis Marcum Antonium Columnam, veteranum imperatorem, ſummi conſilij, ſummæque fortitudinis. Earum verò quas Philippus Rex pluribus locis, in Hiſpanijs, Genuæ, Neapoli, in Sicilia habuerat, eaſque cogi, & contrahi iuſſerat, quatuor erant partes, & præfecti quatuor. Hiſpanis præerat Sanctius Leua, ſed ſuam claſſem non adminiſtrabat, quoniam ipſe in Hiſpania re-

Naualis belli Cauſſa.

Chriſtianæ claſſis præfecti plures.

man-

Digitized by Google

manſerat. Eductis Genua, Ioannes Andreas Auria Melphienſium Princeps, cui reliqui claſſis regiæ præfecti parebant; Neapolitanis Aluarus Bazanus Sanctæ Crucis Marchio; & Siculis Ioannes Cardona imperabat: Venetis Sebaſtianus Venerius: Sabaudis Andreas Prouana; Etruſcis Alphonſus Appianus Aragona; Melitenſibus Petrus Iuſtinianus Venetus: & Hector Spinula Genuenſibus. Toti tamen officio maritimo præpoſitus erat Ioannes Auſtriacus, Regis Hiſpaniarum Philippi frater, gratia virtuteque florentiſſimus adoleſcens, ſimulque belli illius adminiſtrandi terra æquè ac mari ſummam tenebat, & Marcus Antonius Columna pro Ioanne, ſi fortè abeſſet, valetudineuè, aut aliqua grauiore cauſſa impeditus munus ſuum exequi non poſſet, cuncta adminiſtrabat, & ad eum ſumma imperij reſpiciebat. Prouana vbi Meſſanam peruenit, cum Ioanni Auſtriaco litteras Emmanuelis Philiberti reddidiſſet, mandata eius expoſuit, quibus de tota belli illius gerendi ratione quid ſentiret, aperiebat. multa monebat multa prudenter in medium afferebat: qua occaſione prælium audacter committédum, qua item prælio abſtinendum, peritè diſſerebat: quæ omnia cum Prouana diceret: Ioannes animum intendit. Et quoniam ab Emmanuele Philiberto clariſſimo Imperatore, eodemque affine, & ſui amantiſſimo proficiſcebantur, non negligenda eſſe exiſtimans, eorum poſtea ſe fuiſſe memorem oſtendit. Magna erat tota Europa apud omnes homines belli huius grauis periculoſique expectatio: magnus mortalium numerus Meſſanam confluebat. multi non coacti, non iuſſi, non euocati: quin etiam ſine præfectura, ſine militari munere, ſine ſtipendio voluntarij, vt prælio quod commiſſum iri putabant, intereſſent, bellicæ gloriæ ſtudio naues conſcendebant. Atq; præ cæteris adoleſcentes duo nobiliſsimi propinqui inter ſe, neque minus beneuolentia quàm neceſſitudine coniuncti; militaris laudis cupiditate, & animi magnitudine, & genere, & fortitudine, & ætate propemodùm æquales. Alter Octauij Farneſij Parmenſium, & Placentinorum Ducis, & Margaritæ Auſtricæ filius Alexander nomine, qui poſtea in Belgis, mortuo Ioanne Auſtriaco, exer-

Ioannes Auſtriacus omnibus copijs propoſitus.

Prouana mandata Emmanuelis Philiber. exponit.

Voluntarij ad bellũ naual.

Alexander Farneſius.

citui

citui præfuit, annos complures continenter bellum geſſit, populos multos rebellantes ſubegit, ſæpe cum hoſte manum conſeruit: vrbes magnas alias vi cepit, alias mirificis operibus cinxit, atque ad deditionem compulit; omnem ferè illam prouinciam in Philippi Hiſpaniarum Regis, à cuius imperio defecerat, poteſtatem redegit. Alter Franciſcus Maria, Feltrius Guido Vbaldi Vrbinatum Ducis, & Victoriæ Farneſiæ filius: qui deinceps bello nauali confecto domum rediens, cum haud multò poſt patrem amiſiſſet, atque ſine liberis eſſet, & cum exigua propeq; nulla eorum ſpe, exercendæque bellicæ virtutis deeſſet occaſio; ſe ſe ad regendas magnas ditionis ſuæ prouincias contulit. qua in adminiſtratione ita iuſtitia cæteriſque virtutibus præſtitit; vt meritò ab eo poſſet optimi Principis exemplum peti. Hic animo magno celſoque ac domeſticis exemplis, & ſua ſponte inflammatus, cum eo tempore nihil ſibi comittendum putaret quò ſpeciem aliquod ſuæ virtutis daret; Prouanæ prætoriam conſcendit. eius enim prudentiam, & fortitudinem & in re militari ſcientiam vſumque, mirificè probabat, ſciebatque eum nullam benæ gerendæ rei occaſionem amiſſurum; atque ſi modò facultas aliqua pugnandi fuiſſet; nec rei nec tempori nec ſibi defuturum. At Ioannes Auſtriacus præmiſſis ſpeculatorijs nauigi's, cum Turcarum claſſem ſe recepiſſe atque ad Echinadas ſtare cognouiſſet, ventum nactus ſecundum Meſſana ſoluens, eò magna ſpe, & lætitia omnium contendit. Erant longè ſuperiores numero triremium Turcæ: nam illis amplius ducentæ, & triginta erant, præter onerarias naues, & alia minora nauigia: Chriſtianis vix centum, & octoginta: Sed Turcæ armorum, & telorum genere, & ducum fortitudine, & robore virtuteque militum haud quaquàm pares. Itaque illi numero confiſi (præter Occhialinum ab alijs præfectis diſſentientem pugnamque improbantem,) cognito Chriſtianæ claſſis aduentu, ſubitò naues expediunt; ſeque ad confligendum confirmant. Neque huic rei Chriſtiani defuerunt; fiduciam, & ſpem in cauſſa, & virtute ponentes. nam tametſi nonnulli paullò antè in concilio viſi

Franciſc. Maria Feltrius.

Claſſis Turcarum Chriſtiana maior.

Ee fue-

fuerant, prælij caſum extimeſcere, neq; omnem pœnè Chriſtianorum rem, in ſummum diſcrimen adducendam putabant; ijdem tamen oratione Columnæ, & Auriæ permoti qui contra ſentiebant, multiſque rationibus dimicandum omnino contendebant; à priore conſilio diſceſſerant, & Ioannis Auſtriaci, qui item pugnandi cupiditate ardere videbatur ſententiam ſequebantur. Ioannes Auſtriacus claſſem omnem diuiſit in partes quatuor. Siniſtrum cornu Auguſtino Barbadico attribuit: dextrum Ioanni Andreæ Auriæ: ipſe medium tenuit locum. quæ reliquæ erant triremes, poſt primum ordinem ſubſidio diſtribuit; prætoriam verò ſuam prætoriæ hoſtium oppoſuit. Cum autem claſſis totius præfecti eſſent decem, vti demonſtrauimus, ſuas naues quemque ſeparatim ad ſuum arbitrium adminiſtrare vetuit: ſed Hiſpanas cum Venetis, & Venetas aliaſque cum Hiſpanis, & alijs commiſcuit. Ea ratione, ne quis dum nimio plus ſuam claſſem ſaluam atque integram conſeruare cupit, à prælio illam auerteret: neuè triremis vllius milites in vicina triremi ſocia niterentur; ſed omnes ſalutis, & victoriæ ſpem in fortitudine virtuteque propria collocarent. In Venetorum claſſe erant triremes ſex, ijs longè maiores quarum frequens eſt vſus. earum formam, & magnitudinem, & firmitudinem Ioannes Andreas Auria cum Venetijs eſſet, & naualia diligenter inſpiceret, magnoperè probarat, atque vt erat non minus in rebus, vel inueniendis, vel iudicandis, quàm in gerendis, & expediendis acerrimo vir ingenio, in naualibus prælijs magno vſui futuras animaduerterat, idque Philippo Regi diligenter perſcripſerat. nam & erant cæteris firmiores, & plures propugnatores pluraque tormenta imponi poterant: & erat earum tanta altitudo, vt tela ſaxaué ex inferiore loco in eas adigi non poſſent; & quæ ex eis emittebantur, grauius acciderent. Conuocato autem concilio, cum quæreretur qua ratione ſtatuendæ eſſent; cenſebant nonnulli ternas ſimul in vtroque cornu collocandas, quò facilius vtrumque item hoſtium cornu perturbaretur. Sed Auria hoc improbans conſilium, docuit niſi alia ab alia ſeiungeretur aliam alij impedimento, & detrimen-

Chriſtiana claſsis in partes quatuor diuiſa.

Triremes ſex maxima.

Ioan. Andrea prudens conſilium.

to

to futuras: monuitque in ijs triremibus (ſi ita diſponerentur, vt toti hoſtium claſſi noceri poſſet,) illius pugnæ victoriam magna ex parte conſtate. Quare probata eius ſententia, quoniam firmis nitebatur rationibus, & ipſe totius rei naualis peritiſſimus habebatur, hoc modo collocatæ ſunt. Duæ in extremis cornibus, altera in dextto, in ſiniſtro altera: reliquæ quatuor ſeparatim æqualibus inter eas interuallis interiectis; omnes autem magno propugnatorum numero refertæ, omnique telorum, & tormentorum genere inſtructæ, æquata fronte ante totam claſſem remulco trahebantur. Cum verò hoſtibus appropinquarent, ij inuſitata illarum ſpecie, & magnitudine, & tormentorum multitudine vehementer commoti ſunt: neque illis tamen vlla res ad virtutem defuit. Omnem ſuam claſſem in partes treis tantummodò diuiſerant: in aciem mediam, & duo cornua; neque triremem vllam ſubſidio reliquerant: ſed vno tantum ordine æquali, paullatim progrediebantur. qui quidem ob multitudinem nauium tam latè patebat, vt verentur Chriſtiani nè ſua claſſis circumueniretur. Signo autem dato maxima vi prætoriæ, & reliquæ naues ex vtraque patte, altera in alteram ſeſe incitarunt, impetumque fecerunt. Pugnatum eſt continenter, & acerrimè horis circiter duabus: ſæpeq; iniectis manibus ferreis retentiſque nauibus, modò in noſtras barbari, modò noſtri in hoſtium naues fortitet tranſcendebant. Sed maximo Turcarum numero interfecto, ex tanta nauium hoſtilium multitudine, circiter quadraginta quibus Occialinus præerat, paullatim in altum prouectæ, quaſi producta longius acie noſtros circumuenire viderentur, fugere incipientes, è conſpectu paullatim abierunt. reliquæ partim depreſſæ, partim cum hominibus captæ. Ex præfectis Turcarum duobus, alter interfectus, & duo eiuſdem filij viui capti; alter paruulam nauiculam conſcendit, atque ex hoſtium manibus fuga ſe eripuit. Ex Chriſtiana claſſe paucæ admodum naues deſideratæ. in ijs vna Emmanuelis Philiberti Sabauda nomine: quæ pluribus caſu obiecta, & ab eis circumuenta, quoniam ei ſubueniri non poterat, cum defenſoribus omnibus in-

Nauale prælium.

Chriſtianorũ victoria.

terijt. Franciſcus Maria Vrbinatum Princeps fortiſſimè dimicauit. Prouana in obſeruando tempore & loco, atque in cohortandis militibus, cætetiſque diſponendis rebus magnis ducis, in pugna conſtantis ſtrenuique militis officia præſtitit. dum ardentius pugnat in capite vulnus accepit. glans plumbea ab inflammato ſulfureo puluere per ferream fiſtulam emiſſa, prohiberi non potuit, neque eius ignea vis arceri; ſed ictus in penetranda firmiore caſside tardatus, capiti leuius infixus eſt. Pugnatum eſt ad Echinadas Non. Octobris. M. D. L X X I. conſtatque multis antè prælium diebus, continuatas à pijs ſacerdotibus fuiſſe interdiù noctuque ad Deum pro obtinenda victoria precationes: cum pluribus locis, Romæ præſertim in diui Petri, ac Mediolani in templo maximo, nullo vnquàm temporis momento precator deficeret; ſingulis horis alius alij ſuccedens. Ioannes Auſtriacus Meſſanam victor rediens, ſummis honoribus exceptus, antecedente magno captiuorum numero, Hiſpano peditatu armato comitante, ſignis militaribus expanſis, diſploſiſque omnium nauigiorum quæ in portu erant tormentis, triumphanti ſimilis in eam vrbem ingreſſus eſt. Vbi verò Marcus Antonius Columna Romam peruenit, volente iubenteque Pio V. Pontif. Maxim. à Senatu Populoque Romano triumphus honorificentiſsimis verbis ei decretus eſt. triumphauit autem pridie Non. Decembris, eodem quo pugnatum eſt anno: tametſi non quadrigis, ſed albo equo in Vaticanum Capitoliumque inuectus eſt. Poſtremus ille dies Pio V. lætus illuxit. nam cum grauiſſimè ex inteſtinis iampridem laborare cæpiſſet, neque ijs diebus vllo remedio leuaretur; paucos poſt menſes è vita exceſſit. in maximorum optimorumque Principum numerum ſine dubio referendus. Moritur eodem anno ſine liberis maribus Sigiſmundus, partis illius Europeæ Sarmatiæ Rex quæ Polonia dicitur, cum populis illis iuſtè ac prudenter imperaſſet, regnumque annis circiter decem cum virtutis laude obtinuiſſet. Ea re cognita Emmanuel Philibertus diù ſuſpenſo animo & ſolicito fuit; dum Poloni Principes de eligendo Rege conſultant: duobus præſertim ſummis Prin-

Prouana virtus.

Io. Auſtriacus ſummis honoribus excipitur.

Marco Antonio Columnæ triũphus Romæ decernitur.

Pius V. moritur.

Sigiſmundus Poloniæ Rex moritur.

cipibus regni illius competitoribus: altero Germano, Gallo altero; vtroque ſecum & amicitia & neceſſitudine coniuncto. Pauciſſimorum verò dierum interregno, in maximi Pontificis demortui locum ſummo patrum omnium conſenſu Hugo Cardinalis, patria Bononienſis, gente Boncompagna ſuffectus eſt, & Gregorius XIII. appellatus. magnæ,& inſignes in hoc Principe fuerunt virtutes; ſumma vtriuſque iuris ſcientia, grauitas, prudentia, lenitas ſemper per ſe grata admodùm & amabilis; ſed multò amabilior & gratior, cum ſuperiorum temporum nimia ſeueritate comparata. Certè quòd ad Emmanuelem Philibertum pertinebat nihil vnquam à Summo Pontifice durius. nullum inter eos diſſidium, nulla ne minima quidem de re diſſenſio. Alter, ſummum Chriſtianorum Principem omni ſtudio, ac pietate colere; alter gratiſsimus eſſe; & ſi quid rogaretur, facilè exorari. At Andream Prouanam à Ioanne Auſtriaco, & Columna, & Venerio, qui prælio interfuerant, & magna ex parte præfuerant, maximè commendatum, Emmanuel Philibertus humaniſsimè atque amantiſsimè accepit; fortitudinem virtutemque laudauit; atque in ipſum cæteroſque qui cum eo aduerſus hoſtes dimicauerant, ſaluique è prælio redierant, liberalis & munificus fuit. Horum virtus magni animi Principem & prudentem, & quod caput eſt, gratiſsimum nacta, honoribus, præmijs, atque ſplendore decorata eſt; quod haud ſæpenumerò contingit. nam maxima merita Regibus potentibuſque viris non ſemper g[illegible], ſæpè etiam inuiſa & odioſa; cum eorum nonnulli p[illegible]uo animo prauoque illa expendunt: vel à remuneratione, (quod iniquiſsimum eſt) eorumdem magnitudine deterrentur. At ab horum natura longè diuerſa erat Emmanuelis Philiberti natura, inſtitutum, & ratio. ipſe enim vti ad minuendas pœnas ita ad augenda pręmia propenſus, liberali ſanè voluntate remunerandi gratificandiq; facultatem ſibi dari vehementer cupiebat. Cum autem præmia tribueret, nihil vnquàm ab eo ad oſtentationem factum: ſed grato benignoque animo id tantummodò ſpectatum, quod rectum & honeſtum eſſet. Leuioris enim

Hugo Boncõpagnus Pont. Max. Gregorius XIII. appellatur.

Emmanuelis Philiberti liberalitas.

animi

animi ducebat cupiditate laudis efferri: neque eam viro bono expetendam gloriam affirmabat; quæ initium ab aliqua culpa duceret: quamuis deinde culpam caſus vel ſors corrigeret, atque euentus meliores daret. ſed quæ firmo liberoque ab omni perturbatione iudicio, multùm, diuque examinata firmum fundamentum & radices in vera virtute haberet, eaque maximè niteretur. Quare nihil animo ſæpius ac diutius agitabat, nihil diligentius ſecum expendebat, quàm tuendæ Reipublicæ Chriſtianæ rationem: cum armis belloque, ſi neceſſe eſſet, vbi repentè aliqua vis hoſtium ingrueret; tum conſilio prouidendo, nè qua alicundè lues impuræ Lutheranæ, Caluinicæuè, aut aliorum deſertorum ſectæ, in populorum ſuorum credulas mentes paullatim irreperet. in ea cura ita defixus, vt eum nulla propè res ab huiuſmodi cogitationibus vmquàm abduceret. Satis ſanè ſciebat ſe id agere quod optimum Principem maximè deceret: neque ignorabat à rectè factis ſolidam veramque gloriam numquàm abeſſe: atque in caſto pioque Chriſtianæ religionis cultu contineri, & planè ineſſe imperij ſui firmitatem intelligebat. Monebat eum populorum ſuorum Allobrogum, & Subalpinorum ſalus: quoniam perturbatæ iam afflictæque Galliæ finitimi, & proximi erant. eos verò quamuis ab Allobrogibus impendentium montium aſperitates & altitudines excluderent, animaduertebat tamen beneficium à natura præſtitum fruſtrà fore, niſi illud ſumma animi attentione, diligentia, vigilantiaque tueretur. peſtem autem illam deteſtabilem ſemel cæptam, facilius manare ac latiſsimè diffundi; quàm eius ortum & initia prohiberi. Quòd ſi in ſuis prouincijs optimæ ſpei iuuenes, honeſto loco natos, cultûs diuini ſtudio paullò plus incendiſſet, (nam plebs à nobiliorum potentiorumque auctoritate non diſcedit,) ſimúlque ſibi aliquo officio, obſequioque eoſdem obſtrinxiſſet, magno illos ad euellendam omnem prauarum opinionum radicem adiumento futuros animaduertebat. Quarè illius equeſtris militiæ renouandæ curam ſuſcepit, quam annis antè amplius centum & quinquaginta Amedeus Sabaudus huius nominis VII.

Diligentia in Republica Chriſtiana tuenda.

Amedeus VII. Sabau-

Ame-

Amedei VI. cognomento Rubri filius, primuſque Sabaudiæ Dux, paucis diebus antequàm Summus Pontifex crearetur, inſtituerat. is hanc equeſtrem militiam diui Mauritij nomine ornarat, eiuſdemque diui tutela munierat. cumque illa principio, ac deinceps multis virtutibus, multoque ſplendore diù floruiſſet; poſteà vetuſtate ſua conſenuerat, atque temporum viciſsitudine, & fortè ſuperiorum Principum incuria breui caſura, atque ad nihilum ventura videbatur. Ad eam reſtituendam dum Emmanuel Philibertus animum adijcit; ac qua maximè ratione id fieri poſsit, ſecum diligenter quærit; opportunè ſanè accidit ad eum Iannocti Caſtillionei Mediolanenſis aduentus. Iannoctus ſuperioribus annis à Pio Quat. Pont. Max. Equeſtris militiæ, quæ diui Lazari appellabatur, Magnus Magiſter creatus, cum ipſi honor ille eſſe magno oneri cæpiſſet, idque onus vehementer cuperet potius honeſtè deponere, quàm in eo diutius ſuſtinendo, vel viribus deficere, vel perpetuò laborare; actum eſt per homines idoneos, nonnullis datis acceptiſq; conditionibus, vt ea dignitas quam ille volens libenſq; dimittebat, quaq; ſe abdicabat, permittente in primis ac probante Summo Pontifice, in Emmanuelē Philibertum transferretur: qui vtramq; militiam coniunxit, & retento adhuc prioris nomine, diuorum Mauritij & Lazari militiam appellauit. De inſigni crucis diui Lazari, quòd ad formam & colorem attinet, nihil omninò immutandum cenſuit. addidit tantùm cruci illi paruam alteram crucem pro inſigni diuj Mauritij, quaſi ex quatuor intimis angulis crucis illius enaſcentem: totique vtriuſque crucis extremitati fila candida retorta, quaſi limbum circumdedit. Idibus autem Aprilis MDLXXIII. Taurini in templo maximo ſolenne ſacrum fecit Hieronymus Ruuereius Archiepiſcopus, ſumma hominum præſertim nobilium ac potentium frequentia. Quo peracto, publicæ recitatæ ſunt plenæ grauiſsimis & honorificis verbis Summi Pontificis literæ: quibus Emmanuel Philibertus, & filius, & nepotes, & poſteri, ad quos Sabaudorum & Subalpinorum imperium iuſtè legitimeque perueniſſet, Magni Magiſtri eque-

Ita Dux militia diui Mauritij auctor.

Iannoctus Caſtillioneus ad Emmanuelem Philibertum.

Emmanuel Philibertus militias diui Mauritij, & Lazari coniungit.

Summi Pontif literæ.

ſtris

ſtris militiæ diuorum Mauritij & Lazari dicebantur. tum interpoſito conceptis verbis iureiurando ſolenni militiæ illius veſte indutus, quali milites illi in æde ſacra ſtatis diebus vtuntur, ac paullò poſt exutus: deinceps veſtimentum ſuperius viridi cruce ornauit: eoque ornamento & publicè & priuatim vſus eſt. Militiæ illi immunitates, & à Summo Pontifice impetrauit, & ipſe dedit: eam ſummis honoribus decorauit; magnis vectigalibus auxit & ditauit; quæ & ſumptibus publicis, & præcipuis equitum commodis, & certis annuis præmijs, vbi ſtatuta dies aduenisſet, ſufficerent: aliarum ſecutus exempla, quarum exæquata dignitate, opes etiam & copiam exæquari cupiebat. In eandem militiam adſcripſit in primis Carolum Emmanuelem filium, & Andream Prouanam, & Thomam Valpergium, poſteà alijs temporibus Iacobum Sabaudum fratrem patruelem Nemoroſij Ducem, & eius filium Carolum Gebennenſiũ Marchionem, & Philippum Ateſtinum generum, & Claudium Sabaudum, & alios complures. Inſtitutis enim militiæ illius & legibus repellebatur nemo: niſi quem humilitas generis, vel facinus aliquod indignum, vel infamiæ nota, vel alia vitæ labes excluderet. Quare & breui auctus eſt mirum in modum horũ equitum numerus, & pro certa eorum ſede Nicea vrbs deſtinata, & eidem attributæ triremes quatuor: vt ijs nauibus maritimam Italiæ in primiſque prouinciarum eius oram percurrerent, eamque à piratarum incurſionibus tuerentur: ijs etiam finibus excederent progrederenturque longius ſiqua aduerſus Turcas, vel Mauros, vel alios Chriſtiani nominis hoſtes benè gerendæ rei daretur occaſio. Triremibus illis alias treis Emmanuel Philibertus, cum Niceam veniſſet, celeriter è naualibus eductas, omnibuſque rebus inſtructas addidit, omnes ad Chriſtianam claſſem augendam miſſurus: conſtanti enim ſermone ferebatur Turcas ingenti nauium numero comparato, ad inferum mare perueniſſe; propius Italiam niſi prohiberentur acceſſuros. Sed adulto iam verè. certiores venere nuntij de pace inter Venetos & Turcas auctore Gallorum Rege per eius legatum conſiliata. Deficiente igitur belli naualis

Emmanuel Philibertum filium, & alios in Equitum militiã adſcribit.

Sedem Equitibus tribuit Niceam Vrbem.

occa-

occaſione, non tempore; alijs triremibus ſubductis: duæ tantum Emmanuelis Philiberti, quibus Andreas Prouana Marcum Antonium Galeanum Nicenſem virum fortem præfecerat, vnam itemque alteram hoſtilem Liburnicam, vtramque mercibus onuſtam, expugnarunt. liberati ea Victoria Chriſtiani plures: quæſtus ex præda non exiguus. Sed eo tempore propius nihil eſt factum quàm vt inopinato caſu prætoria triremis amitteretur. Erat tunc prætoriæ nullus vſus, nulla nauigandi occaſio: eaque nauis otioſè ſtabat in portu ad anchoras deligata. quare Emmanuel Philibertus nauarcho mandarat, vt remiges omnes ex ea detractos ad Villamfrancam ad opus faciendum portumque, & arcem muniendam mitteret. horum pars erant Turcæ, pars Afri: barbari omnes, & Chriſtianis vt ſolent infenſi. Dum autem ab opere catenis ſoluti redeunt, ſimul ignota lingua collocuti de occidendis cuſtodibus inter ſe coniurant, libertatis ſpe accenſi multitudineque confiſi, (nam magnus erat illorum numerus) eos paucos & incautos, & nihil huiuſmodi ſuſpicantes, de improuiſo adoriuntur. pars nonnullorum arma occupant, eoſque gladijs ipſorum confodiunt: pars ſaxis, & vt quæque res ad manum venerat, inermes feriunt. quibus cæſis prætoriam magno impetu petunt, conſcendunt, ſtatim ſublatis anchoris à littore propellunt. proram illicò Sardiniam verſus conuertunt; abducunt, fugam arripiũt. Sed diuino conſilio atque prouidentia, quæ diù latere dolos ac ſcelera impunita eſſe non ſinit, factum eſt vt paullò poſt, maxima oneraria nauis quæ ſecundiſsimo vento curſum tenebat, prætoriæ nulla neceſſaria re inſtructæ, fugitiuiſque barbaris occurreret. ij improuiſo malo perturbati magnoque timore perterriti, cum tegendæ fraudis, ſceleriſque ſpem nullam haberent; neque amicitiam ad ſpeciem ſimulare audebant, neq; ſe hoſtes eſſe diſsimulare aliquo modo poterant: arma, ducem, militem habebant nullum: omni auxilio, omni ſpe deſtituebantur, animoque in primis: vt ijs plerunque contingit, qui ſe graui maleficio magnoque ſcelere obſtrinxerunt. Erant diſſoni clamoris, & concurſationis, & trepidationis, & ſummæ

Capta ab Equitib. hoſtile Liburnica. Prætoria triremis abducitur.

Prætoria triremis recipitur.

formidinis plena omnia, confuſa omnia. quo magis onerariæ nauis præfectus id quod erat ſuſpicatus, cum arma expediri, & tormenta in prætoriam emitti iuſſiſſet; remiges nihil conati, ſine dimicatione ei ſeſe dediderunt, erratum liberè fatentes, atque vti ſibi ignoſceretur ſummis precibus orantes. Præfectus recepta prætoria nefarios illos in catenas coniecit; eamque remulco abſtractam, magna celeritate Niceam à qua non procul aberat, reduxit. De maleficij auctoribus vt illius magnitudo poſtulabat ſumptum abſque mora ſupplicium: alij enim ſuſpenſi, alij ſecuri percuſſi: cæteri quos omnes ſceleris conſcios & participes fuiſſe conſtabat, virgis cæſi, eorumque ſingulis aures, & nares detruncatæ, vt ipſi nihil huiuſmodi rurſus auderent, reliquiſque documento eſſent, & eos magnitudine pœnæ perterrerent. Emmanuel Philibertus cum Nicea Taurinum rediiſſet, videretque militiam ſuam diuorum Mauritij & Lazari nomine appellatam in magno honore eſſe, quotidieque magis amplificari, ſpem ſuam inanem non fuiſſe gaudebat. Latè fulgebat recens illa dignitas in oculis omnium poſita; frequenteſque erant noui equites in aula Principis. in quorum numero erant ij ferè omnes qui maiore gratia auctoritateq; apud Principem valebant: ac Taurini, atque in alijs ciuitatibus paſſim occurrebant. Itaque plerique lætari; nonnulli rogare, omnem operam dare vt in eam militiam reciperentur: qui verò à via veritatis aberrabant prauiſque opinionibus infecti erant, ſibi metuere, nè ſingulis quilibet eorum equitum quaſi pro teſte & pro cuſtode & vigili appoſitus eſſet, vereri: aliqui prauam mentem quantùm poſſent diſſimulatione tegere: plures diſcuſſa errorum caligine veritatis lucem reſpicere, ſalutem optare & quærere. Dum Ioannes Auſtriacus in Africam tranſmittit: legitimum Libyæ Regem ab Amida pulſum, armis in priſtinum regnum reſtituit: Amidam capit; Tunetem expugnat: Hipponem regium, & Biſertam, diffugientibus oppidanis & præſidij militibus, aduerſante nemine in poteſtatem facilè redigit; Emmanuel Philibertus quartana decedente qua menſes nonnullos laborauerat, omni morbo libera-

tus

tus quòad vires reficeret in Lucentem ſe contulit, rus amæniſſimum & ſuburbanum; quod fortè ex ſalubri cœlo purioreque luce nomen Lucentis acceperat. Ibi cum eſſet ac fortè de Mõtisregalis oppidi ſitu diligentius ſecum cogitaret, arcem ei addendam cenſuit, illamque in editiore Montis parte conſtrui mandauit. extructam non minus militum præſidio quàm commeatu muniuit: cuſtodiendamque Ioſepho Careſanæ dedit; quem ex arce Taurinenſi euocarat: Taurinenſi verò Ludouicũ Capinum præfecit. Alia item opera publica inſtituit, & quidem multa & magna: ſed potius ad commodum & vtilitatem publicam, quàm ad priuatam vel ad pompam. Palatio maiorum Taurini, quod Caſtellum vocant, neque magno, neque ob operis vetuſtatem admodùm vtili, vel decoro, nihil addidit. nouum autem eodem loco ædificandum non putauit, quoniam proxima oppidi mænia prohibebant. Verumtamen ſuas ædes emptis vicinis ædibus ampliores fecit, & in eis commodè, & decenter habitauit. At præter ædes ſacras, & propugnacula, & arces eas quas diximus alias præterea arces vel conſtruxit, vel auxit, amplificauit, magnis aggeribus, propugnaculiſque latericijs firmauit. ambitum autem Nicenſis ampliorem fecit, eidemque nouas munitiones firmiſsimas addidit. Aquæductum præterea ædificauit, arcubus lateritijs continuatis paſſus mille, & amplius. quo aquæductu, cum à flumine Sturia riuum deduxiſſet; illum in vrbem Taurinenſem deriuauit, atque in hortos ſuos induxit: quibus magnam amænitatem addidit. Nam ea hortorum parte quæ vergit ad ſeptentriones, ſpecum extruxit ad eorum formam ſimilitudinemque, quos natura fabricata eſt. ſaxis præruptis, & exeſis rupem excitauit, & in ea ſpecum excidit: fornicem & omnem interiorem partem teſtulis marinis, & conchiliis incruſtauit: quibus Satyrorum, & Nympharum, & multarum Laruarum formam effinxit. pauimentum teſſellato opere conſtrauit, aquam è riuo canalibus ſubterraneis in ſpecũ induxit, vt ibi fons perennis ſcatere videretur. fiſtulas autem plurimas ſummo artificio ita collocauit, vt cum vellet, eodem temporis momento aquæ ſupernè rorarent, defluerentque:

Arx in Monteregali extruitur.

Aquæductus.

Specus & in eo ſpecies fontis.

& vtroque ex latere, atque etiam ex pauimento reſilietes, homines incautos, cupidioreſque viſendi fontis, aſpergerent. fontem muſcoſo ſaxo circumdedit, idque multa herba in humidis locis enaſcente, veſtiuit. Specus veſtibulum ſignis marmoreis vetuſti mirificique operis exornauit. riuus autem, qui hortos interfluebat, cum perſpicuus eſſet, paruulamque cymbam pateretur; piſcibus innatantibus intuentium oculos delectabat; Ad hæc, alias aquas ex flumine Duria in idem oppidum deriuauit. Fluit amnis Duria extra eam oppidi Taurinenſis partem, quæ ſpectat inter ſeptemtriones & orientem ſolem, ferturq; eo loco à ſeptentrionibus ad meridiem. Sed tractus illius ſolum inæquale eſt, & decliue: ipſiuſque amnis alueus oppidi ſolo multò depreſſior eſt. quare ſecundum foſſæ illius ripam, qua amnis Duriæ pars ex alueo deriuata, ad agendas frumentarias molas inducitur, turrim extruxit, tantæ altitudinis, vt eius ſummitas oppidi ſolum ſuperatet. In turri fiſtulas duas collocauit, quarum longitudo ſummam turrim æquaret. ingentem præterea rotam adiecit, quæ rapidiſſimo, ac præcipiti aquæ decurſu circumacta, ijs fiſtulis aquam ad verticem turris extolleret: ibique grandiore vrna excepta, rurſus per tubum præceps delapſa, meatu ſubterraneo in oppidum quamuis amne editius induceretur: ſi quidem ea vis aquarum eſt, vt quantùm deſcenderint, tantumdem aſcendant. atque hæc quidem non minus commodi, quàm voluptatis ſecum afferre videbantur. Paruorum amnium Cranæ & Melleæ aquas, propè Centale oppidum in depreſſiorem planitiem delapſas, & inutili exitu effluentes, latiore foſſa excepit, atque in riuos plures directos, tranſuerſoſque diuiſas, ad irrigandam ingentem Foſſani, ac Braidæ planitiem deduxit; opus diuturni laboris magniq; ſumptus optimè poſitum exiſtimans, quòd ex copioſa eorum agrorum irrigatione, maximas vbertatis & fructus acceſſiones accolis factas intelligebat. Iam vero ſublata interim omni cõtrouerſia diſceptationeque, tandem conuenerat inter Polonos Principes, qui Regis eligendi ius habebant. fuerant enim illorum factiones duæ, altera quæ Maximiliano Cæſari mirificè faue-

Aliæ aquæ in vrbem inducta.

Aliæ ad irrigandam planiciem.

Poloniæ regnum Henrico III. Valeſio delatum.

fauebat, eique deferri regnum optabat; altera quæ Henricum III. Valeſium Henrici II. filium, fratremque Caroli IX. Gallorum Regis eligendum cenſebat. hæc vicit ſententia; confeſtimque Henricus ad obtinendum Regnum, quod illi à Polonorum Senatu decretum fuerat euocatus, eò præfectus, libentiſſimis animis acceptus eſt. Quibus rebus Emmanueli Philiberto nuntiatis, tametſi Cæſarem mirificè colebat, eiuſque cauſſa omnia cupiebat; amicitia tamen & affinitate Henrici permotus, tanto eius honore, quem magnus populorum illorum fauor & ſtudium obtulerat, magnoperè lætatus eſt. Quòd verò poſt adeptum à Franciſco primo Gallorum imperium, nouum hoc regnum genti Valeſiæ acceſſiſſet, imperij latitudine inſigne, viriſque fortibus, & armis, & opibus, & omni rerum copia florentiſſimum: quodque ipſum Henricum vltrò populi Regem acciuiſſent; præter virtutis eius argumentum, ingentis felicitatis eſſe videbatur. Ac ſanè fuiſſet omnino; ſi primis ijs temporibus, quæ poſteà conſecuta ſunt tempora pariter æqualiterque reſpondiſſent. Itaque ab Emmanuele Philiberto miſſi ad Henricum legati gratulationis lætitiæque teſtificandæ cauſa; ſupplicationes Deo maximo decretæ: magnæ ſolenni ſacro actæ gratiæ. Lætitiam autem quam publica attulerant, domeſtica auxerunt. nam filium ex amata puella non humili loco nata, Emmanuel Philibertus pridem habuerat Amedeum nomine: eumque procul à Taurini finibus alendum curarat. hunc iam annum decimùm tertium agentem, ad ſe adduci iuſſerat, priuatimque introductum, vbi primùm conſpexit adoleſcentulum facie ingenua, forma & ſpecie liberali, mirifica virtutis indole, temperatis, ſuauiſſimiſque moribus ornatum, magnam ex eius aſpectu voluptatē cepit. aderat nemo, præter domeſticos paucos, & Margaritam vxorem; quę magno animo atque inuicto nihil de viro conqueſta, neque vti contumax nouerca adoleſcentem infeſtis oculis aſpexit; ſed vt blanda mater, humaniſsimis verbis appellauit. quæ res & Amedei animum infirmum adhuc varieque affectum confirmauit, & Emmanueli Philiberto patri, tametſi nihil de animi magnitudi-

Amedeus filius ad Emmanuelē Philibertum patrem adductus.

ne, leniſſimoque vxoris ingenio dubitabat, gratiſſima fuit. itaque admiſſi poſteà ad eum inuiſendum plures; ac breui ipſe in publicum prodijt, maximo totius Taurinenſis ciuitatis gaudio, quæ paternæ virtutis ſemina in adoleſcentis animo ſibi videbatur agnoſcere. Neque ita multò poſt hoſpitio accepti ab Emmanuele Philiberto Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, qui ex Belgis rediens in Hiſpaniam proficiſcebatur; & Iacobus Sabaudus Nemoroſij & Gebennenſium Dux, qui cum Anna Ateſtina Ferrarienſe coniuge, & Carolo filio, alpibus ſuperatis eius viſendi cauſſa Taurinum venerunt. vſitato ſplendore, atq; magnificentia vterque eorum acceptus eſt. Toletano ad fines Sabaudos præſtò fuere familiæ præfecti, qui eum ad Emmanuelem Philibertum perducerent, atque eum dies nonnullos commoratum, ad mare deducerent, toto itinere ſummis honoribus affectum, vbique benigniſſimè acceptum, magnis prætereà muneribus donatum. Iacobum autem patruelem, ſecum magnis vinculis, ſummæ beneuolentiæ, & propinquitatis coniunctiſſimum, nec non militari gloria clariſſimum, ætate, & moribus, & virtute haud quaquam diſſimilem, amantiſſimè complexus eſt. quamdiù eum apud ſe retinere licuit, eius frequenti congreſſu, familiaribuſque colloquijs mirificè delectatus eſt: neque eius diſceſſu quicquam eo tempore moleſtius tulit. intelligebat quidem rem poſtulare vt vterque curaret ſua: neque id agebat, vt eum ſemper apud ſe detineret. Sed amantium more qui nonnunquam ſine ſpe cupiunt, & nihiloſecius ex amatæ rei memoria capiunt voluptatem, neque ab ea facilè animum auertunt, diuturnitatem gratæ iucundæq; conſuetudinis mirum in modum expetebat, tametſi ea breui cariturus; atque in eius rei cura cogitationeque aſſiduè verſabatur. ſed cum diſceſſui dicta fuiſſet dies, eaque aduenißet, ægrè eum dimiſit, atque extrà oppidi mœnia proſecutus eſt: primarij verò aulæ viri vſque ad prouinciæ fines. Ac primis diebus non leuiter tulit eius abſentiam: amauitque potius ſolitudinem quàm frequentiam; quòad rerum grauiorum curæ leuiorum curam ademerunt. Nam paucis poſt diebus eodem anno

Hoſpitio accepti Albæ Dux, & Iacobus Sabaudus.

M.

Digitized by Google

M. D. LXXIIII. tertio Calen. Iunij, Carolus IX. Gallorum Rex morbo abſumptus interijt: & quæ eius mortem conſecuta ſunt, maximi momenti fuerunt, & ponderis. Vbi Henricus Valeſius quem à Polonis euocatum, & Regem conſtitutum fuiſſe diximus, de fratris Caroli Regis morte cognouit; ſatis intellexit, ad ſe nempe maiorem ex ſuperſtitibus Henrici. II. filijs Galliarum regnum rediſſe: cenſuitque, ſi fieri poſſet, vtrumq; regnum eſſe retinendum. quòd ſi propter maxima inter illas prouincias locorum interualla altero carendum eſſet; quin Polonorum Regno Gallorum regnum anteferrendum eſſet, non dubitabat. Sed nè antequàm hoc obtineret, illud dimittere cogeretur, vel quòd magis erat metuendum illinc abeundi poteſtas non fieret, re cum paucisſimis ſecretò communicata, intempeſta noctè exiguo comitatu, tribuſque tantum rhedis Cracouia diſceſsit, ac citatis equis, itinereque nunquam intermiſſo è Poloniæ finibus egreſſus, celeriter in Germaniam ad Cæſarem peruenit. Ibi cum eſſet, protinus familiarem ſuum in Italiam ad Emmanuelem Philibertũ per diſpoſitos equos proficiſci iubet. eum de diſceſſu ex Polonia certiorem facit. etiam atque etiam rogat, vt primo quoq; tempore Venetias venire ne grauetur: quò ipſe deinceps non multis poſt diebus ſe conferre ſtatuerat. Erat Cracouiæ per eos dies Gregorij XIII. Summi Pontificis legatus (Nuntium vocant,) ad Poloniæ Regem vir grauiſsimus Vincentius Laureus, de quo ſupra mentionem fecimus. qui cum fortè Regem pridie quàm diſcederet, conueniſſet, fuiſſetque cum eo diutius; Poloni Principes, vt ſunt plerique eorum ſuſpicioſi, non modo communicata à Rege cum eo abeundi conſilia crediderunt, ſed etiam ipſum occultæ illius profectionis ſuaſorem, & auctorem fuiſſe ſuſpicati ſunt. Quare ad eum magni repentè facti ſunt concurſus: magna animorum contentione plures conqueri, clamare, propeque minitari cœperunt. Legatus principio tantos eorum motus ægerrimè ſedauit: poſteà, quæ eius erat copia, & grauitas, & vis orationis, facilè cauſſam ſuam omnibus probauit, ſeque ab omni illa culpa eſſe alienum oſten-

Mors Caroli IX. Gallorum Regis.

Rex Henricus e Polonia in Germaniã.

Petit ab Emmanuele Philiber. vt Venetias ad eum veniat.

Nuntius Sũ. Pontif Polonis ſuſpectus.

Polonorũ motus.

Nuntij prudentia.

dit

dit. quare vbi animorum æſtus deferbuit; illos mali incœpti pœnituit, puduitque: legatum ſumma probitatis & prudentiæ laus eſt conſecuta. Peruenit ad Emmanuelem Philibertum Regis nuntius octauo ex quo diſceſſerat die: literiſque redditis, mandata expoſuit, rogauitque eum vehementer vt Venetias quam primùm ſe conferret. gratius enim Regi facere nihil poſſe; quàm ſi nulla interpoſita mora iter ingrederetur, ac celeritati quàm maximè ſtuderet. Sauonem venerat paullò ante Emmanuel Philibertus, atque ad Villam ſuburbanam Alfonſi Spinulę diuerterat: ibi ſeſe ex recente morbo reficiebat: quodq; adhuc ſatis firma valetudinem non erat, nè temerè faceret verebatur, ſi incommodo anni tempore, æſtate propè media, atq; infirmis viribus ſeſe longiori itineri committeret. Non diù tamen in eius rei delibetatione anceps: maturè cuiuſmodi futura eſſet illa profectio, quæq; bona, quæ mala ex ea oriri poſſent, circumſpexit: difficultates conſilio prouidit, animi magnitudine vicit. Certè cum Regi Henrico in primis obſequi mirum in modum cuperet, tum animaduertebat magnam vim ad conciliandum coniungendumque vtriuſque Regis Hiſpani Gallique animum illud habiturum; ſi eorum alter iter tutum per ſuos fines amanter daret; alter aduerſi nihil ſuſpicari, planeque alterius integritati beneuolentiæq́ue confidere ſe oſtenderet, dum ſecuro animo per eius regiones iter facit, ſeque ipſum eius fidei, ac poteſtati, quodammodò permittit. Quare Emmanuel Philibertus celeriter ad Antonium Guſmanum Marchionem Ayamontium qui Mediolanenſi prouinciæ cum imperio præerat, nuntios cum literis mittit. Scribit quantum Italiæ, totiuſque reipublicæ Chriſtianæ interſit, Reges illos amicos, & concordes eſſe: pacemq; iam pridem cum Henrico II. factam, mutua animorum, voluntatiſq; ſignificatione confirmari. perſuadet ei, quoniam breuitate temporis excludatur; neque docendi Regis Philippi, expectandique reſponſa ſpatium detur; vt totum negotium ipſe ſuſcipiat; Regem Henricum inuitet; roget vt iter ſuum in Galliam per Inſubrum fines faciat; aduenientem benignè accipiat; quibuſcunq;

Emmanuel Philibertus ſtatuit ad Regem Venetias proficiſci.

Quibus rationibus.

Scribit Ayamontio de aduentu Regis.

offi-

officijs poſſit eum Philippo Regi magis, ac magis adiungat. Ayamontius & cauſſa ipſa, & Emmanuelis Philiberti auctoritate permotus, confeſtim ei reſcribit, & ſe quæ velit, facturum pollicetur. recipit præterea eiſdem literis, fideque interpoſita ſanctiſſimè promittit, Henricum Regem, & familiam, & comites ſaluos per prouinciam, quam regebat, deducturum; omnibuſque tutum, & ſecurum iter bona fide præſtitutum. Quæ quidem res, tametſi quòd ad Emmanuelem Philibertum pertinebat, minimè neceſſaria; attamen eidem gratiſſima fuit: vt ſcrupulum omnem ex animo Regis, ſi quis ineſſet, euelleret; omnem periculi detrimentique dubitationem abſtergeret. Ipſe ſine vlla mora rure diſceſſit: ac Taurinum lectica delatus, celocem, quam præmiſſis nuntijs expediri, præſtoque eſſe iuſſerat, conſcendit, familiæ alia nauigia attribuit; paucisque diebus ſecundo amne Pado vectus poſtremò per Atheſis fluminis paludes ad foſſas Claudias peruenit. Ibi cognouit, Henricum Regem triduo antè Venetias perueniſſe. nam reſpublica Veneta Senatores plures præmiſerat, à quibus aduenìens Emmanuel Philibertus ad foſſas Claudias exciperetur, publicumque ei hoſpitium fieret; quoàd triremes multæ, inſtar inſtructæ claſſis, primarijs clariſsimiſque viris refertæ aduentarent; eumque, quibus decebat, honoribus, & ſplendore Venetias perducerent. Illæ verò ſumma quidem Senatus voluntate, animique ſignificatione magnoperè delectatus eſt; ſed honores illos recuſauit. Princeps nimirum grauis, atque ab omni oſtentatione alienus, cum vnum Regem à republica hoſpitio acceptum, omnibus honoribus ornandum, & cumulandum cenſeret, nullam eorum partem ad ſe transferri paſſus eſt. Itaque lembo vectus, præter Senatores duos comitem præterea nullum in eandem nauiculam, qua ipſe vehebatur, admiſit; ac priuatim Venetias adueniens, domum perductus eſt: Ibi ſtatim affuere plures: ac præſtantiſsimus quiſq; ex Regis familia. paullò poſt ipſe ad Regem, adhuc in lecto cubantem, venit. atq; vbi intromiſſus eſt, maxima in vtriuſq; animo lætitia, magnæ vtrinque gratulationes, magnæ gratiarum actiones: ſic enim vterq; exiſtima-

Ayamontius Emmanueli Philiberto reſpondet.

Emmanuel Philibet. Pado Venetias.

Eiuſdem modeſtia.

Regis, & ipſius mutua lætitia.

 bat,

bat, ſe alteri plurimum debere. Emmanuel Philibertus Regi; quod quam optabat de ſe opinionem habuiſſet, ſuæq; conſtantiæ, & virtuti confidens, illuc ſe euocaſſet; contra Emmanueli Philiberto Rex; quòd nondum confirmata valetudine, nullum aduerſi temporis incommodum, nullum itineris laborem ſubterfugiens amanter, æquè ac celeriter aduenisset. Primo eo congreſſu iucundo potius quàm longo, grauiori cupiam rei nihil datum: quicquid temporis vnà fuerunt, id totum hilaritate, & lætitia mutuò teſtificanda, familiaribuſque colloquijs extractum. Poſtero die actum eſt in Regis Concilio, quà ſuperandæ alpes, atque per quorum fines in Galliam Regi proficiſcendum. Erant enim itinera duo, quibus potiſſimum itineribus Rex Venetijs Lugdunum peruenire poſſet. alterum per Heluetios aſperum, atque difficile, alterum per Inſubres, Subalpinos, & Allobroges multò facilius, & expeditius. neq; tamen deerant, qui hoc apertè improbantes, illàc omnino iter faciendum eſſe cenſerēt. Verumtamen Rex Emmanuelis Philiberti ſententiam probauit: qui ab illis planè diſſentiebat: quemq; palàm prædicabat ea de cauſſa à ſe euocatum fuiſſe; vt ipſe totius illius itineris rationem explicaret, eiuſq; comes, & dux, & rector eſſet. Neque Regem ſui conſilij pœnituit. nam vbi in Gallia auditum eſt, Emmanuelem Philibertum Venetias ad Regem profectum, neq; ab eo diſceſſurum, quòad Lugdunum per ſuos fines cum valido militum præſidio perduxiſſet; bonis omnibus magnæ additæ ſpes. Hugonoti verò, & factioſi, qui ipſum non minus, quam Regem metuebant, animo concidentes, à malis conſilijs deſtiterunt. Suadebat autem Regi Emmanuel Philibertus, vt paratus ab exercitu, præſertim verò ab equitatu firmus regnum ingrederetur. eo tamen conſilio, vt niſi coactus ad arma non deſcenderet: præteritas offenſiones ex memoria deponeret: ab omni acerbitate alienus lenitatem etiam, atque manſuetudinem potius quàm ſeueritatem probaret: omnibus ijs, qui errata agnoſcentes, veniam peterent, clementer ignoſceret. quòd ſi qui eſſent, qui rerum nouarum cupidi præſentis imperium negligerent, vel audacius de bello conſilia inirent; hos adhuc imparatos inopinanteſque antè oppri-

Diuerſa ſententia de ratione itineris.

Rex Emmanuelis Philiberti ſententiam probat

Conſiliū Emmanuelis Philiberti.

mendos, atque eorum conatus comprimendos putaret, quàm ij vires augerent, ſeſeque maioribus auxilijs confirmarent. quæ omnia facilia, & expedita Regi fuiſſent, feliciterque proceſſiſſent; ſi quod mirificè probabat, impigrè ac fortiter exequi maturaſſet. dies circiter quindecim Henricus Venetijs commoratus eſt. quibus diebus Summus Pontifex Gregorius, fratris filium Philippum Boncompagnium, Sancti Sixti Cardinalem, ad eum legauit. Principes verò Europæ, præſertim Itali ad Emmanuelis Philiberti exemplum, cuius facta imitari cupiebant, omnia ſua ei detulerunt: omnia ornamenta, omnes honores in eum certatim contulerunt. Duces Ferrarienſium, & Mantuanorum magnificentiſſimis hoſpitijs eum acceperunt. magnus Hetruriæ Dux, & Dux Vrbinatum, cum paullò abeſſent longius, legatos miſerunt. Octauius Farneſius Parmenſium, & Placentinorum Dux medio Pado ei occurit. nam Venetijs diſcedens Rex, cum Patauium veniſſet, indeque Ferrariam rhedis; poſtea aduerſo flumine Pado Cremonam vſque profectus eſt. ibi præſto fuit Antonius Guſmanus Ayamontius, qui è naui deſcendentem, per medios pedites, equiteſque armatos, & inſtructos eum in oppidum perduxit: tanto omnium ordinum concurſu; præſertim nobilitatis Mediolanenſis quæ illuc cum Ayamontius venerat, tantoque ſplendore & pompa; vt ſi dies ille Philippi Hiſpaniarum Regis, ac domini aduentu celebrandus fuiſſet, nihil addi poſſe videretur. Confluebat etiam ex remotis ac longinquis regionibus ingens hominum multitudo, vt hominẽ ſpectaret duplici Regno pauciſſimis diebus auctum, cui omnia fauſtè, proſperè, feliciterq; euenirent in quẽ bona omnia ſuperi, & homines congeſſiſſent: eumq; ſinguli vna voce fortunatũ, & beatiſſimũ prędicabant: nimirũ futurorũ ignari. Nã qui poſtea conſecuti ſunt perpetui in Gallia motus, & bella domeſtica, & populorũ defectiones, & ex Lutetia Pariſiorũ ſimilis fugæ ſed neceſſaria profectio, & immatura mors, & indignũ acerbiſſimumq; mortis genus, & eo mortuo, quæ de ipſo aduerſa fama percrebuit, & deficiẽs in eo Valeſiorũ progenies, & mala alia ingentia, non illas felicitates ſed calamitatum integumenta, miſeriarumque inuolucra fuiſſe ſatis apertè do-

Concurſus Principũ ad Regem.

Rex Pado Cremonã petit.

Magno ſplendore excipitur.

Breuis Henrici Regis felicitas.

cuerunt. Poſtquam Cremona diſceſsit, de via deflectens relictoque ad leuam Mediolano, Modoetiam oppidum inſigne petijt, indeque per Ticinenſium fines Vercellas peruenit: neque Ayamontio, neque ijs pedeſtribus, & equeſtribus copijs, quas Ayamontius ſecum adduxerat, vnquam ab eo diſcedentibus, quandiù iter per Inſubres fecit. in primis honoris cauſſa, ac ſimul fortaſsis, vt Henricus intelligeret, quibus viribus præfectus Hiſpanus Mediolanenſem prouinciam tueretur. Appropinquanti iam Vercellas Henrico occurit Philippus Ateſtinus cum lectiſsimis equitibus quingentis. item Maſini Comes tria peditum millia loco idoneo in via diſpoſuit; nempe eorum partem, quos cuſtodiæ cauſſa Emmanuel Philibertus Henrico attribuendos cenſuerat, donec Lugdunum perueniret. Vercellis Taurinum tridui itinere venit: obuiam longè prodeunte Leonardo Ruuereio, Hieronymi Archiepiſcopi fratre, cum alijs tribus peditum millibus armatis, optimeque inſtructis. Summus Rex à Principe affine, liberali, & maximi animi hoſpitio accipiebatur. itaque quæcunque ad ſplendorem, & copiam, & rerum omnium ordinem pertinebant, eorum nihil omnino defuit. Qui cum Rege erant, quique illuc aduentus eius cauſſa venerant, ſummi, medij, infimi, omnes liberaliter habiti; ſumptus à nemine, ne minimus quidem factus. quibus ad victum, cultumque opus erat; ea ſingulis copioſè, benignè, & opportunè Emmanuel Philibertus vti ſuppeditarentur mandarat. Extra vrbis portam prodit Carolus Emmanuel eius filius cum magno Senatorum aliorumque togatorum, & patriciorum numero: quod quidem Regi multo iucundiſsimũ fuit. Agebat tunc Carolus Emmanuel annum duodecimum, ac præter cæteras virtutes, quæ quaſi ſemina à parentibus in eius animo ſata tunc primum radices agere, & propagari, & cõaleſcere incipiebant, & præter magnam formæ dignitatem, & oris ſpeciem Regiam; admirabilis etiam in puerili ætate grauitas; non ſimulata, neque à greſtis, aut paullò triſtior, vel inſuauis; ſed lenis & grata, atque cum incredibili humanitate coniuncta; quæ ſanè grauitas non aliundè, quam ab animo leuiora

Emmanuel Philiber. liberalitas.

Carolus Emmanuel filius Regi obuius.

Semina virtutum in puero.

alper-

aſpernante, & ad ſeria propenſo oriri ſolet: ea re patri ſimillimum eſſe affirmabant, qui illum cum adoleſcens eſſet, meminerant. quare eius viſendi, & alloquendi Rex non facilè cupiditatem explebat. Is ab vrbis porta ad diui Ioannis, recta perductus eſt. Eodem paullò poſt venit Margarita Emmanuelis Philiberti vxor, Regis amita: cuius præſentia renouata auctaque mirum in modum Regis lætitia. id actum vtrinque omni ſtudio, vt cùm eſſet inter eos beneuolentiæ magna contentio, neutra pars officijs animorumque ſignificatione ſe vinci pateretur. Dum Rex Taurini eſſet, cupiebat eòdem Danuillam accedere, & ad officium redire, cuius paullatim immutari voluntatem acceperat. Danuilla negabat ſeſe Regis poteſtati crediturum, cui ſe ſuſpectum non ignorabat. quare Emmanuel Philibertus aſſentiente & probante Rege, Danuillæ ſecuritatem præſtitit, cuius accepta fide, nihil ille dubitauit, quin ad Regem ſine cunctatione veniret. neque multò poſt cognouit Emmanuel Philibertus labare Regem, atque à miniſtris deprauari: quos in fide non manſuros prouidebat. quod cùm ægerri mè ferret, ſe ſe illis conſtanter oppoſuit, machinas maleuolorum auertit, ex inſidijs quæ vndique tendebantur. Danuillam eripuit, ſaluum, atque incolumem remiſit. ita ſeruata fides laudem Emmanueli Philiberto attulit, Danuillæ ſalutem, Regi exiſtimationis famæque conſeruationem. quod longè ſecus accidiſſet, ſi fuiſſet ille contra interpoſitam fidem violatus, quæ vel hoſti ſeruanda eſt. Dies duodecim Emmanuel Philibertus Regem apud ſe retinuit. Quibus diebus Rex modò ipſum, modò vxorem, nonnunquam etiam filium quacumque ratione poterat, vt liberè ſecum agerent, & ea peterent quæ vellent, alliciebat. cùm enim eis ſe plurimum debere intelligeret; omnem referendæ gratiæ occaſionem quærebat. Sed verbum exprimere, vocem elicere à nemine eorum potuit rei vllius indicem; niſi ſummi ſtudij, ſummæque in ſe obſeruantiæ. nam in id vnum tota mente, atque animo quiſque intentus eſſe videbatur, rerum ſuarum, ſuique ipſius propè oblitus, vt Rex omni officio, ſtudioque coleretur; nullus ei obſequendi locus præter-

Danuilla Taurinum ad Regem.

Emmanuelis Philiberti fides.

mitteretur. agere verò de rebus, quæ ſua intereſſent quo tempore reficiendus & recreandus eſſet hoſpes, atque omni iucunditate hilarandus, animi ſui magnitudine indignum putabant.

Neque ignorabant, qui poſtulat quicquam ab eo in quem recens aliquod ſuum ſit meritum, videri parùm modeſtè, propeque impudenter meriti mercedem protinus repoſcere. quòd ſi beneficium malè poſitum ſit, ab ingrato homine ne flagitando quidem aliquid accipi: ſin benè, eum qui gratus eſt admonitore non egere: agroſque fertiles imitari, qui multò plus afferunt, quàm acceperunt. Rex autem maximo animo vereque Regio, magnam ſemper Emmanueli Philiberto gratiam habuit: cuius referendæ, cùm primùm occaſionem nactus eſt non prætermiſit: magnoque ac libenti animo eius rei curam ab Emmanuelis Philiberti modeſtia, ad ſuam liberalitatem tranſtulit. Nam ex duobus illis oppidis, quæ adhuc ipſius nomine tenebantur, Penarolio, & Sabiniano deduci Gallicum præſidium, eaque confeſtim Emmanueli Philiberto dimitti imperauit. qua re cognita, nihil cunctatus eſt Rex Hiſpaniarum Philippus, quin Hiſpanos ex Haſta colonia, atque ex oppido Santaghato diſcedere, & vtrumque ei reddi iuberet. Emmanuelis Philiberti officia, meritaque Gallum, & Hiſpanum Regem excitarunt, & quodammodò monuerunt, vt quod agere debebant ocyus agerent: Reges inter ſe, & vterque animi magnitudine cum Emmanuele Philiberto certarunt: certamen inter eos de virtutibus fuit; & quò virtutes clariores, eò magis incerta victoria. Ac quidem Emmanuel Philibertus, vbi inter Reges pace conciliata, in priſtinum ſtatum reſtitutus eſt, atque antiquum imperium recepit, maxima mali à ceruicibus depulſa mole, paullùm reſpirare cœpit. veruntamen dum adhuc eius oppida à Regibus retinebantur; medio quodammodò in pectore vlcus ali videbatur; quod ſemper verendum erat, ne cum magna eius pernicie de repente cutem abrumperet. Sed ijs redditis metu inteſtini mali liberatus, id tantum negotij ſibi relictum intelligebat, vt corpus ab externis morbis, atque ab ijs incommodis, quibus extrinſecus af-

Rex grato animo r. agnoſque.

Reddi oppida iubet.

Idem Rex Hiſp. facit.

fici poſſet, tueretur. Tunc igitur primùm tota Subalpina prouincia expedita, integraque ipſius imperio parente, omni cura ſolutus tranquillo animo eſſe incipiebat. eorum item arma, militeſque, qui in medullis & viſceribus eius ad id tempus hæſerant, iuſſu Regum abſcedebant: quorum ſi voluntas minus ſuſpecta, quia propenſa; certè potentia formidoloſa, quoniam nimia. Itaque magnam Emmanuel Philibertus ſine dubio percepiſſet lætitiæ voluptatem; niſi caſus aduerſi, quaſi in inſidijs latentes, & graues, & plures, & eodem propè tempore ſimul erupiſſent: perinde ac ſi prudentiam eius, & patientiam, & animi firmitatem de induſtria tentarent, atque hominem de gradu deijcere conarentur.

Tota ſubalpina prouincia in poteſtate Emmanuelis Philiberti.

Emmanuel Philib. grauiter ægrotat. Triſtes nuntij de vxore & filio.

Nam in primis ipſe acerrimis viſcerum & inteſtinorum doloribus premi cœpit: & cum ijs vehementius laboraret, vixque reſiſteret, duos triſtiſſimos nuntios de vxore & filio, interuallo ferè nullo interiecto, accepit; morbis vtrumque tam grauibus opprimi, vt vxoris ſalus deſperata eſſet; filij vita in ſummo verſaretur diſcrimine, eiuſque curatio periculoſa, & maximè anceps eſſe videretur.

Rex ad Emmanuelē Phil venit.

Quibus cognitis Rex ad eum confeſtim venit: magis autem de diſceſſu, ac de profectione celerrima, quàm de leuando dolore, curandoque morbo ſolicitum hortatus eſt, orauitque etiam atque etiam, videret quid ageret: neque afflicta, propèque perdita valetudine tam longum, tamque difficile iter ingrederetur: ſed exorare eum, à ſententiaue dimouere non potuit.

Emmanuel Philib. continuo diſcedit.

Itaque adductam lecticam paullò poſt conſcendens, moram nullam ad diſcedendum intulit. In duorum morte vel vita rerum ſuarum rationes magna ex parte vertebãtur. vt mirum non videretur, dum in dubio res eſſent, animum eius huc illuc impelli: modòque ad ſpem erigi; modò imminentiũ malorum periculo commoueri.

Nuntius de morte vxoris.

In itinere priuſquàm alpes ſuperaret, de vxoris morte cognouit. Et quamuis præparatum haberet animum ad res aduerſas æquè ac ſecundas moderatè ferendas, quoniam tamen vxorem vnicè ſemper dilexerat, grauiſſimo ictu accepto, principiò hæſit aliquandiù tacitus, ac propèmodùm obſtupuit; tum ſe ipſum collegit. & cum intimis ſenſi-

bus

Cõſtantia in ferendo dolore.

bus angeretur, ſic dolori reſtitit; vt non iaceret: & quod afflicti, & fracti animi non fuit, ſemper & mente, & oratione, & vultu conſtitit: neque congreſſus facilitatem, neque lenitatem ſermonis quiſquam in eo deſiderauit, ſed humanitati tantum tribuit, quantum conſtantia, & animi firmitudo patiebatur: animi firmitati, atque conſtantiæ, quantum ferebat humanitas. poterat igitur dolorem fortiter ferre, & ei par eſſe: non dolere autem, tantamq; iacturam non ſentire, non poterat. Vixerat ſanè cum vxore annis circiter quindecim: atque toto eo tempore diſsidia nulla inter eos, diſſenſiones nullę; ſed ſummo amore, mutuaque charitate ætatem egerant. Ipſa verò vſque eò virum amauit, vt etiam ingrata, & inuita tolerare poſſet, & diſſimulare, & tegere: nihil autem ægrius ferret, quàm longiorem eius abſentiam. Oden Etruſcam cum legiſſet à Federico Aſinario Camerani Comite, ingenioſo poeta luculenter ſcriptam, qua ipſam hortabatur, vt ad componendas res motuſque ſedandos qui tunc oriebantur, primo quoq; tempore in Galliam proficiſceretur, artem & elegantiam laudauit, argumentum minimè probauit, nam à commemoratione abſentiæ eius aures prorſus abhorrebant. quarè Federicus veritus nè ea res à ſe voluntatem eius alienaſſet; receſsit ſponte, atque ab aula aliquandiù abfuit; ne in illius oculos incurreret, quam auerſo à ſe animo eſſe ſuſpicabatur. Statura corporis nec procera, nec breuis. vultus verò liberalis, & venuſtus, & decorus, qui in medio mulierum cœtu poſitam facilè Reginam eſſe indicaret. Ingenium præterea admirabile, propeque diuinum. nam literis boniſque artibus animum excoluerat; Politicæ moraliſque philoſophiæ diſciplinam perceperat, ac de latinis ſcriptoribus rectum facere iudicium poterat. quare etiam literatos homines amauit, auxit, coluit; & viciſsim ab eis ſæpe laus eius, gloriaque celebrata eſt. eius rei teſtimonio ſunt libri complures ab eruditiſsimis noſtræ tempeſtatis hominibus Margaritæ nomini inſcripti. tantum autem illis ob eruditionem tribuebat, præſertim qui in eius familiaritatem venerant; vt ſi quis eorum in aliqua vitia delaberetur; neque illa per ſe animaduerteret;

Vxoris amor in virum.

Margarita bona corporis.

Ingenium & littera.

In erudito beneuolentia.

ne-

neque de iis cuiquam affirmanti facilè crederet. De ſummis rebus cum ea Emmanuel Philibertus communicabat. maxima ei negotia non ſolùm credebat, ſed etiam ſæpè eius arbitrio, poteſtatiq; permittebat. quibus in gerendis, expediendiſq;, quam is habebat de ipſius fide, & prudentia, nunquã opinionem fefellit. Quòd verò ad pudicitiam attinet, ſine qua mulieri quantumuis cęteris in rebus eximiæ, nulla deberi videtur laus; ſemper illa inuiolata. qua quidem ad eius gloriam multum addebatur; cum bonum illud natura inſitum, atque innatum probitate, & virtute conſtantiſſimè tueretur. Antiquiſſima, primaque ſemper illi fuit religionis cura: atq; vt ea in ſuis ditionibus puriſsimè ſanctiſsimeq; coleretur, omnem operam dabat. proxima huic prouincialium; de quorum commodis, & vtilitate maximè erat ſolicita: præſertim honeſtorum hominum, qui non culpa, vitiouè, ſed caſu in egeſtate eſſent. nam ad eos ſuſtentãdos, collocandaſq; puellas, quæ periculum eſſet, ne ab intemperantibus, & impuris hominibus expugnata propter inopiã pudicitia, ad turpitudinem laberentur; omnia propè dotis ſuæ vectigalia conuertebat. Cum autem eſſet à voluptatum illecebris, atq; ab omni muliebri leuitate prorſus aliena; graues cogitationes crebrò ſuſcipere: ab incertis, & caducis animum abducere: ad certa, atque æterna mentem ſæpiſſimè transferre. Quare vbi in grauiorem morbum incidit nihil improuiſum, nihil inopinatum ei viſum eſt accidiſſe. Vbi verò ſenſit morbũ vehementius augeri, vireſq; deficere, neque ſe à ſummo vitæ periculo abeſſe; nullo metu perterrita, neque tàm cupida ineundæ rationis quemadmodum vitam, depulſo morbo, longius produceret; quàm quomodo ex corporis vinculis, atque ab omni culpa libera, ad cæleſtium ſocietatem euolaret, ſeſe Archiepiſcopo Ruuereio, à quo creberrimè inuiſebatur, commendauit; enixè ab eo contendens, vt totius eius rei curam ſuſciperet. Is rogatus eſt vt id ageret, quod iam agebat. nam ex eo die quo morbus eam inuaſit, omnem operam, ſtudium, diligentiam, penèque omnes cogitationes eò contulit, vt nihil omitteretur, nihil deeſſet, quod ad vtramque eius ſalutem pertinere, eique prodeſſe videretur.

Prudentia in gubernando.

Pudicitia inſignis.

Religionis cura.

Charitas in prouinciales.

Grauitas & prudentia.

Animi firmitudo.

Sacramentis munitur. Illa verò, quod crebrò facere ſolebat, vt errata maximè doleret, atque eadem ſacerdoti fateretur, cùm ſponte iteraſſet, cumque idem ſacerdos ſacrum feciſſet, quod Miſſa appellatur, optanti, rogantique, cœleſtem menſam, verumq; Chriſti corpus cōmunicauit. cogitationem autem, quæ vna præ cæteris omnibus eã pungebat, de viro, & filio; ab eius animo prudenter Archiepiſcopus auertit. neque enim ipſe longius abfuit; neque vnquam vnum & alterum ſacerdotem deeſſe paſſus eſt, qui de mortalis vitæ breuitate, miſerijſque, de præmijs æternis, de vera felicitate, de immenſa Dei bonitate piè, religioſeq; cum ea loqueretur. *Oleo ſacro inungi petit.* Ingraueſcente deinceps morbo Margarita ſacro oleo inũgi ſponte poſtulauit: ſciebat ſanè permagni intereſſe, vtrum ſacerdos functionis ſuæ munere id ageret, an optante ægroto, poſcenteque. Cum igitur Archiepiſcopus munus illud ritè perfeciſſet, eiuſq; animam Deo, & animarum & rerum omnium creatori commendaret, ad alteram lectuli partem illa ſeſe tamquàm dormitura conuertit, atq; è vita quietiſſimè diſceſſit, *Quietè moritur.* Calen. Octobris M D L X X I I I I. hora circiter decimanona. Corpus deinde exenteratum, moxq; multis odoribus, & vnguẽtis delibutum, ſolita veſte indutum, ornatum, floribus complectum, noctu priuatimq; elatum eſt: nè ex pompæ ſtrepitu aliquid *Noctu effertur.* reſciſceret, ſuſpicareturúe de morte filius, de qua cum maximè cælatum eſſe oportebat. quamuis enim decederet paullatim febris; infirmis tamen viribus adhuc erat, atque imbecilla admodùm valetudine. Verumtamen illud non ſtatim humatum eſt; ſed in arca lignea, atra veſte ſerica contecta; in templi remota parte repoſitum, tantiſper aſſeruandum, quoàd vbi condi placeret à viro ſtatueretur. Emmanuel Philibertus nullo ex itinere incommodo accepto, quin etiam recepta paullatim valetudine, *Emmanuel Philib. Taurinum peruenit.* atq; è graui morbo nonnihil recreatus, Taurinum peruenit, poſt triduo quàm vxor è vita migrarat. protinus verò è lectica ad filij cubiculum, qui adhuc lecto quidem tenebatur; ſed cum morbi vim ſuſtinuiſſet, febris iam diſcedere, & ei meliuſculè eſſe in- *Filium inuiſit.* cipiebat. Quare ex mutuo aſpectu congreſſuq; ingẽs in vtriuſque animo lætitia; quæ etiam magnum ad alterius ſalutem con-

firmandam; & alteri planè reſtituendam attulit momentum: quamuis ea diſpar. nam adoleſcens aduentu patris effuſè læta ri, exultareque; pater ſanè gaudere quòd filium nō amiſiſſet; ſed de eius incolumitate ſine ſolicitudine nondū eſſe; morte verò Margaritæ ſuæ in magno mœrore verſari. Poſtquàm autem filium complexus eſt, bonoq; eſſe animo iuſsit; confeſtim ad templum contendit, in quo iacebat vxor. defixis verò aliquamdiù in arca in qua repoſitum erat cadauer oculis, atq; ea ſpecie vehementer animo commotus, nihil queſtus eſt, vocem nullam emiſit; ſed tacitus ſecum reputans quantam virtutem, quantum decus amiſiſſet, vehementiuſq; ingemiſcens; ad templi ſummum altare conuerſus, vbi ſacroſanctum Christi corpus aſſeruabatur; atq; ad infimum gradum proſtratus, vim magnam lachrymarū effundens, vxoris animæ lucem & quietem precatus eſt. tùm ſeſe inde recepit. Cumq; illi regio more iuſta fieri iuſsiſſet, atque ex medicis cognouiſſet, nihil de filij valetudine dubitandum, q; in eo ſigna eſſent ad ſalutem omnia; tranquilliore animo valetudinem ſuam curauit: atque ea paucis diebus planè confirmata, ſe ſe ad priſtinam rerum publicarum curam, gubernationemq; retulit. Ac primò Pinerolium Sabinianumq; profectus eorum oppidorum, quæ tum ei reddebantur, poſſeſsionem iam amiſſam recuperauit. Vbi verò Taurinum redijt antiquiſsima ei fuit ſacrarum rerum, ac diuinarum cura. Diuorum Solutoris, Aduentoris, Octauij, Thebanæ legionis militū, pro Chriſto cæſorum: præterea Gonſolini, & Iulianæ corpora, bellorum tempore in æde diui Andreæ humiliori ſepulturæ data, inde magna pompa ſummoq; ſplendore transferri, atque in Ieſuitarum templo celebri ara collocari iuſsit. neque ita multò poſt ex oppido Ripalia oſſa item Amedei VII. primi Sabaudiæ Ducis, qui Summus Pontifex à patribus renuntiatus, Pontificatum poſtea ſpontè depoſuerat, necnon Catherinæ ſororis, quæ primis turbulentis Sabaudiæ temporibus infans Mediolani mortem obierat, inde Taurinum relata fuut. Quamdiù verò Emmanuel Philibertus à Subalpinis abfuit (nam ei Niceam excurrendū fuit, vt maritimæ oræ præſidia diligenter inſpiceret) poteſtas omnis

Iuſta vxori ſoluit.

Pinerolium & Sabinianum petit.

Sacrarum rerum cura.

Abſente patre filius gubernat.

Digitized by Google

& imperium penes filium Carolum Emmanuelem fuit. annum tunc agebat decimum quartum: ſed in ea adminiſtratione, cum ſæpe res arduæ atque difficiles inciderent, in eis expediendis ſuperandiſque magnum animum oſtendit. maxima verò negotia ita tractauit, vt ad maiora factus eſſe videretur; atque acumen ingenij ſupra ætatem eſſe conſtaret. Redeunte Taurinum Emmanuele Philiberto, in Caroli Emmanuelis filij clientelam, & fidem, probante volenteque patre primi Taurinenſes ſeſe obtulerunt, atque accepti ſunt: qui etiam ſacramento ſe obligarunt, & ſemper ei fideles fore confirmarunt. Hos ſecuti ſunt ſummo gaudio, miraque animi alacritate Vercellenſes, Haſtenſes, Eporedienſes, & reliqui Subalpini populi. Paucis poſt menſibus Allobroges omnes, & Auguſtani, & cæteri omnes qui eius imperio parebant, idem fecerunt. hi nimirum priſtinis Ducum Sabaudorum imperijs contenti, imperia noua ſuſpecta habebant omnia; neque meliora ſperabant, quæ alicubi eſſe, vt crederent, adduci non poterant. Tum Emmanuel Philibertus equitum Nuntiatæ ordini amplificando, augendoque intentus, in eorum numerum retulit adoleſcentem Amedeum filium, Federicum Ferrerium Romagnani Marchionem, Ludouicum Balmam, Robertum Rotarium Sanſeuerinum, Thomam Iſnardum, Beſſum Ferrerium, Honoratum Grimaldum, Franciſcum Martinengum, Octauium Sanuitalem, & Æneam Pium: omnes claritate generis; & virtute præſtantes, ac de ipſo benemeritos. A Hieronymo Auria maritima oppida Oneliam, & arcem Beſtaniam ſuis oppidis Prellæ, & Marro finitima magno pretio emit; donauit eidem Auriæ prætetea oppida duo mediterranea Ciriacum, & Caballimorum. quorum tamē ratione Auria ſe in Emmanuelis Philiberti clientelam contulit, & ſemper in fide manſurum iurauit. Quibus rebus priorem illā ditionem amplificauit, & iter aliud per ſuas prouincias patefecit, quò Subalpini mercatores commodius, minoribuſque portorijs ad mare commearent. Oppidum ipſum Oneliam ſinuoſo littori adiacens muniendum putauit; vt ab incurſionibus tutum eſſet, eique Ioannem Baptiſtam Bardatum, equitem Ni-

Populi iurant ſe filio fideles fore.

Emmanuel Philibertus Amedeum & alios in Ordinem Nuntiatæ legit.

Oppida emit.

Oneliam munit.

cen-

cenſem, virum fortem præpoſuit. Anni huius initio qui fuit MDLXXVI. Emmanueli Philiberto nuntiatum eſt, in meditaraneo mari maximam ſubitò coörtam tempeſtatem, & triremes ſeptem Hiſpanas in Villæfrancæ portum delatas, cum diù iactatæ eſſent, neque illis ſubueniri poſſet; æſtu abſorptas periiſſe: reliquas verò naues quæ ad ancoras deligatæ erant, procella afflicta, funes, & remos, & anchoras, & reliqua armamenta amiſiſſe, atque ad nauigandum factas propemodùm inutiles. quare alieno incommodo æquè ac ſuo commotus, eas reficiendas inſtruendaſque curauit, & quæcumque ex naufragio colligi potuerunt, nauarchis ſuperſtitibus vtì redderentur imperauit. Eodem anno magnum mortalium numerum peſtilentia conſumpſit. In Italia nobiliſſimi populi Mediolanenſes, Genuēſes, Veneti, Ticinenſes, Mantuani, & alij plures grauiſſimè afflicti. in Subalpinis tamen attigit neminem. Dei beneficium imitata eſt Principis diligentia. nam Emmanuel Philibertus malū quod impendebat, multò ante prouidit quàm ſerperet longius: atque omne periculum priuſquàm crearetur, conſilio, ac ratione propulit. Taurini nouū magiſtratum annuum creauit. qui lecti fuerant, in ea cogitatione curaq; verſabantur, vt diligenter explorarēt, inquirerent, indagarēt, qua valetudine tàm remoti quàm finitimi populi vterentur, atque ea de re crebris multorum litteris & nuntijs fierent certiores. quòd ſicubi peſtilentiam eſſe reſciſcerent; inde venientes, ſiue eorum locorum incolæ, ſiue aduenæ eſſent, oræ Subalpinæ aditu prohiberēt; cum ijs nullius rei commercium haberi permitterent; quibus legibus cōmeantes eſſent in oppida recipiendi, præſcriberent: Edicto non parentes ſupplicio afficerent. Quare cum paſſim in alienis, proximiſq; ciuitatibus contagione vulgarentur morbi; Emmanuelis Philiberti prudentia, charitateque, & magiſtratus illius opera, ac ſtudio, Subalpinæ gentes cura liberæ, & otio fruentes incolumitatem retinuerunt. Septembri menſe cum Maximilianus II. Rom. Imperator naturæ conceſſiſſet, atque in eius locum Rodulfus filius, iampridem Cæſar renuntiatus, ſuffectus eſſet; Emmanuel Philibertus grauiſſimum virum ad eum miſit

Naufragium in portu.

Peſtilentia in Italia.

Emmanuelis Philiberti diligentia.

Maximilianus Cæſar moritur. ſufficitur filius Rodulfus.

Thomam Iſnardum, qui officio vtroque & dolentis, & lætantis ſimul gratulantiſque fungeretur: ac paullò poſt ipſe, & filius Oneliam, indeque Niceam profecti ſunt, atque ibi hyemarunt. Ineunte vere Nicea diſcedentes, Taurinum Calend. Aprilis perueniunt. Ibi cum eſſent, auditum eſt de tumultu, nouaque, ac repentina Belgarum defectione. Cum enim Ioannes Auſtriacus grauiſſimum, longumque bellum pace tandem finiuiſſet nonnullis conditionibus, atque ea potiſſimum, vt Hiſpani ex Belgarum Prouincia deducerentur, quo tempore ij Petro Masfeltio duce, in Italiam peruenerant; inde in Hiſpaniam traiecturi; Belgæ de improuiſo arma capiunt: interfectis præſidij militibus arces occupant: eas ſine mora diruunt: apertè à Philippo Rege deficiunt. Quare Hiſpani per nuntios à Ioanne reuocati, depoſito adeundæ Hiſpaniæ conſilio, ad eum magnis itineribus reuertuntur. Erat magnus militum numerus, impedimenta magna, millia hominum amplius viginti. hos è Belgis aduenientes, non quidem collectos, neque agmine aliquo, manuque coacta, ſed quinos, denoſque, alios ſeorſum ab alijs, in ſuis prouincijs Emmanuel Philibertus excipi, atque humaniter haberi iuſſerat. in eoſdem tunc ad comprimendos Belgicos motus eadem, qua venerant ratione, modoque, redeuntes, officio fuit ſingulari: vt per ſuos fines tutò tranſirent fecit, commeatus copiam toto itinere ſubminiſtrari, ab incolis vbique liberaliter tractari iuſſit. Belgico renouato bello Alexander Farneſius Octauij filius Parmenſium, & Placentinorum Princeps, ad Ioannem Auſtriacum profecturus, Taurinum venit; pericula, quæ partim ab hoſtibus, partim à ſicarijs vias obſidentibus imminebant, comitum paucitate, & veſtitus mutatione ſe vitaturum ſperans. qua re cum Emmanuele Philiberto communicata, eius conſilium is non improbauit quidem: ſed veritus ne in eo parum præſidij futurum eſſet, cogitationem ipſe curamque ſuſcepit & præſtitit, vt Alexander ad extremos Sequanos, quà Belgis proximi ſunt, ſaluus perueniret. Dilexit eum mirificè ex eo tempore, quo ad nauale bellum non paterno, non alio imperio impulſus, ſed ſua ſponte profectus eſt. animaduer-

Belgarum defectio.

Hiſpani ad Belgas redeunt.

Commeatu ſuppeditatur

Alexander Farneſius hoſpitio accipitur.

tebat

tebat item iuuenem magno animo, celſoque nihil niſi de glória, quæ militaribus laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis acquiritur, cogitare. Sciebat ex Farneſia ſtirpe olim fortiſſimos imperatores profectos fuiſſe; ſed in vno Alexandro multos Farneſios imperatores ineſſe intelligebat: atque in eo Itali honoris aliquando renouandi maximam ſpem fore prouidebat. Quare in magno honore habitum; nullo in eum ſtudij, & amoris officio prætermiſſo, quem retinere non licebat, dimiſit, vt amiciſſimum & cariſſimum, non libenter; vt bellicam laudem cui ipſe mirificè fauebat anhælantem, non inuitus. Eius anni qui ſecutus eſt initio, nuntiatum eſt Emmanueli Philiberto in Allobrogibus clàm à nefarijs hominibus rerumque nouarum cupidis communitiones fieri, concilia remotis locis indici, coniurationes haberi, ſceleſta conſilia ad conflandas ſeditiones iniri; ne illa efferrentur, omnem operam dari. Quare quæſtiones de coniurationibus confeſtim haberi iuſſit: ſcripſitque Allobrogum Senatui, eiuſque præſidi Ludouico Mileto viro grauiſsimo, ea in re diſcutienda vt omnem diligentiam adhiberet. Paullò poſt Andream Prouanam eòdem cum imperio miſit. hic cum Senatu egit, de ijs qui conſilij principes, participeſuè fuerant, quique in vincula coniecti erant. Senatus in eos animaduerti: abſentes verò in proſcriptorum numerum referri, atque eorum bona publicari iuſsit. Oppidum autem quod Nuntiatam dicūt, nō procul à Geneuenſium finibus opportuno loco poſitum, ſed eo tempore indiligentius aſſeruatum, frumento, reliquoque commeatu abundè prouiſo, operibus auxit, valido militum præſidio muniuit: eique Aymonem Gerbaſium Sonnaſium, magnæ hominem fidei, magnæque fortitudinis præfecit. qua ratione, optimè Allobrogibus proſpexit, ne eorum fines repentinis Geneuenſium excurſionibus, & impreſſionibus paterent. Emmanuel Philibertus Prouanæ conſilium probauit commendauitq́; : cuius prudentia & ipſe omni ſeditionum cura liberatus erat, & cætera diligenter prouiſa. Sed ei magnum lætitiæ cumulum Iacobi Sabaudi patruelis, Nemoroſij Ducis, attulit aduentus. iam enim antea ab Emmanuele Philiberto dictus fuerat

In Allobrog. b. proditionis initia.

Nemoroſij Dux ad Emmanuel. m Philib. rtum.

Gebenneſij Dux: liberaliter vſque eò, vt ea ditio ad poſteros etiam legitimè perueniret: atque eius ditionis cauſſa non ita pridem per Gillem Tullium ipſi & Carolo Emmanueli filio & poſteris ſe fidelem ſemper fore iurauerat, tunc ipſe, & cum eo filij duo Carolus & Henricus, Taurinum peruenerunt, ipſumque, & ciuitatem totam maximo potius, quàm diuturno gaudio cumularunt. nam triſtes nuntij de nece Sebaſtiani Luſitaniæ Regis gaudia omnia contaminauerunt. Venerat ad hunc Regem ſuperiore tempore Mulleius Ametus, à Maluco fratre minore Regno Mauritaniæ pulſus; atque à Sebaſtiano auxilium implorabat: ac ſi per eum reſtitutus in Regnum eſſet, ſe in eius clientela, & fide ſemper fore pollicebatur. Agebat Rex Sebaſtianus annum ſecundum & vigeſimum: erat in eo magnum acumen ingenij, magnus animus, magna propagandæ Chriſtianæ religionis cupiditas. Itaque iuuenis acer, ætate iuxtà, & ingenio feruidus, bellum prius probans quàm expertus, eius ſuſcipiendi cupiditate flagrabat. Miniſtri & præfecti Regij auribus eius ſeruiebant: oblataque belli gerendi occaſione, ſtipendia, & largitiones auctum iri ſperantes, belli conſilia quærebant. iniuſti item tàm ſuæ quàm alienæ potentiæ æſtimatores, de Regijs viribus inflatius prædicabant, hoſtiles contemnebant: ac ſi modò Luſitanæ copiæ mare traijcerent, atque in Mauritania conſpicerentur; barbaros Reges nihil contra auſuros affirmabant. His ſublatus eſt Rex, adiuuante multùm eius propoſitum adoleſcentia, & animi magnitudine, & bonis ad eum vſque diem euentibus. Acceſſit eidem tanta benè gerendæ rei fiducia; vt in id bellum, totus mente & animo inſiſteret, neque de ſententia deduci poſſet. Auctor ei fuit magnopereque ſuaſit ſapientiſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus pro mutua neceſſitudine, beneuolentiaque, vt eo conſilio deſiſteret, neque perſuaſit. Emmanuel Philibertus ad eum in Luſitaniam miſit Ioannem Antonium Lenum Placentinum, magnum in re militari vſum habentem: ſummiſque ab eo precibus contendit, vt ſi modò bellandum cenſeret, rem per legatos, alioſque præfectos gereret, neque grauiſſimis vitæ periculis ſeſe committeret. ſed fruſtrà ſu-

Regis Luſit. bellum aduerſus Mauros.

Philippus Rex bellum diſſuadet.

Diſſuadet item Emmanuel Philibertus.

ſceptus labor: vrgente Regem belli gerendi pugnandiq; cupiditate Lenus nihil impetrauit. Rex multa armatorum millia celeriter confecit; in Mauritaniam Tingitanam traiecit, paullò vltrà oppidum Argillam: quamuis ab equitatu nō ſatis firmus, in campis cum hoſte conflixit. Ac ſanè principiò Luſitanis reſiſtere barbari non poterant; & quamcumque in partem ab ijs impetus fieret, loco cedere cogebantur: & ipſe Rex Malucus dum prælium committitur, atque ardentius pugnatur, interijt. Sed ſubmiſſa ſunt à ſocijs Regibus duobus, qui non procul aberant auxilia, quorum alter dum flumen Almechacem traijcit, & vadum ignorat, in profundiorem alueum delapſus, ibi merſus extinctus eſt. Adueniente igitur maximo recentium equitum numero, quibus Luſitani multis partibus erant inferiores, propè tota eorum acies circundata eſt, atque oppreſſa. Ibi magna potius cædes quàm fuga. cæſa magna Luſitanæ nobilitatis pars: ij præſertim, qui conglobati circa Regem conſtiterant, & corpora opponentes, hoſtem repellere, & eum ex periculo eripere conabantur. Ipſe cum in diſponendis copijs, alijſq; rebus prouidendis ſummi imperatoris officia præſtitiſſet, & in pugna nullo mortis periculo terreretur, fortiſſimè prælians interfectus eſt. Eo mortuo, regnum ad Henricum Emmanuelis filium Cardinalem, Sebaſtiani patruum magnum redijt. Hic quod erat ſacerdos & ſenio confectus, ſpe liberorum ſuſcipiendorum carens, cum animo ſuo anxius trahebat, quis ſe mortem obeunte, in ſuis locum ſuccederet. nam plures erant, alius alio iure, qui ad ſe pertinere regnum exiſtimabant: Philippus Hiſpaniarum Rex: Emmanuel Philibertus; Catherina Bragantia Edoardi Regis filia, Rinutius Edoarduſque Farneſij Mariæ filii, & Antonius Sebaſtiani Regis patruus, non tamen ex iuſta vxore genitus. Sed tantùm inter Philippum Regem, & Antonium armis diſceptatum eſt, quibus pulſus eſt Antonius. Dum autem Sebaſtiano Regi ampliſſimè iuſta ſoluuntur; legati ſeptem ad Emmanuelem Philibertum ijs Heluetiorum pagis venerunt, quorum ciuitates à Chriſtiana veritate non aberrabant. Pro pago Lucerino, Nicolaus Cloſſius: pro Vrio, Gederon Siquerius:

Prælium cum barbaris.

Dum pugnatur Rex Malucus moritur.

Rex alter barbarus ſubmergitur.

Virtus Luſitani Regis & mors.

Regnum Luſitanū ad Philippū Regem peruenit.

Heluetiorū legati ad Emmanuelē Philibert.

pro Suicio, Ioannes Geſſerius : pro vtraque Siluania legati duo Nicolaus Fluccius, & Ioannes Vaſſereus : pro Tugio, Antonius Surlambenius : pro Fributgo, Ioannes Lantenius. Actum eſt

Inter eos renouatum fœdus.

de fœdere inter Emmanuelem Philibertum, & illos ſanciendo, vel potius de vetuſto renouando. Vbi verò conditiones vtrimque probatæ, acceptæque ſunt, ſacrum ſolenne ſecit Taurini in templo maximo Hieronymus Ruuereius Archiepiſcopus: quo peracto, vtraque pars alteri ſe mutua iuriſiurandi religione obſtrinxit, atque ſtaturam conditionibus promiſit. Actæ poſtea Deo gratiæ, iunctæ dexteræ, ampla munera ab Emmanuele Philiberto ſingulis legatis miſſa. Per idem tempus Carolus Bor-

Cardinal Borromeus Taurinum

romeus Cardinalis Taurinum peruenit. viri huius magna erat ſanctimoniæ, & integritatis opinio: aduentus autem eius hæc fuit cauſſa. cum Mediolanenſis ciuitatis Archiepiſcopus eſſet, & biennio ſuperiore peſtilentia plurimos in ea regione conſumeret, ipſeque iuuandis, & ſanandis ægris nulli loco deeſſet, neque tamen ij morbo leuarentur; conuerſis ad Deum precibus, votum nuncupauit, ſi de locis illis peſtilentia abiret, ſaluſque populo redderetur, ſe trans Alpes Camberium, ad inuiſendam, ve-

Sacra Sindon.

nerandamq; Chriſti Sindonem, primo quoque tempore profecturum. Linteum id planè vnum idem eſſe ex ijs, quibus Ieſu Chriſti corpus dum in Sepulcro conderetur, à Ioſepho contectum eſt, & Summi Pontifices Chriſtiani crediderunt, & non-

Mira de Sindone.

nulli præſertim Xiſtus IIII. & Iulius II. ſcripto comprobarunt; & ſigna multa quæ ſuprà rerum humanarum, ac ſuprà naturæ ordinem ſæpenumerò Deus oſtendit, teſtificantur. Sed in primis res per ſe vetuſtate ipſa admirabilis eſt. Lineum opus textile conſpicitur, longum pedes duodecim, latum circiter tres, commiſſura, ſuturaue nulla: annis ab hinc ſaltem mille quingentis, & quinquaginta confectum, integrum, recenſque perinde ac ſi reciſum à textore pridie fuiſſet. Diligenter intuenti apparet in eo corporis Chriſti imago aduerſa, auerſaque, antiquitate quidem tanta paullùm obſcurata; ſed nondùm ſublata. qua ſpecie oblata oculis, intuentium animi illicò magno horrore perfunduntur. cernuntur enim non modo frontis, &

oris

oris effigies, & corporis totius lineamenta, ſed etiam vulnerum notæ, quæ in capite, in manibus, in pedibus, in latere excepit, apparent. extat adhuc cruor, quo vulnera recentia, atque à nemine obligata pluribus locis præſertim vbi pectus traiectum eſt lancea, Sindonem tinxerunt. Sed incredibile memoratu eſt, quanta mortales ſint beneficia conſecuti: qui mentes ad cœlum erigentes, & linteum hoc piè venerati, atq; eius vſum, & vſus cauſſas & fructum meditantes, Dei miſericordiam ſummis precibus ſuppliciter implorarunt. Plurimi ſanè cæci, ſurdi, claudi, elingues, de valetudine quæ optabant, ac poſtulabant, impetrarunt. Innumerabiles item alij morbis grauiſſimis, diuturnis, periculoſis, mortiferis, deſperatis, laborantes è veſtigio ad ſanitatem redierunt, ac priſtinas vires receperunt. nonnunquã etiam mortui ad vitam reuocati ſunt. Sed M D X X X I I. annis ab hinc propè ſexaginta, prid. non. Decemb. in marmoreum Camberianæ arcis ſacellum, vbi linteum incluſum argentea capſula aſſeruabatur, noctæ media repentè ignis illatus eſt. ſi culpa, incerto maleficij auctore. ſed culpa nè, an caſu non ſatis cognitum. Cum autem ignis latius ſerperet, & iam omnia torrerentur; auſus eſt magni animi vir Philibertus Lambertus, Ducis conſiliarius, paucis ſecum perductis illuc accedere; cancellos ferreos igne candentes, quibus ara maxima circundabatur, malleis confregit: Sindonem argentea capſula, qua continebatur, ardoris vi liqueſcente, celeriter aſportauit: ab igne integer cuaſit. flamma complicatæ Sindonis angulos tantummodo combuſſit: ibi conſtitit, naturam quodammodo exuens: ad Chriſti imaginem non peruenit. Parte igitur lintei illius incendi cæpta, totum exuſtum illicò non fuiſſe & lini materiam, qua nihil ad concipiendam ſubitò flammam aptius eſt, cum eodem loco, eodemque puncto temporis, & trabes, & ferrum, & marmora conflagrarent, tanti incendij viribus reſtitiſſe, prorſus mirum fuit: neque id aliter quàm diuino ſic volente numine contingere potuit. Sindonem autem hanc primùm ad Hieroſolymitanos Reges, deinceps ad Reges Cyprios, & ab eis ad matronam Cypriam Regij ſanguinis Margaritam Carniam

Quomodo ſacra Sindon ad Sabaudos Duces peruenerit.

perueniſſe, memoriæ proditum eſt. hæc in vlteriorem Galliam profecta, ſuperatis Alpibus, magno comitatu Camberium venit, quo tempore Ludouicus Sabaudus, & vxor Anna Luſiniana, Cypriorum Regum Iani filia, & Ioannis ſoror, Sabaudis populis imperabant. Quare inſignis, & affinis mulier ab affinibus Principibus hoſpitio lætiſſimis animis accepta eſt. Sed paucis poſt diebus mulieris præclarum domus inſtrumentum, multa & perampla ſupellex, atque in primis capſula extrinſecus inaurata, in qua Sindon incluſa erat, à nefarijs hominibus ſublata ſunt. hæc verò capſula dum quæritur, & reperitur, & recipitur: & præmittente ſarcinaria iumenta Margarita, quæ abitura erat, dum mulo impoſita ex oppido educitur; plura, magnaque à Deo cùm in fures prius, tum in alios oſtenta facta ſunt. quibus pia, prudenſque mulier ſatis intelligens, ſibi vltrà progredienti, non licere Sindonem ſecum habere diutius; maximis eorũ precibus cedens, ægreque exorata Sabaudis Principibus eam donauit. Vbi percrebuit ſacroſanctam Sindonem aſſeruari Camberij; magni ex vicinis, atque ex remotis locis mortalium concurſus facti. tunc primùm annis ab hinc circiter centum, & quadraginta viſi ſunt linteati nummi, altera parte impreſſa Ludouici Ducis effigie aerei, argentei, aurei. quod item contigit Caroli Sabaudi tempore M. CCCC. LXXXVII. & Emmanuelis Philiberti M. D. LXXVIII. qui diuinum pignus incredibili ſemper religione, pietateq; coluit. Is vbi cognouit Cardinalem, de quo diximus, Camberium proficiſci velle, viarum aſperitatẽ, longitudinemq; animaduertens, vt ſummo viro pedeſtribus itineribus minus aſſueto laboris partem adimeret; properè Sindonem Camberio Taurinum trãſferri iuſſit. Cardinalis die itineri conſtituta comitibus circiter quindecim Mediolano pedes egreſſus, pedes Taurinũ qua tridui itinere peruenit. appropinquanti Dux & filius Carolus Emmanuel, magna ampliſſimorum virorum populiq; frequentia, extra oppidi portam obuiam prodierunt, humaniſſimè ſalutarunt, incredibili honore, atque amore exceperunt. Quandiù verò Cardinalis Taurini fuit, nihil quod

Cardinalis Borromei pietas.

ad

ad veram ſummamque pietatem pertineret, omiſit. quotidie vti ſolebat ſacrum fecit: crebras de rebus diuinis & ipſe habuit, & ab his, quos ſecum adduxerat, conciones haberi iuſsit: precationes quadraginta horarum ſpatio, ſubmiſſis ſucceſſoribus, continuauit. viſendæ autem adorandæque priuatim ſacræ Syndonis, quoties voluit poteſtas ei facta eſt. quin etiam vt publicè populis vndique ſummo ſtudio confluentibus oſtenderetur, impetrauit. Crebri inter ipſum, & Emmanuelem Philibertum, remotis alijs, habiti ſermones, de Chriſtiana religione tuenda, propagandaque, de pellendis deſertoribus, de vitandis eorum inſidijs, de vi propulſanda, de frangenda audacia. demùm Emmanuel Philibertus diſcedēti Cardinali ſeipſum, & filium, & res ſuas omnes etiam atque etiam commendauit, Deum pij viri precibus facilè exoratum iri confidens. Sed in eo magna ingenij facultas, magna prudentia; vt obſeruaret idoneorum ad res agendas temporum opportunitates: atque non modo mores, & naturam cuiuſque attentius diſpiceret; ſed etiam alienæ ſuam pro tempore, ſi vſus poſceret accommodaret. ita fiebat, vt odioſus eſſet nemini; vtque ab acuto, & hebete, ab hilari, & ſeuero æquè diligeretur. quare cum Dei antiſtite, de rebus ad pietatis cultum pertinentibus; cum ductore de bellicis; cum Principe, de publicis agebat. Nam haud ita multò poſt Cardinalis Borromei diſceſſum diuertit ad eum Petrus Mediceus magnorum Hetruriæ Ducum Coſmi filius, & Franciſci frater. Aduentus eius cum gratiſſimus eſſet Emmanueli Philiberto qui non ſolùm decorum putabat, ſed etiam maximè delectabatur domum ſuam magnis hoſpitibus patere, eum libentiſſimo animo excepit. Erat eo tempore Petrus ætate, ingenio, moribus, genere, iuxtà inſignis, indoleque mirifica preditus: atque ab otio, quod languorem & deſidiam parit, abhorrere, ad venandi ſtudium, ad corporis labores, ad militarem diſciplinam propenſus eſſe videbatur. quibus rebus, nihil propè erat, quod Emmanuel Philibertus in adoleſcente magno, loco nato laudandum magis, magiſuè probandum putaret. biduum tantùm Taurini moratus, diſceſsit. Et

Mutua inter Cardin. & Emman. Philib. beneuolentia.

Petrus Mediceus ad Emmanuel. Philib.

Em-

Emmanuel Philibertus libenter quidem eum apud ſe habuiſſet dies complures; ſi properantem, atque in Hetruriam quamprimùm redire cupientem, diutius retinere licuiſſet. Sed exiguo temporis ſpatio, magna optimi animi in eum indicia, vt hoſpitij magnificentiam, ſplendoremque, qui vetere inſtituto maximus erat, obſcuraret ſignificatio voluntatis. iuuenem enim ſummo honore affecit, & magnam in eum beneuolentiam omnibus officijs declarauit. Abeunte Petro Emmanuel Philibertus de receſſu cogitabat; vt animum ex vrbanis moleſtijs reficeret. ſed quod Regibus, magniſq; Principibus creberrimè accidit, aliæ alijs additæ curæ. In Subalpinis per eòs dies magnorum motuum initia, & quamuis inter alienos; quoniam tamen ij finitimi & vicini erant; malum manaſſet latius, niſi illud auctoritate ſua, conſilioq; Emmanuel Philibertus auertiſſet. ea res omnis vti ſeſe habuit, quàm breuiſsimè potero, verum abſoluã. Erat in honore apud Henricum III. Gallorum Regem, Rogerius Sãlarius Belagardius, honeſto loco in Aquitania natus, conſiliorũ bellicorum particeps, vir ſingulari fortitudine. hic tanta auctoritate, gratiaué apud Regem valebat, vt nihil propè quod ad Regni ſalutẽ pertineret, ſine eius conſilio gereretur: quòd Rex eius prudentiam, fidemq; magnis in rebus antea ſæpè fuerat expertus. Cum autem Belagardius Emmanuelem Philibertum ſemper mirificè coluiſſet, & obſeruaſſet toto itinere quo Rex Venetijs Taurinum venit, dum crebrò de regijs negotijs, iiſque ſummis, & arduis conſultant; ex aſsidua conſuetudine ac familiaritate aucta mirum in modum inter eos beneuolẽtia eſt. Rex Carolum Biragum Mediolanenſem, Salutienſium ditioni, totiq; cis Alpes prouinciæ (quandiù Ludouicus Gonſaga Niuernenſium Dux abeſſet,) cum imperio præfecerat. nam Biragus & antiquiſsima familia natus erat, & eius opera Ludouiciq; & Hieronymi fratrum fideli ac forti, ſuperioribus bellis Henricus pater, & Franciſcus auus vſi fuerant. exemerat tamen ex ea præfectura oppida duo, Carmagnolam & Reuellium: quibus Belagardius præerat. Sed Belagardio cum Birago ſimultas vetus intercedebat: aucta poſtea meleuolorum ſermonibus, qui clam

Motus initia Subalpinis.

Quæ actium Belagardio.

Inter Biragum & Belagardium ſimultas.

Bela-

Belagardio detulerant, quæſitos à Birago nefarios, perditoſque homines, atque iis mandatum vt eum interficerent. cum autẽ Biragus Taurinũ veniſſet Regis adeundi cauſſa, eiuſque docendi, quæ in Salutienſi prouincia ſibi commiſſa gererentur; Rex Emmanuelem Philibertum enixè rogarat, vt adhibito Chiuernino viro prudente, regioque conſiliario, pacem inter Biragum, & Belagardium conciliaret. quod ſanè haud magnam difficultatem habuit, vtroque alienationis cauſſas vel ex animo deponente, vel diſsimulante, ne ſimul Regem reconciliationis auctorem, & Emmanuelem Philibertum hortatorem offenderent. *Conciliatur vterque alteri.* præmiſerat item Rex Belagardium ad Catherinã matrem Reginam, atque mandata ad eam de grauiſsimis rebus dederat, & literas ſua manu ſcriptas; quibus multa de Belagardij fide, & amore, & rerum vſu, & rei militaris ſcientia, & de ſua in hominem beneuolentia ſignificabat. qua ratione ſe in eam veniſſe ſententiam affirmabat, vt eum honoribus augeret, atque ſi ipſa probaſſet, vnum ex ſummis quatuor Gallici Regni præfectis, quos Mareſcallos vocant, renuntiari iuberet. *Belagardius ad Reginam miſſus.* quod vbi aſſentiente Regina factum eſt: magnus quidem ei acceſsit ſplendor, & dignitas, non parùm aucta eſt potentia. Sed hæc ipſa ſummã offenſionem inuidiæ, virtuti grauis aduerſariæ in eundem excitarunt. *Mareſcallus creatur.* Breui autem auctoritas eius non ſolum cuique nobiliſſimo, ac primario viro ſuſpecta fuit; ſed etiam ipſius Reginæ matris animum vehementer commouit: quæ ægrè ferebat, quemquam apud Regem filium tanta valere gratia; vt ab eo omnia facilè impetraret, & quocumq; vellet, animum eius impelleret: Belagardium verò multò magis, magno hominem ingenio, ſummoq; conſilio, & ſumma in rebus gerendis prudentia. Sed eum odiſſe etiam cœpit: cum ille in conciliis de re propoſita ſemper liberè quæ ſentiret, diceret; nihil ad eius voluntatem loqueretur: nonnumquàm etiam, vbi opus eſſet, idq; ex vſu Regis eſſe duceret, apertè ab eius ſententia diſſentiret. *Regina odiũ in Belagardium.* Quare ab ea, & à nonnullis Gallorum proceribus clàm inita ſunt conſilia de auctoritate eius minuenda, conuellendaq; gratia: atq; illud in primis ſibi agendũ putarũt, vt eum à Regis conſuetudine remoue-

rent

Belagardius in Delphinatū mittitur.

rent, atque aliquò procul ablegarent. facilè verò aſſimulati honoris ſpecie Regi ſuaſerunt, vt eum ad conficiendum reliquum bellum, quòd adhuc in ea Allobrogum parte manebat, quæ Delphinatus appellatur, mitteret: quòd hunc vnum virtute bellica, fortitudineq; antecellere cæteris præfectis affirmarent. Sed cū alieno tempore eò veniſſet, neque pecuniæ ad dandum militi ſtipendium in tempore mitterentur, neq; cætera belli ſubſidia opportunè ſubminiſtrarentur, atq; ea ratione, quæ pleriq; ſperabant, non procederent; quoties Rex in eius mentionem incidiſſet, rodendi, & facta eius carpendi nullam occaſionem amittebant. Quare iuuenilis animus Regis, doli & fallaciarum ignarus, horum ſermonibus captus deprauabatur: imminutaq; paullatim, quam de Belagardij virtute habebat opinione, ſenſim etiā in eius pectus obrepebat commutatio voluntatis. Belagardius longè aberat, & in Regis aula, qui partes ſuas tueretur, habebat neminem; vt inimicis facilè eſſet hominem auxilio deſtitutum oppugnare, maximè verò nouæ abſentiæ longioris cauſſas texere. odium latebat: atque illud eò pernicioſius, quòd amicitia, & beneuolentia, & officii ſimulatione tegebatur. Itaque Rex nihil mali ſuſpicatus, putanſq; nihil fraude, doloué agi, cum Belagardius ad eum rediſſet, neque minus quicquam eo tēpore, quàm de diſceſſu cogitaret, honorifica legatione auctum, & ornatū iri exiſtimās; ab eo per homines idoneos petit, vt ſe quàmprimùm ad magnum iter expediat. mandat vt ſine mora Cracouiā proficiſcatur: Polonos Principes in officio contineat: impetret, nè quem alium Regem ſibi conſtituant: ſpem afferat, ſublatis ſeditionibus conſtitutiſq; Galliæ rebus, cum primùm Regina filiū pepererit, Regem ad eos rediturum, daturumq; operam, vt oēs intelligant, Polonos ſibi non minori curæ eſſe, quàm Gallos. Nō erat ignarus Belagardius, quò pertineret ea legatio, quorſumq; euaſura eſſet diuturnior abſentia. Quicquid verò ageret, id in ſuam perniciem caſurum intelligebat. nam ſi legationem obiret non dubitabat, quin inimici, qua via, quibus cuniculis cæperant, abſentem eſſent oppugnaturi. Sin excuſatione vteretur, verebatur ne illā non eſſent accepturi: quin ēt daturi vitio, ꝙ la-

Rex à ſuis deceptus.

Belagardius ad Polonos deſtinatur.

bo-

Digitized by Google

borem defugiſſet, vel quòd alienati animi dediſſet indicium: Sed cum nullum vnquam mandatum Regis antea neglexiſſet; ne tunc quidem ab officio diſcedendum putauit: alacritetque reſpondit, ſe libenter, quæ Rex vellet facturum omnia, nihilque morari quin illicò ſi ità placeret, iter ingrederetur. Quare nulla interiecta mora, quid ei agendum eſſet ſecreto ex formula præſcriptum: mandata plura, non minus verbo, quàm ſcriptura data: literæ ad Polonos Principes grauiſſimis verbis ſcriptæ, & cum magna nominis eius commendatione. atque hæc confecta celeriter omnia: vt nihil iam ad profectionem deeſſe videretur, niſi grandis pecunia qua maximè opus erat, & ad longum iter, & ad redimendas liberalitate, largitionibuſq; Polonorum voluntates. Sed cum ea neque ex inani Ærario depromi poſſet, neq; facilè, vel tributis, vel alia ratione confici; Belagardium hortati ſunt Regij miniſtri, vt Alpes confeſtim tranſiret: affirmantes Regem ducena millia nummûm aureûm primo quoq; tempore ei curaturum: quam pecuniam partim ab Emmanuele Philiberto, partim à Venetis mutuam ſumpturus eſſet. Belagardius Carmagnolam venit: vbi promiſſis, ac diutina ſpe defatigatus, & ſenſit verba ſibi dari, & alienatum Regem intellexit; cum ad ipſius literas non reſponderet, quibus ſemper antea reſcribere, ſuaque manu plerunque conſueuerat. Quibus rebus vehementer permotus, & multa ſecum ipſe agitans, ad Emmanuelem Philibertum venit: quæ ad eum diem acciderãt, ac quo in ſtatu res ſuæ eſſent, aperuit, ſæpè miniſtros regios, & Regem, nonnunquam etiam fortunam ſuam, & ſe ipſum quòd deludi ſe paſſus eſſet accuſans. Vbi Emmanuel Philibertus animum eius grauiter exulceratum videt, ſimulq; animaduertit, eum ab hoſtibus Regis magnis pollicitationibus, vt ab eo diſcederet, ſolicitari: longè repetito ſermone, atq, amantibus verbis iratum lenit: hortatur vt in fide maneat: quantum Regi debeat, commemorat: monet etiam atque etiam videat, ne inimicos dùm vlciſci vult, eò temerè progrediatur, vnde ſaluo officio exiſtimationeq; reuerti non poſſit. ac quoniã ſciebat, eum in ſumma difficultate nummaria eſſe, tenuitatem eius ſua

Belagardius Carmagnolam venit.

Cum Emmanuel. Philib. de Rege conqueritur.

Digitized by Google

benignitate ſuſtentat, pecuniæ ſummam non exiguam ei liberaliter numerari iubet qua ad vſus vitæ vteretur. Eodem tempore tabellarium ſumma celeritate in Galliam proficiſci iubet. ſcribit Regi quantoperè rei eius interſit, non alienari ab eo Belagardium: quin potius omni conatu retinendum docet: hominem benemeritum, ſummi conſilij, qui magno vſui eſſe poſſet, cuiuſq; virtutis ac præſertim bellicæ, apud omnes eſſet opinio ſingularis. Quæ ſanè quoniam veriſſima erant, & conſilio prudentiaq; nitebātur, Regis animum permouiſſent: ſed nihil profuerunt reſiſtentibus aduerſarijs, quorum oculis priuata ſimultas tantam caliginem offuderat, vt publicum bonum vel non viderent, vel vlciſcendi, lædendiq; cupiditate incenſi negligerēt.

Emmanuel Philibertus Regi ſcribit.

Interim iræ, inimicitiæq; inter Belagardium, & Biragum, quas vterque eorum, diligentia, atque hortatione Emmanuelis Philiberti depoſuiſſe videbatur, non ſublata earum materia, quæ erat emulatio, vel potius dominandi cupiditas, rurſus exarſerant: & incendium illud alter alterius ruina reſtinguere conabatur. Et quoniam vterque partem Salutienſis ditionis regebat; quæ ditio in media propè Subalpina ora poſita eſt; verendum erat, ſi duorum hominū diſſenſiones, controuerſiæq; longius progreſſæ eſſent; ne ex eis tota regione graues motus excitarentur, magna vicinis populis incommoda, magnæq; calamitates afferrentur.

Odia Biragi & Belagardij renouantur.

Quibus vt illos prohiberet Emmanuel Philibertus; alterum omninò inde remouendum, nactus præſertim occaſionem, putauit. Præerat Narbonenſi Galliæ Danuilla; atque cum finitimis Vgonotis amicitiam iunxiſſe, & conſilia communicaſſe putabatur. Sed cum eo tempore à nonnullis diffideret, armiſque cum eiſdem contenderet; egit per nuntios cum Rege Emmanuel Philibertus, vt Belagardium Danuillæ, à quo is amabatur cum valida militum manu auxilio mitteret: ſimulq; Memorantium Danuillæ fratrem liberaret, quem in carcerem cōiecerat: quæ res Danuillam à Rege non parùm vti diximus, alienarat: ſic enim & Danuillam accepto beneficio Regi reconciliatū iri, & Belagardium è Subalpinis diſceſſurum prouidebat. Rex totam rem probat: Memorantium liberat: Belagardium euocat,

Emmanuelis Philiber. conſilium.

&

&c cum copijs ad Danuillam mittit. Danuilla itē recepto fratre ab Hugonotis omnibus diſcedit, ad Regem redit: auctuſq; Belagardij auxilijs, communi conſilio bellū cū Hugonotis feliciter gerit. iamq; ambo magnam eorum partem acrius premebant, atque in maximas anguſtias compulerant, cum Regi viſum eſt Hugonotis illis pacem dare, & eos in gratiam recipere. Quare ab armis vtrimq; diſceſſum eſt: & dimiſſis copijs Belagardius Taraſconem ſe recipit, neq; ibi diù quieſcit. Homo elatus, neq; maioribus parere, neque ferre æquales poterat. pręterea, otij inſolens pacem oderat: vt belli materia deficiente, priuatim plerumq; cum multis contenderet. Primùm autem improbos rumores ſparſit, miſſos à Galliarum Rege & à Regina matre milites nonnullos, vt ſe clàm interficerent, idq; paſſim perſuadere conatus eſt; ſed fruſtrà. nemo enim ſanus rem indignam, & ab eorum integritate animiq; magnitudine prorſus alienam credidit. Poſteà rebus ſuis multorum amicitia cum in Prouincia, tum in Delphinatu confirmatis Tarraſcone diſceſſit, & Carmagnolam venit. Biragus interim Regem monuerat, à præfectis Hiſpanis Mediolani conſilia de bello agitari, ſed ſilentio tegi: eoſq; id agere ne prius efferrentur, quàm oppidum aliquod repente Gallis eripuiſſent. itaque Rex ad Belagardium ſcribit, vt diligenter ſibi caueat, detq; omnem operam nè quid per repentinam vim dolumué detrimenti accipiatur. Belagardius literis Regis acceptis, tanta occaſione oblata, celerrimè Anſelmum amiciſſimum ſuum, & Goum Aquitanum, Anſelmi ſocium, veteranos duces, atque ad vim & omne facinus paratos, Auenione euocat, amboſque in oppido Centale cum peditibus circiter ſexcentis collocat. Quibus cognitis Biragus perniciem ſibi admaturari intelligens, petit ab Emmanuele Philiberto, vt ſe ad colloquium venire patiatur, vel domeſticum aliquem mittat, quo cum liberè, quæ in vtriuſque rem ſint, communicet. Andreas Prouana tunc fortè ex Villafranca reuertebatur: qui acceptis à tabellario in itinere Emmanuelis Philiberti literis, ad Biragum venit. ex eo cognoſcit Belagardium, potentium amicorum opibus ſubnixum, crebroque grandem ab eiſdem pecu-

à Rege probatur.

Belagardius Taraſconem, inde Carmagnolam.

Belagardius milites contrahit.

Prouana ad Biragum miſſus.

niam accipientem, id vnum conari, vt ipſo expulſo omni Salutienſi ditione potiatur: quod quidem ſi accidat, latius manaturum id malum; magnaque incommoda Regis rebus allaturum. Quibus permotus Emmanuel Philibertus, confeſtim

Item ad Belagardium.

Prouanam, addito Hieronymo Purpurato, Salutienſi præſide, ad Belagardium mittit. ij hominem monent, hortantur, rógant, tacitas minas precibus miſcent: auctores ſunt ne temerè à ſe veteres amicos alienet. tandem impetrant, vt nihil noui per dies triginta moliatur: quibus & ipſi, & Birago liceat ad Regem mittere, & ijs quæ vellent expoſitis, eius voluntatem explora-

Emmanu. Philib. Regē prudenter monet.

re. De ijs omnibus Emmanuel Philibertus Regem diligenter certiorem facit: Belagardij animum offenſiorem eſſe ſignificat. proponit rem eum dignam potentia, & magnitudine Regia facturum, ſi ambobus couſuluerit. poſſe enim facilè vtrique præfecturam, & adminiſtrationem prouinciarum deferri, dummodò alteram procul ab altera diſiunctam: ne finium vicinitas aliquam ad nouas diſſenſiones commouendas, irritandoſq; eorum animos occaſionem offerat. Quòd ſi nihil curet quo ſit in ſe animo Belagardius, quem tamen meminiſſe debeat, & munitiſſimis oppidis præeſſe, & magnum armorum, telorum, tormentorum, omniſq; inſtrumenti bellici numerum habere; neceſſe eſſe affirmat vires Birago addi, eumq; valido militum præ-

Monet item Biragum.

ſidio confirmari, vt ſeſe opponere, & reſiſtere Belagardio, atq; hominis audaciſſimi frangere cupiditatem poſsit. Eodem tempore Biragum prudenter monet; animaduertendum ait, dignitatis, & exiſtimationis, totiuſque ſtatus ipſius ſummam in ea contentione verti. proinde magno conatu, ſtudioq; agendum: neque ſpem omnem in ſolo Regis præſidio ponendam; ſed aliundè etiam, præſertim ab amicis, auxilia petenda; atq; in primis oppidum Salutium ita defenſionibus, & munitionibus firmandum; vt eis obtinendi inimico ſpem eripiat, ipſe amit-

Regis error & Biragi.

tendi periculo liberetur. Grata fuiſſe conſilia æquè Rex, atque Biragus oſtenderunt, laudarunt, gratias egerunt. Dum tamen cœpto iam morbo, inuenta, probataq; remedia non adhibentur; vterque ſibi ipſe defuiſſe viſus eſt: Biragus, dum facilè quæ

vult

vult ſperat; hoſtis vires non expendens, ab eo parum metuit: Regis auxilijs nimiùm confidit, aliena ope indiget, & in ea paranda negligenter agit. Rex verò, dum neq; Belagardium obſequio retinet, neque Biragum imparatum, propeq; inermem ſubſidio munit. Hominem enim tantùm, & hinc haud magnæ auctoritatis ad Belagardium mittit cum mãdatis, grauibus ſpecie, re inanibus, præterea Ludouici Gonſagæ Niuernenſium Ducis, qui cum eo graues inimicitias apertè gerebat, domeſticum, & familiarem. Quare Belagardius, & legatione permotus, & legato offenſus, vix ſibi temperauit, quin id protinus ageret, quod animo iampridem agitabat. Sed Emmanuel Philibertus, cui omnia Belagardij conſilia ab eiuſdem intimis enunciabantur, reſtitit, & peruicit. perſuaſit, in officio ei manendum tantiſper ſaltem, dum Rex, redeunte ad ſe legato, de rerum illarum ſtatu, cognoſceret. Neque multò poſt Carmagnolam mittitur à Rege Lancoſmus, vir grauis: qui cum Belagardio liberrimè loquitur, Regemq; ipſi iratum eſſe, nihil diſsimulat. tum ſeſe ad Emmanuelem Philibertum conuertit, atque eum ad arma pro Birago aduerſus Belagardium capienda impellere conatur. Sed is fortè binas eodem tempore à Rege recentes literas accipit, alteras à Belagardio, alteras à Birago miſſas, quibus Rex ab Emmanuele Philiberto petit, vt in ſua ditione vtrique eorum conſcribere, & educere pedites quingentos permittat: quibus alter Carmagnolæ, alter Salutij præſidium augeat. de bello verò mouendo verbum nullum. Imprudentis igitur eſſe cenſet, temerè ad arma deſcendere: præſertim non petente Rege, atque excitare magnum in Subalpina prouincia incendium, quod poſtea extingui facilè non poſsit. cum ſe minimè lateat, quibus viribus, quibuſque amicis Belagardius innitatur. de peditatu verò, quod Rex poſtulabat, tàm Belagardio, quàm Birago liberè concedit. Tum euocato ad ſe Lancoſmo, docet non de ſuo commodo, ſe ſolicitum eſſe: ſed de tuenda regia auctoritate: vereri enim ne Belagardius dicto audiens non ſit, Regiſque abſentia confiſus, maieſtatem eius minuat, & imperium negligat. Quòd ſi Rex fortiter rem ſuſcipiat, ſecum-

Belagardius in officio continetur.

Lancoſmus à Rege ad Belagardiũ. Item ad Emanuelem Philib.

Prudens Emmanuel. Philib cõſilium.

que

que ſtatuat, coërcendam armis Belagardij temeritatem, ſe non defuturum pollicetur. quin etiam, vt Summus Pontifex, Venetique, & conſilia, & arma coniungant, ſe daturum operam affirmat. ſin cunctetur, atque agat lenius; fruſtrà eumdem in amicorum auxilijs ſpem poſiturum: nemine aliena pericula libenter ſubeunte, vbi qui periculi princeps eſſe debet, apertè ab illo refugiat, & quem bellum ſuſcipere deceat, idem bellum detrectet. Per eos dies Taurinum venerat, Aumeniæ Dux, vt controuerſiam, quam de Marri, & Tendæ ditionibus cum Sabaudis Principibus habebat, componeret. Cum autem Emmanuel Philibertus optimè ſciret, Belagardium ad eam perficiendam rem idoneum eſſe: quòd eius cauſſæ ſtatum ille antea cognouerat, hinc ad accerſendum ad ſe hominem cauſſam arripit. dirimendæ controuerſiæ ſtudium oſtentat: re ipſa cum eo colloqui mirum in modum cupit, vt eum ab occupandi Salutij conſilio reuocet, atque à propoſito deterreat. Quare vbi is aduenir, moram nullam interponit; nihil omittit, omnia tentat, omnia experitur; hominem auctoritate, argumentis, precibus aggreditur: Aumeniæ Ducem adhibet; addit & Carolum Emmanuelem filium, cuius oratione Belagardius maximè permoueri, quemque vnicè colere, & reuereri præſeferebat. Sed is à ſententia non dimouetur. peſſimæ cupiditates vlciſcendi, dominandique altiſſimis defixæ radicibus ex eius pectore euelli non potuerunt. Quæ tamen reſpondit contumacia caruerunt, & arrogantia: plura enim ab eo in eam ſententiam allata ſunt, quare negotio deſiſtere non poſſet: iuſto dolori ſuo petijt ignoſci. Se à Birago multis prouocatum iniurijs affirmauit, priuataſque cum eo iam inde à multo tempore inimicitias habere: quas ſibi vel neceſſarium eſſet perſequi; vel ignauiæ, formidiniſque ſuſpicione, quamcumque ſibi antea fortitudinis laudem peperiſſet, obſcurari. Se tamen quam fidem præfecti, miniſtrique regij præſtare debent, integerrimè Regi præſtiturum; neque ius, aut officium vllo vnquàm tempore violaturum affirmat. Illud pro certo pollicetur, ſe militis Hugonoti opera, niſi aliter fieri nequeat, non vſurum: ac re confecta, neminem amplius

Aumeniæ Dux Taurinum.

Belagardius perſequi Biragum ſtatuit.

Pollicetur non vſurum Hugonotis.

factio-

factionis illius fautorem apud ſe eſſe paſſurum. Hic erat totius negotij nodus; admodùm difficilis. quare Emmanuel Philibertus hoc loco Belagardium vrſit, inſtitit; neque prius à ſe dimiſit, quàm idem coràm Epiſcopo Laudenſe, Summi Pontificis legato, atque Ioanne Franciſco Molino, Venetæ Reipublicæ oratore, & ſcripto, & iureiurando confirmaſſet. Poſt id tempus miſſus eſt à Rege Salutium Luſſanius caſtrorum præfectus: percrebuitque rumor tota regione, ſed inanis, magnas cum eo regias copias aduentare: pedites enim vix quadraginta ſecum adduxit. Quibus cognitis, Belagardius cum Regem nihil de offenſione iam cæpta remiſiſſe intelligeret, ſed in dies eius animum à Renato Birago, alijſque inimicis ad odium magis incendi; eodem tempore reconciliationis ſpem, & dubitationem, & moram, cunctationemq; omnem abiecit, promiſſa auxilia ab Adigetia confeſtim mitti poſtulauit, Hugonoticæ factionis illius principe, quæ tum in Delphinatu longè, lateque diffuſa erat: à quo veteranos Duces Gouernetum, & Aſpramontem cum equitibus trecentis paucis poſt diebus accepit. *Auxilia petit.* Tùm è finitimis locis, valle Angronia, & Pragelato magnum numerum agreſtium, & Montanorum hominum mercede conduxit; *Copias cogit.* iiſq; ad reliquas copias additis, atque è Carmagnola muralibus tormentis decem cum omni ſuo inſtrumento eductis, Salutium proficiſci conſtituerat. Eius cognito conſilio, Emmanuel Philibertus ad eum ſubitò contendere Prouanam iubet. mandat, ſi hominem retinere nequeat, vt moram quamcumque poſſit profectioni afferat. Incidit Prouanæ aduentus in eum diem, quo duces, de quibus diximus, cum equitibus Carmagnolam peruenerunt. quare copias illas inſpiciundi, ac quantum in illis roboris, & virium eſſet, cognoſcendi ei poteſtas fuit. Cum autem prudentiſsimus vir nullum diſſuadendi locum omiſiſſet, quin etiam ad nouiſsima remedia, atque ad preces deſcendiſſet, neque quicquam impetraſſet, eodem, quo venerat die, Taurinum rediens, quæ apud Belagardium gererentur, ordine expoſuit: atque de ijs omnibus Emmanuel Philibertus diligenter, celerrimeque Biragum certiorem fecit. Poſtridie eius diei Bela- *Salutium perſciſcitur.*

gar-

Salutium proficiſcitur. gardius cum ſuis copijs Salutium verſus profectus eſt. cuius cognito aduentu, Biragus hoſtem armatum infirmis ipſe viribus expectandum non putauit. Luſſanium in arce Salutij collocauit, vt eam, quamdiù ſine periculo poſſet tueretur: milites omnes, quos ſcripſerat, dimiſit, præter duas cataphractorum turmas: cum quibus primò Sabinianum, deinde Taurinum venit. *Oppido potitur.* itaque Belagardio facilè fuit, Salutium, defendente nemine, in poteſtatem redigere, & Luſſanium, oppugnata arce, ad deditionem tertio die compellere, & omni Salutienſi ditione potiri. Quibus cognitis, Emmanuel Philibertus nihil ſpatij Hugonotis, qui in Belagardij auxilium venerant, ad noua conſilia capienda dandum exiſtimauit. *Prouana ad Belagardiũ.* Prouanam ſine mora ad Belagardium miſit, qui ei denunciaret, ſe illum non pro amico, ſed pro hoſte habiturum, niſi conuentis ſtaret, & promiſſa ſeruaret, ſibi, & vtrique legato Pontificio, Venetoque & iuramento, & ſcripto confirmata. monebant eum communia pericula: neque item propria ſalus negligenda videbatur. nam: qui prior ſi bella exorirentur, bellorum difficultatibus, & incommodis affectus fuiſſet, hunc etiam par erat, priorem nefarios motus comprimeret, atque omnia conari quò à ſe imminentem perniciem auerteret. Prouana Belagardio diligenter *Hugonoti dimittuntur.* mandata expoſuit: cumque negaret, ſe antè è Carmagnola, conſpectuque eius diſceſſurum, quàm illos vidiſſet indè receſſiſſe; poſtridie omnes dimiſſi ſunt. Atque id ſanè peropportunæ accidit: neque enim ſceleſti homines vnquam quieuiſſent, nefariæuè ſectæ propagandæ cupiditatem exuiſſent. quos etiam conſtabat, aliquandò, ſed falsò gloriatos ſe in Italia magnum hominum numerum habere, qui eadem praua opinione imbuti eſſent, & eorum rebus occultè fauerent. *Regina Gallorum res cõponi cupida* Dum hæc in Subalpinis geruntur, Catherina Medicea Regis mater, cum diù in Aquitania fuiſſet, atque cum Henrico Cantabriæ Rege egiſſet, vt controuerſiæ cum Hugonotis æquis conditionibus componerentur; eodem conſilio in Prouinciam venerat, cupiebatque in Delphiuatum excurrere. Sed accepto de Belagardij conſilijs nuntio, Marchionem Curtonium ad eum mi-

ſerat,

Digitized by Google

ſerat, vt eum de ſententia deduceret. eo verò re infecta redeunte, cum cognouiſſet dimiſſum à Birago Salutium, atque à Belagardio è veſtigio occupatum; ab Emmanuele Philiberto magnis precibus contendit, vt Gratianopolim ad ſe primo quoque tempore veniret. ſin minus, ipſam, quamuis ei ſenectus grauis eſſet, ſuperaturam alpes, & ad eum venturam: quòd rem delabi in magnas quotidiè difficultates animaduerteret, quæ niſi communicatis conſilijs expediri non poſſe viderentur. Multa erant quæ Emmanuelem Philibertum ab ea profectione dehortarentur, anni tempus duriſſimum maximis infeſtiſſimiſque caloribus: valetudo parùm firma: aſperitas, & longitudo viæ. præterea non ſatis tutò ſeſe alienis regionibus commiſſurum animaduertebat; quas homines incolerent eo tempore duri, feroceſque; vario, & mobili ingenio, inter ſe plerumque diſſidentes, ſæpe etiam armis contendentes. præſtare tamen viſum eſt omnia incommoda perpeti, quàm Reginæ ſpem, opinionemque fallere. intelligebat enim fieri poſſe vt Rex ira incenſus dolorem punire mallet, quàm æquo animo perpeti: ac ſi aliter nequiret, potius Belagardium armis perſequi, quàm inultum relinquere. quod ſi itum eſſet ad arma; prouidebat propter Belagardij militarem ſcientiam, & amicitias, & externa auxilia, & inſtrumenta bellica, & locorum quæ tenebat opportunitates, munitioneſque, rem difficilem exitum habiturã. bellum verò quod conflaretur, Regi victori non multum vtilitatis; victo, detrimenti plurimum allaturum; toti autem reipublicæ Chriſtianæ maximè incommodum, & moleſtum fore. Quibus malis, vt ipſe quantùm conſilio ac ratione poterat, occurreret; ad Reginam proficiſci conſtituit. primarios ditionum ſuarum viros euocari, atque eos ad iter expeditos die certa adeſſe iuſſit. Ex ijs duo equitum millia numero habuit. Ex omni equitatu ſuo leuioris armaturæ tranſalpino, ciſalpinoq; quingentos elegit, fortiſſimo quoque euocato, armiſque, & equis optimè inſtructo. ijs Philippum Ateſtinum generum præpoſuit. Addidit item pedites centum lectiſſimos tormentis minoribus inſtru-

Emmanuel Philib. colloquium petit.

Emmanuel. Philib. conſilium.

ctos, quos Thomæ Iſnardo Sinfredi Comiti, cuſtodiæq; præfecto, attribuit: vt vbicumque conſidere, ac morari contigiſſet; ijs ad ſtationes, excubiaſque ponendas vteretur. Cum hoc comitatu è Montemeliano oppido ad fines Delphinatus poſito diſcedens, per vallem, quæ Griſuandana appellatur, Gratianopolim peruenit. Ibi erat Regina: quæ Emmanuelem Philibertum, prodeuntibus ei obuiam Cardinale Borbonio, & Memorantij, Aumeniæque Ducibus, amantiſſimè, libentique animo accepit. quod enim magnoperè cupiebat, vti Salutienſes res commodiorem in ſtatum peruenirent, Emmanuelis Philiberti vel gratia, vel opera, vel conſilio ſe conſecuturam ſperabat. Erant tamen apud Reginam nonnulli, qui in eo maieſtatem Regiam minui prædicabant; quòd is peditum, equitumque præſidio munitus adueniſſet, beneuolentiæque Reginæ diffidere, & fidem eius ſuſpectam habere videretur. Verùmtamen Emmanuel Philibertus non paſſus eſt, eos diutius in errore perſeuerare. nam poſtridie retentis ijs primarijs viris, quos ſecum adduxerat, atque peditibus centum; à quibus atrium cuſtodiretur, equites omnes leuioris armaturæ dimiſit; quos ab eo conſtabat adductos, non minus, vt id ageretur, quod dignitas poſtulabat, quàm vt graſſantibus ſicarijs, obſidentibuſque vias latronibus, ſecuritati conſuleret. Cœpit deinceps Regina de Belagardio plurimùm queri; quem temerariũ, infidum, & ingratum appellabat. Egitque diligenter de Salutienſi ditione cum Emmanuele Philiberto; crebro afirmans, aliquam omninò ineundam eſſe rationem, quemadmodum afflictis propeque perditis prouinciæ illius rebus ſubueniri poſſet. Emmanuel Philibertus omnia ordine à principio expoſuit. mali totius initium à ſimultatibus inter Biragum, & Belagardium ortum eſſe. quæ, vt vtrinque deponerentur, ſe omnem operam dediſſe: cum nihil procederet, vehementer laboraſſe, vt ſaltem Belagardium in officio contineret. gliſcentibus deinceps mutuis odijs, tempeſtatem à ſe prouiſam: iterum & tertiò monitum à ſe Regem: multa à ſe in medium allata, fortaſſe etiã paullò liberius, quæ malo huic vel tollendo, vel leuando prodeſſe

Emmanuel Phil. Gratianopolim.

Gallorum ſuſpicio.

Regina d Belagardio queritur.

Emmanuel Philib acta à ſe exponit.

po-

potuiſſent: horum nihil actum, neſcire caſunè, an regiorum præfectorum indiligentia. Satis clarè Regina cognouit, in Emmanuele Philiberto neque prudentiam, neque adiuuandi voluntatem defuiſſe: rem verò in eum deductam locum animaduertit, vt de Salutij poſſeſſione, niſi magno negotio Belagardius deijci non poſſet; argumenta & preces, æquè ac minas flocci non faciens. quòd ſi armis experiundum eſſet; exitum bellorum ancipitem eſſe. præterea, ſi vinceret, magnum impẽdium, ſummos labores, multorumque calamitatem, & ſanguinem victoriæ coniunctum iri. Sin vinceretur; ad cæteras iacturas, honoris & exiſtimationis iacturam acceſuram.

Regina omnia probat.

Quare Regina ſe ipſam repreſſit, motus animi ſedauit, ac de priore ſententia decedens clementia, & lenitate Belagardium ſibi deuinciẽdum putauit.

eiuſdem conſilium.

Si enim modò ad Reginam veniſſet, paulloque demiſſius ſe ſe excuſaſſet; eius ſatisfactione accepta videri poterat Regina; id ſponte facere, quod coacta faciebat. quæ ſanè futura erant, ſaltem ad ſpeciem ſatis, atque ad minuendam, quam de Belagardij contumacia vulgus habebat opinionem opportuna. Itaque ad accerſendum eum mittuntur confeſtim nuntij duo: alter à Regina, alter ab Emmanuele Philiberto. Cupiebat Belagardius vtrique obſequi, nec audebat: atque Reginæ, quam prius læſerat, vt ſeſe tutò committeret, verebatur. petebat autem dari fidem ab Emmanuele Philiberto, nihil ſibi nocitum iri: quam ipſe dare ſe poſſe in alieno imperio negabat.

Regina ad Montem Lupellum.

Regina, ne conficiendi negocij optatam occaſionem amitteret, Gratianopoli diſceſſit, & Lugdunum, atque indè ad oppidum Montemlupellum, quod Lugduno proximum in ditione tamen Emmanuelis Philiberti poſitum eſt, peruenit. Tum is nihil dubitauit, quin Belagardium ad veniendum inuitaret. Spopondit enim ipſum tutò venturum, & omnia quæ ad eius ſalutem, ac ſecuritatem pertinerent, in ſe recepit. probius accedenti Andreas Prouana ad Sabaudos fines cum valida militum manu cuſtodiæ cauſſa occurrit; benigneque exceptum ad Emmanuelem Philibertum perduxit; & ambo ad Reginam poſtridiæ profecti ſunt.

Belagardiũ comiter accipit.

In ea nullum offenſionis indiciũ quin etiam ab eadẽ id ſtu-

pioſè actum, vt ſe Belagardij aduentu gauiſam oſtenderet: dilata in poſterum negotia: quo die inſtituti conſultò à prudentiſſima fœmina leniſſimi ſermones, quibus omnem Belagardio alienationis ſuſpicionem adimeret, eiuſdemque beneuolentiam vſque eò ſibi alliceret; vt deinde eorum, quæ ipſa poſtulaſſet, nihil negandum putaret: Sed hominem verſutum, callidumque blanditiæ nullæ fefellerunt. Regina ad omnem lenitatis, & manſuetudinis ſpeciem compoſita, ſuadere Belagardio conabatur, vt Salutienſe negotium Regis arbitrio permitteret, totuſq; in eius poteſtate eſſet: quòd ſi feciſſet, ipſum multò ampliſſima à Regis benignitate præmia conſecuturum, pollicebatur. Vbi ad dimittendum oppidum minus propenſum videt, neque facilè de ſententia deduci, quòd affirmabat, nuſquam ſe ipſum tàm facilè ab inimicorum vel vi, vel inſidijs tueri poſſe; diploma Regis proferri iubet, ad eum diem conſultò à ſe occultatum, vt interim, ſi fieri potuiſſet, rem meliore conditione tranſigeret. Quo diplomate cum Rex Belagardium rurſus Galliarum Mareſcallum diceret, & legatum ſuum in ea prouincia, totaque Italia, atque cum imperio eſſe vellet: Belagardius publicè conceptis verbis iurauit (nam multos Regina ad ſe eo die euocarat, aderantque in primis Emmanuel Philibertus, & Duces Aumeniæ, ac Memorantij, & Conſiliarij Regij, & proceres alij plures,) ſe Regi ſemper fidelem, dictoque audientem fore: eius imperio pariturum: ijs oppidis, quæ tenebat, ſe Regis nomine præfuturum; & pro Rege gubernaturum, atque illa omni conatu, viribuſque ab hoſtibus defenſurum. Quo facto Regina hominem blandè appellatum, laudatum, atque vt in officio maneret pluribus verbis confirmatum, dimittit; ipſa Lugdunum poſtera die proficiſcitur. Sæpe verò Emmanuelis Philiberti ſplendorem, & liberalitatem, & animi magnitudinem admirata eſt, qui eam lautiſſimo hoſpitio accepiſſet, omnia ſine eius ſumptu, toti aulæ regiæ copioſiſsimè ſuffeciſſet, ac præterea eiuſdem aulæ illuſtres fœminas, miniſtroſque magnis donis cumulaſſet. Sed is præmiſerat Ioannem Paulum Capram equitem, ex familiæ præfectis vnum, cuius præ

Belagardius in gratiam recipitur.

Emmanuel. Philib. ſplendor.

cipua

cipua opera vti ſolebat, vbi regio apparatu accipiendi ſummi hoſpites eſſent. hunc enim mirificè probabat, quòd erat ſolers, & elegans, & vrbanus: ac multò magis, quòd ſciebat hominem natura paullò largiorem nulli impendio parſurum, quò ſplendidiſsimè res ageretur. Paulus igitur tantam occaſionem nactus Principis expectationi reſpondit; cumulatè munus ſuum expleuit; Reginam incertam reliquit, ſumptus nè elegantiam, & ſplendorem; an ſumptum ſplendor, & elagantia ſuperaſſent.

Diſcedenti poſtea Belagardio Emmanuel Philibertus comitem itineris addidit Prouanam cum prætoria cohorte, qui eum ad Montemmelianum vſque perduceret. Nam quamdiù hominem illum apud ſe habuit; nulla res ei maiori curæ eſſe viſa eſt, quàm illius ſalus: cui lectum etiam propè cubiculum ſuum ſterni iuſsit, vt eædem excubiæ, vigiliæque pariter pro vtriuſque tutela ponerentur. Quamdiù in Monte Lupello fuerunt, magnum in oppido peditum numerum habuit. equites omnes tam leuioris armaturæ, quàm cataphractos in proximis vicis, & pagis, quà iter in Delphinatum, & Lugdunum erat, collocauit. illis mandatum erat, vt ſingulis diebus, noctéque ipſa vias omnes percurrerent: quare viatores conſiſtere cogebant, quærenteſque quinam eſſent; quò iter haberent, atque itineris cauſſas, & ornatum eorum, & comitum numerum obſeruantes, Emmanueli Philiberto ſtatim omnia nuntiabant. ita fiebat, vt nemo improuiſus illuc accederet; & omnes, tàm peregrini, quàm incolæ priuſquam ad oppidum peruenirent, probè noſcerentur. Nam, vt Belagardium ad veniendum induceret, eum in fidem ſuam receperat, ſaluumque ac tutum ſe præſtiturum ſpoponderat: quod ſibi quacunque ratione efficiendum putabat: Princeps ita natura factus, & ſic ab ineunte ætate aſſuetus, vt nihil indignius putaret, quàm promiſſa non ſeruare, fidemuè fallere; atque à mendacio, fraude, dolo, fallacia, prorſus non abhorrere. Maximam rediens domum Belagardius confecto ex ſententia negotio, percepiſſet lætitiæ voluptatem; niſi breui tempore, & lætitiam, & vitam ſimul amiſiſſet. Felicitates enim malis artibus quæſitę, ſi felicitates appellare

Studium d Belagardij ſalute.

Belagardius moritur. faſ eſt, rarò diuturnæ. Carmagnolam enim indeque Salutium tantùm venerat, cum in maximum morbum incidit, ſummiſq; & grauiſſimis inteſtinorum doloribus cruciatus, poſt diem quintum, fine vitæ facto, elatus eſt. Moriens filium Cæſarem adoleſcentem Anſelmo legato ſuo, & Goo Aquitano commendauit; qui iurarunt, ſe eum non deſerturos, omnemque daturos operam, ne à Salutienſi præfectura remoueretur. *Motus ex eius morte.* Cognita Belagardij morte Emmanuel Philibertus maiores in Salutienſi ditione motus expectabat. Succedebat patri filius ætate adhuc non firmata, nec ad fallendum, nec ad cauendum; neque ad audendum, reſiſtendumuè ſatis idonea; præterea ſine auctoritate, ſine rerum vſu, ſine militari fauore. verendum erat etiam ne ex eorum diſcordia, qui in procuratione præfecturæ illius erant, omnia miſcerentur. atque hoc Emmanueli Philiberto longè moleſtiſſimum erat, qui tot, & tantos labores pro Salutienſis prouinciæ otio, ac quiete ſuſceperat, *Anſelmus Arcem Salutij occupat.* coſque omnes ad nihilum recaſuros prouidebat. Neque eum ſua fefellit opinio. nam haud multo poſt Belagardij mortem Anſelmus ab eius filio Cæſare magis diligi, pluriſq; fieri Goum, quàm ſe, leuiter ſuſpicatus, adoleſcentem fortè ex Salutij arce egreſſum, vt in oppido eſſet, ac paullò poſt redeuntem cum paucis recipit, cæteros comites, ſublato ponte excludit: moxque in eundem manum iniici, atque ipſum, & ſuos omnes comprehendi iubet. graui tamen, nec opinato caſu perculſum afflictumque conſolatur, timentem confirmat, benè ſperare, & bono animo eſſe iubet. ſe quod fecerit, non eius lædendi, ſed tuendi cauſſa feciſſe dicit; nè præceps adoleſcentia ferretur, neuè malis leuium hominum conſilijs deprauatus, ſua omnia, & ſe ipſum imprudens perderet. Cæſar quæ dicebantur, vel temerè credidit, vel credere ſimulauit: acceptiſque, & datis nonnullis conditionibus, & ſcripto, & iureiurando vtrimque confirmatis, in gratiam cum Anſelmo redijt: eidemque ingrediendi in arcem *Rex Valletā mittit ad Emman. Phil.* & exeundi deinceps libera poteſtas fuit; ſed retinente nihilominus arcis imperium Anſelmo. Henricus Galliarum Rex, accepto de Belagardij morte nuntio, Valletam iuniorem, qui po-

ſtea

ſtea Eſpernionius Dux appellatus eſt, Belagardij propinquum, & neceſſarium, Taurinum miſit cum literis, & mandatis ad Emmanuelem Philibertum: à quo poſtulauit, vt qui ſemel iàm Salutienſem prouinciam ab omni periculo conſeruaſſet; eamdem in poſterum tueretur: curamque, & cogitationem ſua beneuolentia dignam ſuſciperet, vt ea prouincia rectè gubernaretur: mandarat enim Rex ne quid in ea ſine ipſius conſilijs gereretur; quæ ſemper amantiſſima, fideliſſimaque expertus eſſet. Ad ea Emmanuel Philibertus humaniter reſpondit, de ſua in Regem voluntate, quam ei facto teſtatam eſſe mallet quàm verbo, non multa dicturum. poſſe etiam Regem ex præteritis futura conijcere: nihilq; ei dubitandum eſſe, quin nominis eius ſtudioſiſsimus ſit, atque omnia eius cauſſa cupiat: facturus etiam pro commodis eius quæcumque poſsit, ſaluo atque incolumi rerum ſuarum ſtatu. Sed eorum meminiſſe Regem oportere, quæ ſuperioribus diebus referenda ei per Lancoſmum curauerit. Decere eum qui regnat, Regem agere, & in arduis rebus primas ſibi partes ſumere, cæteriſq; ſe Principem oſtendere: deniq; omnem operam dare, vt populos fideles lenitate quidem, clementiaque in officio contineat: ſed etiam coerceat dubiorum temeritatem ſupplicij metu. ita fore, vt boni diligant, mali non audeant. illi verò, ſi oderint: vt ibi plerumque fit, vbi timetur; propriam tantùmmodò culpam præſtandam, de aliena malitia, vitioq; non laborandum. Valleta ab Emmanuele Philiberto digreſſus, Salutium ad Cæſarem Belagardiũ venit; ex quo diſcordias omnes & earum cauſſas optimè cognouit. Eum verò facile ab Anſelmo alienauit; quem proditionis inſimulabat, atque in ijs conditionibus, quas alter per vim tuliſſet, alter metu coactus accepiſſet, manēdum negabat. Quare ambo Goum in primis ſibi adiungunt, militum voluntates conciliant, arce, vel oppugnata, vel obſeſſa, præſidium quod in ea Anſelmus collocarat, eijcere conſtituunt, ad Emmanuelem Philibertum confugiunt: auxilium petunt: rem in celeritate poſitam docent. niſi enim Anſelmi diligentiam anteueniant, quem auctis ex Delphinatu copijs breui confirmatum iri non dubitent, ſe duriore

Emmanuel Philib. prudenter reſpondet.

Valleta Salutium.

Iuuari petit ab Emman. Philiberto.

con-

Digitized by Google

conditione bellum geſturos affirmant. Emmanueli Philiberto quæ Regi promiſerat, in mentem veniebant, animaduertebat item credulum & incautum adoleſcentem à vafro, verſutoque veteratore circumuentum. arcem Salutij iniuſtè, temereque occupatam: tumultus denuò conflatos, qui celerrimè comprimẽdi eſſent, ne fruſtrà incendium extinctũ eſſet, q, tàm citò rurſus excitaretur. Recordabatur conueniſſe coràm ſe non ita pridem inter Vallettam, & Anſelmũ, vt Anſelmus Centali oppido præficeretur, eoque contentus eſſet, neq; ad vllam aliam præfecturam aſpiraret. His de cauſſis Valletæ, & Belagardio ſubſidium mittendum cenſet. ex delectibus ſuperioris temporis tria peditum millia, equites trecentos in armis eſſe iubet: Ioſephum Careſanam Montiſregalis præfectum, & Ferdinandum Vitellium præficit, atque vt ambo quamprimùm Salutium proficiſcantur, & Valletæ auxilio ſint imperat. Nuntios ad Adigeriam, alioſque Delphinatus, & Prouinciæ præfectos mittit. quid conſilij ſui ſit, ſignificat. ſe arma ſumpſiſſe Anſelmi temeritate, ſcelereq;, & Regis commodo, & totius Subalpinę oræ ſalute coactũ docet. rogat, ne conſilia cum Anſelmo communicent, neuè cũ armis, pecunia, commeatu, iuuent: id ſe beneficij loco accepturum, eiuſque non immemorem futurum pollicetur. aliter quidem, eos ſe eodem, quo Anſelmum, loco habiturum affirmat.

Emmanuel Philib. auxilium mittit.

Ab omnibus benignè reſponſum eſt, ſe in officio manſuros ac, ſi quid aliud vellet, magno, libentiq; animo facturos. Quare ad arcem Salutij adductæ copiæ, tormẽtaq; muralia promota. Sed cum Spiliardus, quem Anſelmus arci præfecerat magnæ hominem audaciæ, præmi cæpiſſet, eumq; omnis ſubſidii ſpes deficeret, rem ſibi eſſe non tàm cum Valleta, quàm cum Emmanuele Philiberto intelligens, protinus nuntios ad eum mittit, ſeque in eius poteſtate fore, & imperata facturum ſpondet. Emmanuel Philibertus mandat, vt ſtatim ex arce excedat: eam Valletæ, & Cæſari Belagardio reddat, Anſelmus in oppidum Centale, vtì prius cum Valleta pepigerat, ſeſe recipiat. Quo negotio confecto, Salutienſis ditio, deſertoribus, prudentia & virtute Emmanuelis Philiberti à furore reuocatis, atque ad præſtã-

Salutij arx recipitur.

dam,

dam,quam debebant, fidem conſilio & auctoritate compulſis, iterum ad Henrici Regis imperium rediit. Belagardius autem ſecum Valleram nonnullos dies retinuit; quibus ambo concordes in eam venerunt ſententiam,impetrandum à Rege, vt ſuas præfecturas commutaret. vt Cæſarem Belagardium equitibus leuioris armaturæ præeſſe iuberet, quorum tunc Valleta natu maior huius frater præfectus erat: vt idem Valleta Salutienſi prouinciæ præficeretur,atque in Italia Regis legatus eſſet. cõmuni multorum vitio,qui animi mobilitate,ſua faſtidientes,aliena cupidè appetunt quæ vbi ſunt conſecuti, pœnas deinceps dant imprudentiæ, & leuitatis ſuæ,dum eos è veſtigio pænitet, pudetque deteriora melioribus dimiſſis, elegiſſe; atque eodem tempore & incommodo affici,& ſibi temeritatis notam inuri.

Voluera inſidijs petitus.

Hæc dùm inter eos aguntur, Dominicus Voluera prouincia Subalpinus, patria Vigonenſis,à Rogerio Belagardio ſuperioribus annis perductus in Poloniam,ac Regi Gallorum Henrico propter militarem ſcientiam notus, cum arci Carmagnolæ præeſſet, animaduerteretq; pedites Aquitanos in arcem paullatim ab adoleſcente Cæſare Belagardio recipi, iamque receptos plures,eà de cauſſa, vt ſe paullò poſt ex arce expelleret: Belagardij conſilium occupat: manum militum; quibus confidebat, cogit. ijs occultè introductis, Aquitanos nihil huiuſmodi ſuſpicantes,repentè aggreditur; ex arce eijcit, ſeque poſthac neque Cæſaris Belagardij, neque cuiuſquam niſi vnius Gallorum Regis imperio pariturum audacter affirmat. de omnibus cõfeſtim Emmanuelem Philibertum certiorem facit: purgat ſeſe illi: id non dolo à ſe, maloué conſilio factum adiurat, ſed neceſſitate, vt vitam ſuam tueretur, quam ſibi ereptum iri non dubitabat,niſi ab Aquitanorum Belagardijq; temeritate, & inſidijs ſibi cauiſſet. in primis verò ſe impulſum dicit ſacramento, quo tenebatur,ac fide, quam in fidem à Rogerio Belagardij patre nõ ignaro Henrico Rege, maximèq; probante, arcem acceperat, vt eam ſemper pro Rege tueretur. quòd ſi pelli ſe ab Aquitanis paſſus eſſet,quæ receperat,præſtare nequiuiſſet. Emmanuel Philibertus quòd Voluera neceſſitatis excuſationem afferebat,

Cæſarem Belagardiũ excludit.

Factum excuſat.

Emmanuel Philib. excuſationem accipit.

quæ vel iuſta, vel probabilis eſſe videbatur, eam accepit. nam quicquid peccaſſet (ſi modo peccarat,) non tempus illud animaduerſionis eſſe exiſtimans, ne verbis quidem hominem caſtigandum putauit; ne ille rebus ſuis diffiſus, de Regis, & ipſius voluntate deſperans, quò ſuæ ſaluti quacumq; ratione conſuleret, aliquid Regis rebus aduerſum, incommodumué moliretur. reſpondit ei tamen grauiter, monuitq; vt ſemper fidei, & ſacramenti, quod Regi dixiſſet, & exiſtimationis ſuæ rationem haberet, neque vnquam ab officio diſcederet. quæ ſi verè præſtitiſſet, ſe ſemper ei beneuolum fore; neque vlla in re, uél conſilio, uel opera defuturum; commeatu, milite, opibus, ſi opus eſſet, libenter iuuaturum. ſin ſui ipſius oblitus conſtantiā non retinuiſſet, neque promiſſa ſeruaſſet; ſe ſemper eum in hoſtium numero habiturum: neque ſolum armis perſecuturum; ſed etiam in eum uti in maieſtatis reum, omnia ſeueritatis exempla editurum: bona omnia, edes, fundos, proſcripturum. Quibus igitur uinculis duobus, plerumque deuinciri homines ſolēt, ſpe, & metu; Emmanuel Philibertus Volueram ita deuinxit, vt ille totum ſeſe ad Regis voluntatem, nutumque conuerteret: quod ſanè maximum ad Regis in Italia res ſtabiliendas momentū habuit. Nam in Carmagnolæ arcem magnis operibus munitam Rex Henricus II conciliata olim pace, vt tormenta omnia muralia campeſtriaque conijcerentur, ibiq; ſeruarentur mandarat, quæ Gallorum Reges ab annis propemodùm quinquaginta, ex Gallijs in Italiam per altiſſimas, & difficillimas Alpes aduexerant; quæq; ex hoſtibus ceperant pluribus ac diuturnis bellis. Porrò Cæſar Belagardius iuuenili ætate, ac maximè flexibili, parùm in conſilio capiendo prouidus, atque ijs quibus confidebat ad deprauandum paratis, quò ſe conuerſurus eſſet, ſciri adhuc nō poterat: ſed adempto ei arcis illius imperio, nihil ab eo mali metuēdum erat, quamuis in deteriorem partem laberetur. Regi verò interim liberum erat de arce conſultare; & quod magis ex re ſua videretur, ſtatuere. Neque verò Emmanueli Philiberto diſplicebat, à Carmagnolæ præfectura Volverā non remoueri; (ſi quidem in officio maneret, & Regi Gallorum fidē præſtaret). Præ-

Volueră monet.

Voluera in fide manet.

Quanta inde vtilitas Regi.

fecto-

fectorum enim Gallorum leuitatem, & inconſtantiam metuebat. illum autem probè norat; hominem conſtantem, & fortis animi: in primis autem, omnibus falſa, fictaue religione deprauatis aduerſarium acerrimum: vt ipſo viuo, atque incolumi, eorum neminem illuc introductum iri confideret. qua de re, eò magis laborabat, quòd plures, & cuniculis, & apertè moliri omnia, vt ciuitatem illam malis doctrinis euerterent, comperiebat. Sed erant, qui vtì magnam in Emmanuele Philiberto rerum alienarum diligentiam commendabant, ita ſuarum maiorem in eo curam deſiderarent. Salutiæ enim, & omnis earum ditio, quin ad ipſum legitimo iure pertineret, dubitabat nemo; qui ſciret Marchiones Salutienſes annis adhinc quadringentis, & amplius, cæpiſſe Sabaudorum Ducum beneficiarios eſſe: imperium nonnumquàm recuſantes, armis ad officium fuiſſe compulſos: anno præſertim MCCCLXIII. cum Amedus V. Sabaudiæ Comes, & Iacobus Sabaudus Achaiæ, & Subalpinorum Princeps ſumptis armis aduerſus Federicum Salutiarum Marchionem contumacem, ad Salutias caſtra poſuiſſent; vrbemque oppugnarent, vtriuſq; partis vno conſenſu ſtatutos arbitros quatuor: eos cauſſa cognita ſecundum Sabaudos pronuntiaſſe. Federicum in eo quod iudicatum erat ſtetiſſe; paruiſſe. eamdem ab arbitris latam ſententiam Carolum Quar. Cæſarem probaſſe, ac ſi quid ad ipſum pertinere videretur, Sabaudis donaſſe. Demum Marchiones plures Federici poſteros, conceptis verbis ſe Sabaudis Principibus fideles fore pariturosque iuraſſe: vt nullus relictus videretur ambigendi locus, quin poſtremò Marchionum illorum deficiente progenie, Salutienſis ditionis hæreditas, non ad Gallorum Reges, ſed ad Sabaudiæ Duces rediiſſet. Verum tamen Emmanueli Philiberto ſatisfuit, quod imminebat religioni malo quantùm poterat, eo tempore proſpicere, & Henrici Regis rationibus conſulere: cauſſam quidem ſuam, tametſi iuſtiſſimam, Regis commodo poſthabui. Atque hæc officia in Regem ab Emmanuele Philiberto profecta, poſtrema fuerunt, temporis quidem conditione, non ipſius voluntate. dum enim laxare à curis

Emmanuel. Philiber. ius in Salutienſes.

Emmanuel. Philiber. in Regem beneuolentia.

animum in ſeceſſu cupit, ſeſeque ex diuturnis laboribus refice-re; ſenſim ei natura vitæ finem admaturat. Fundos ſuburba-nos Lucentem, & Valentinum animi cauſſa frequentare cæpit; ſi tamen animi cauſſa: nam, qui rem altius perſpiciebant, mul-titudinem, & aulæ frequentiam eum conſultò fugiſſe exiſtima-bant; ne nocturnus ad ſe, modo huius, modò illius aduentus, & priuata de grauioribus rebus colloquia, à quibuſdam ſagaciori-bus obſeruarentur, atque ea ratione indagarentur eorum cauſ-ſæ; quas efferri atque emanare non oportebat. Sed ex ijs locis, quòd propinqua erant, ferè quotidiè Taurinum, Taurinoq; ad eoſdem fundos commeabat: vnica rheda, comitibus paucis, ijſq; intimis; Philippo genero, Iacobo Antonio Turriano anti-quiſſima familia nato, cuius maiores Mediolanenſis ciuitatis im-perium obtinuerant, & alijs duobus à cubiculo. Regendarum prouinciarum curam filio Carolo Emmanueli dedit: additis, qui ab eo in conſilium adhiberentur prudentiſſimis viris. Ex quibus grauiora negotia vel præſens, vel abſens cognoſcebat, atque ſi vſus poſceret, conſtituebat. ita publicis rebus, & filio, & ſibi ipſe optimè conſuluiſſe videbatur. In otio tamen non otioſus eſſe. nam ſomno excitatus, cui vetere inſtituto, quod in naturam verterat, quinque horas dabat, aut ad ſummum ſex; ſi nondum luceret, ea quę temporis illius ferebat occaſio, animo ſuo agitare, atque expendere ſolebat. albente Cœlo è lecto ſur-gebat. dum veſtiebatur dictabat; paruo cultui corporis ſpatio dato. Veſtitus erat mundus potius, & elegans, quàm ſumptuo-ſus, nam modeſto Principi haud ſatis decorum videbatur auri, vel gemmarum fulgore collucere: quibus rarò vtebatur, niſi annulo incluſis, & in galero nonnumquam. E cubili limine ſi-ne gladio prodire non ſolebat. quem etiam ſiue in hortis, ſiue in porticu, vel in alia ædium parte inambularet, geſtabat: ne-que cingulo alligatum, neque vti cæteri ſolent, de latere pendē-tem; ſed ſub ala brachii ſiniſtri compreſſum; vt eum ſi caſus fer ret, ad educendum expeditiorem haberet. Antè rem ſacram, ſi quod arduum negotium reſcripto explicandum eſſet, id in primis agebat. tum moderata ambulatione corpus exercebat:

Emmanuel Phili. ſeceſſus quærit.

Adminiſtratio Carolo Emmanueli filio.

Emmanuel Philib. vitæ ratio: & mores.

nam

nam pilæ ludum ingraueſcente ætate dimiſerat. poſt hæc ſacrificio intererat. paullò poſt prandebat. deinceps, facilis erat ad eum aditus iis, qui cum ipſo colloqui, vel palàm, vel ſecretò vellent. Legatis verò Principum nulla propè erat præſtituta hora. nam de quibus, oppidorum prouinciarumuè præfecti cognoſcere non poterant, ſiue publica eſſent, ſiue cuiuſuis prouincialis priuata; de iis ferè altero quoque die concilium habebat: euocato vtroque, Senatus, & ſingulis aliorum magiſtratuum præſidibus; & conſiliariis. quòd ſi quid eſſet eiuſmodi, quod tegi, comprimique oporteret; id rarò cum alio quopiam, quàm cum Andrea Prouana communicabat: nonnunquam etiam ſolus ſtatuebat. Magna erat in eo, quod ſæpè antea diximus, ingenii vis in diſcernendo, magna in eligendo ſcientia, ex memoria præteritorum, atque ex rerum omnium vſu. Dicacitatē in homine ingenuo non probabat; neque ſæpe ipſe iocabatur: ſed nunquam niſi eleganter, & vrbanè, interdùm etiam acutè reſpondebat. Cum in ſermonem de iracundis hominibus incidiſſet, & à nonnullis affirmaretur, quantò ij magis efferueſcunt impotenteſque, ac contumelioſi ſunt, tantò cæteris præſtare bonitate naturæ: quoniam eos è veſtigio pœnitet, ac ſi quem verbo, vel manu læſerunt, dolent, & factum nollent: dixit, illos videri ſibi Crocodilo, hac in re poſſe comparari, quòd is mortem eius deflet, quem paullò antè interemit. De quodam maleuolo dicere ſolebat, ille mihi maledicit, & omnibus modis me lædere conatur, ego contra nihil de eius fama detraho, prodeſſeq; magnopere cupio: & quamuis vterque noſtrum iniuſtè agat, ille tamen iniuſtius. Imperatorē exercitus, quantumuis fortem, reique militaris peritiſſimum, ſi auaritia laboraret, ſimilem aiebat eſſe aquilæ, ad ſtipitem deligatæ; quæ altiſſimè ſeſe extolleret, niſi vinculis teneretur. Aſſentatores vehementer oderat, & ab eis omni ratione ſibi cauendum ſenſebat; quos affirmabat, anguibus longè peiores eſſe. horum enim naturæ vitium patēre, & omnibus ita notum eſſe, vt vitari poſſit; illorum nouum quoddam venenum, & plerumque latēre, & eò deterius eſſe, quòd perimat delectando. Ab eo qui res

Lepidè dicta.

ſuas

ſuas domeſticas diſpenſabat, ſe magna pecunia fraudatum acceperat. cumque de eius ſcelere, lenibus tamen verbis, quereretur, ille verò factum negaret, diceretque opes ipſius, remque omnem maiori curæ eſſe nemini, quàm ſibi; iſtud ipſum eſt, inquit, quod mihi dolet: mallem enim longè minori. Plura alia ab eo cum grauiter, tum acutè dicta poterant huc afferri: Sed hæc pauca ad indicandum acumen ingenij ſatis eſſe cenſuimus. De tuendæ, propugnandæque Chriſtianæ religionis ſtudio, de iuſtitia, de liberalitate, de prudentia, de magnitudine animi, multa item ad ea quæ ſcripſimus, addi poſſe viderentur: ſed ſingula perſequi neceſſe non eſt. Illud certè prætermitti non debuit, ſic ab eo cum iuſtitia coniunctam æquitatem, atque clementiam fuiſſe, vt neque flagitiorum impunitate cupiditatum licentiam augeret, ſceleribusque facultatem, & materiam daret; neque omnia ad ſummam ſeueritatem reuocaret. in primis verò id magnoperè cauendum putabat; ne vmquam maior eſſet pœna, quàm culpa. ſontibus, & maleficis, niſi ij maieſtatem diuinam, vel humanam imminuiſſent, vel ſicarij, vel proditores eſſent, vel perdullionis rei, tametſi capitis condemnati, aliquid plerumque de pœna remittebat: nonnunquam etiam omne ſupplicium, & animaduerſionem condonabat, vel commutabat. vt ſi cui ceruicibus caput abſcindendum eſſet, aut frangenda laqueo gula; hunc vel æternis tenebris vinculiſque mandaret; vel perpetuo remigandi miniſterio manciperet. certè à necando, perdendoq; homine prorſus abhorrebat: quem ſi liberari, abſoluique leges non ſinerent, quacumq; ratione fieri poterat, in vita retinendum cenſebat. Quanta fuerit in eo altitudo, magnitudoq; animi, quanta grauitas, & fortitudo; quiuis facilè perſpiciet, qui duriſſima eius tempora, & diuturnas calamitates, & caſus aduerſos, eoſque plures in memoriam rediget: ac ſimul reputabit, numquàm animo fractum, neque de gradu deiectum, neque vllo metu perculſum, ſummam ſemper ore, ſermone, re, conſtantiam retinuiſſe. Vbi verò in vetus imperium reſtitutus eſt, poſt duplicem de Gallis victoriam, æquabilitas eius, & moderatio, & temperantia ſatis

Eiuſdem iuſticia, & clementia.

Animi magnitudo, & fortitudo.

Moderatio.

eni-

enituit: dum inimicis facilè ignoſcit, iniurias non ulciſcitur, offenſiones deponit. præterea, cum belli gerendi non deeſſent occaſiones, ipſeque tantum in re militari nomen conſecutus eſſet; tantiſque armorum, & copiarum, & opum viribus niteretur: quietem tamen bello prætulit. ac poſtquam, conciliata inter duos Reges Hiſpanum, & Gallum pace, ab armis diſceſſum eſt, & finitimis & remotis regionibus ab eo quies, & otium fuit. Quarè populi ditionis Subalpinæ, Tranſalpinæque nullis bellorum incommodis affecti, in ſumma tranquillitate annis triginta, & altero, Emmanuele Philiberto imperante vitam traduxerunt. Obſeruatum eſt, nihil ab eo impetu animi perturbationeuè factum, natura quidem vehementi, ſed non admodum iracundo: quòd ſi quando ita commoueretur, vt cuipiam ſuccenſeret, cohibebat iracundiam, qua exardere, efferrique Principem, qui ſummum imperium haberet, turpe cenſebat. Ex vnica vxore Margarita, vti demonſtrauimus filium vnicum genuit. filios autem alios ex amatis mulieribus ſuſcepit quinque; Mariam, Amedeum, Philippum, Mathildim, Ternauaſium. Si quando animo eſſet à cura vacuo, & otio abundaret, quod perrarò contingebat, fabrili alicui operi nonnumquam manus admouebat. nam modò exemplar ex argilla fecit, atq; ære liquato circumfuſo, vel vaſa ænea ad hortos exornandos, vel murale tormentum conflauit; modò loculamentum, quo tormentum minus exciperetur, aſcia expoliuit. Alea non temerè luſit, niſi cum à Principe viro prouocaretur, aut cum iter faceret: partem eam temporis aleæ tribuens, quæ diei illius itineri ſuperfuiſſet. numquam diei noctem, vel nocti diem ludendo coniunxit. colluſores, vel hoſpites, vel ex domeſticis, intimiſque pauci. cuius verò aleæ radix eſſet, non animi remiſſio, ſed quæſtus, & lucri cupiditas; hanc ſemper in homine honeſto reprehendebat, malitiamque, & improbitatem olêre iudicabat. Temporis, & officiorum rationem diſtinguere ſolebat, & diem noctemq; in plura ſpatia partiebatur: & quam cuique rei partem deſtinaſſet, non facilè confundebat. Poſtquàm illuxerat, hora quinta ad ſummum ſexta prandium apponebatur

Populis quies præſtita.

Iracūdia frenata.

Liberi ex vxore & alijs.

Quid ageret in Otio.

Aleatores oderat.

Temporis, & Officiorū diſtinctio.

tur. inter prandium, & cœnam pleru͂mq; intervallum erat horarum octo, & vtrique breue temporis ſpatium tribuebatur.

Suppellex. Suppellex lauta, ac ſi vſus poſceret, ſumptuoſa & Regia, apparatus elegantes. cibi quotidiani nec redundantes, nec exquiſiti; quibus tamen aliquantò largius in cœna, quàm in prandio veſcebatur. numquàm in potu nimius; ſed moderatè, mediocriterque bibebat.

Victus quotidianus.

Corporis conſtitutio. Forma totius corporis per omnes ætatis gradus vſque ad quinquageſimum annum fuit eximia. optima corporis conſtitutio: ſtatura iuſta; caput mediocre; frons neq: anguſta: neque admodùm lata, quæ tametſi grauis, tranquilla tamen, & ſerena; ſupercilia decora, & diſiuncta: oculi haud magni, cærulei, & acres: naſus rectus: inferius labrum paullò craſſius: barbæ, & capilli color idem, inter fuſcum, & flauum medius. labri ſuperioris, quod tonderi nolebat denſior, & promiſſior pilus: oris totius magna dignitas, & maieſtas quædam militaris. humeri lati; brachia neruoſa: magnus graciliores, neque magnæ admodum, ſed robuſtæ: omnia corporis membra congruentia, inter ſe compacta, & firma: crura infrà genu introrsùm modicè incurua; qua ratione equo nemo firmius, aut elegantius inſidebat.

Membra aucta. Sed biennio antè quàm è vita decederet ita creſcebant indies membra, vt corpus totum potius tumere, quàm augeri videretur.

Medicorũ iudicium. Id vbi animaduertere medici quibus nobiliſſimis atque optimis vtebatur, Antonio Bocco, quem cæteris medicis præpoſuerat, Georgio Argenterio, & alijs, cœpere eius ſaluti diffidere, idq́ue magnum eſſe vitæ breuioris indicium cenſuerunt. verebantur item nonnulli, nè in aquæ intercutis morbum incidiſſet. nec defuere qui Principem adirent; rogarent vt ſaluti conſuleret, niſi ſibi caueret à vitæ periculo non procul abfuturum denuntiarent. ſed cum nullo morbi genere vrgeretur; putaretq́ue ipſe belle habere, quòd nulla valetudinis perturbatione laboraret, niſi

Sitis moleſta. quòd moleſta atque aſſidua ſiti vrgebatur, nihil eorum vocibus permotus eſt. Quare victus rationem non immutans; neque aliquid de priſtina conſuetudine remittens, duodecimo

In morbũ incidit. Calen. Septembris in febrim leuem incidit. tùm quotidie

Digitized by Google

augeri, nec tamen aſſiduè cœpit: interdum enim ea leuati videbatur. ſed quinto valetudinis die, magna vis ſanguinis è naribus profluxit: qui cum vlla curatione ſiſti non poſſet; vix ad decimum viuus peruenit. Integris ſenſibus fuit, vſque ad ſpiritum vitæ extremum. cuius cùm adeſſe ſibi finem intelligeret, haud quaquam territus eſt. Sed pridie, quàm è vita diſcederet, euocato ad ſe Carolo Emmanuele filio, dimidiatas arcium teſſeras ei tradidit; vt cùm illas earum præfectis deferri iuſiſſet, teſſeris acceptis, liberas arces eius arbitratu dimitterent, eiq; redderent. Non tamẽ eum monendum hortandumùe putauit, ne longiore ſermone dolorem adoleſcentis, qui lachrymas tenere non poterat, augeret: ſed ad Prouanam, & Turrianum, qui ipſo morbi tempore ab eius lecto nunquàm longius abfuerant, & quorum præſentia recreabatur, dixit: ſi viſum fuiſſet ſuperis paullò longius vitam ſibi producere, libenter ſe victurum fuiſſe longius; modò Reip. Chriſtianæ prodeſſe, vel amicis vſui eſſe potuiſſet. ſed neque inuitum mori, quo tempore pacatas ſuas prouincias, & populos amantes, fidiſſimoſque, & filium adultum, magnis ornatum virtutibus, atque imperio, cui ſucceſſurus erat; longè maiorem relinquebat. Tum ſciens ſerius, aut ocyus mortem omnibus eſſe à natura propoſitam, ſupplex, vt ſolebat ſæpè, ad Chriſti Ieſu clementiam, admirabilemq; charitatem confugit: pœnitentis enim errato, tametſi grauiſſimè creberrimeque lapſus eſſet, ſemper veniam dari ex Chriſtiana veritate didicerat. Quare ſacerdoti, quantùm peccaſſet vltrò confeſſus, de criminibus abſolutus eſt. Corpus Chriſti ab Archiepiſcopo Ruuereio delatum, quòd Euchariſtia meritò dicitur, quàm demiſſimè adoratum, ſaluberrimum animæ cibum edit. Archiepiſcopus, qui propoſuerat nonnulla ſummatim dicere de ſacramentorum excellentia, de exiguo vitæ noſtræ curriculo, de ſingulari Dei miſericordia, de ſempiterna felicitate; vbi animaduertit optimo, & amato Principi naturæ diſſolutionem inſtare; eumque conſpexit, amiſſis viribus pallentem, propeque exanguem, ore macilento, barba ſangui-

Quæ extremo vitæ tempore.

Peccata confitetur.

Euchariſtiã ſumit.

ne etiamnum fluente oblita, hæſit ſtupenti ſimilis: & animi dolore interclusam vocem emittere non potuit. Sed Emmanuel Philibertus quodammodò partes egit ipſius: nam & collegit ſeſe, & voce etiamnum ſatis firma, eorum quæcumque dixiſſet, egiſſet, inuitus, inſcius, atque etiam ſciens & prudens, quibus diuinum numen offendiſſet, ſe maximè pœnitere affirmauit: erratorum omnium veniam ex animo petere; omnem ſalutis ſpem in ſola Dei miſericordia repoſitam habere. quæ cum diceret, eorum qui aderant nemo fuit, qui vberrimas lachrymas non effunderet. Paullò poſt Archiepiſcopus ſacro oleo delibutum, poſtremoque animam agentem pijs precibus Deo commendauit. is autem ſæpè ſubmiſſa voce Ieſu Chriſti nomine appellato, poſtea conticuit: occupanteq; eum paullatim morte, cum vixiſſet annos duos & quinquaginta, menſem vnum, & dies viginti duos, tertio Calen. Septembris, hora poſt meridiem ſecunda, e vita migrauit. Cor in pectore, & membra omnia, quæ vitalia dicuntur, integra & inuiolata erant, præter hepar, quod exaruerat, propèque exuſtum eſſe videbatur. Quo die mortuus eſt, ſolita veſte indutus, Sceptro ad humerum, Corona ad pedes appoſita, iacuit in feretro, apertis cubiculi foribus, vt eius videndi libera omnibus poteſtas eſſet. Actum eſt interim de funebri pompa; qua Carolus Emmanuel filius omnes magnificas, ampliſſimaſque Principum Italorum exequias ſuperari cupiebat. Sed cum patris mandata in mentem rediiſſent, eo conſilio deſtitit. mandarat enim vt inſigne templum extrueretur, ornareturque, in quo ſacram Sindonem, de qua ſupra diximus, decentiſſimè reponi, & cuſtodiri volebat: atque ipſe in templo eodem humari, cum extremum vitæ diem confeciſſet. Itaque filius omnem funebris pompæ ſplendorem, in tempus illud, quo mandata patris perficerentur, differendum ratus, interim grandem pecuniæ ſummam, quæ in funus ducendum eroganda erat, ad triginta nummûm aureûm millia, ad vſus multorum neceſſarios conuertit: in homines honeſtos qui egerent, & eos puderet inopiæ, vndique magna di-

Poſtrema Emmanuelis Philiberti verba.

Olei ſacri vnctio.

Animæ commendatio.

Mors.

Funebris pōpa dilata.

Carolus Emmanuel grandē pecuniam erogat.

ligen-

ligentia conquiſitos; item in plures religioſas virorum, & virginum familias diuiſit. Vbi de morte Ducis auditum eſt; Taurinenſis ciuitas, quæ tota votis pro eius ſalute nuncupandis, quotidianiſq; ſupplicationibus occupata erat, triſtiſſimo nuntio perculſa, continuò in maximos luctus incidit: in ſummo mœrore verſata eſt: vbique incredibilis doloris indicia, gemitus, mæſtitia, lachrymæ, ſolitudo: immutata vrbis facies, officinæ clauſæ, mœſtum in omnibus ſilentium. Clauſæ item oppidi portæ; ſed ea ratione, nè quiſquam nuntios anteueniret, quos ad Reges, & Principes de patris morte filius mittere conſtituerat. Ii poſtridiè alius aliò profecturus diſceſſerunt. Miſsus eſt ad Philippum Hiſpaniarũ Regem Ludouicus Gorgenonius Pereziorum dominus, à quo præter Caroli Emmanuelis literas relatus eſt prætereà de more, torquis aurei velleris. Rex cum de morte Emmanuelis Philiberti cognouiſſet, fertur eam grauiſſimè tuliſſe, atque ea de re vberrimas ad filium eius literas dediſſe. Sæpè verò ſecum ingemuiſſe, palamque dixiſſe; non poſſe ſe non vehementer dolere, priuatum vita Principem affinem & amiciſſimum, magnum militaris diſciplinæ decus, magnum Chriſtianæ Reipub. præſidium: de quo nondùm conſtituiſſet, militiæ nè, an domi fuiſſet clarior: & an magis animi fortitudine in rebus aduerſis, quàm in ſecundis prudentia, & moderatione laudandus eſſe videretur.

Ciuitatis luctus.

Gorgenonius torquem refert Philippo Regi.

Dicta Philippi Regis de Emmanuele Philiberto.

FINIS.

Digitized by Google

2

IMPRESE

DI TRE ACADEMIE

PARTENIE

CON LE LORO DICHIARATIONI
fatteui ſopra da tre nobili Academici.

Raccolte in vno da Gio. Battiſta Piccaglia.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Dedicate
All'Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Monſig.
IL SIGNORE CESARE SPETIANO
VESCOVO DI CREMONA,

CON PRIVILEGIO.



BIBLIOTECA NAZ.

IN MILANO,

Per l'Herede del quon. Pacifico Pontio, & Gio. Battiſta
Piccaglia Stampatori Archiepiſcopali. MDCIII.

Con licenza de' Superiori.

Digitized by Google

All'Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Monſig.

IL SIGNORE CESARE
SPETIANO VESCOVO
DI CREMONA,

Patron mio colendiſs.

IO *sò quanto V.S. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. ami & apprezzi, non ſolamente le ſcienze alte, & perfette, delle quali ha pieno il petto, ma etiandio quelle che volgarmente appelliamo Belle lettere; le quali hoggidì in Italia rifioriſcono: & per conſeguente emmi nota & chiara l'affettione che porta à Padri della Compagnia di Gieſù, da lei nella Città di Cremona per beneficio del ſuo Clero, & Popolo poco dianzi introdotti; come quelli che al mantenimento, & aumento di cotale ſtudio non poco ſi affaticano. La onde ho ſtimato douerle eſſer cariſſimo il libretto che da me ſtampato con humil riuerenza le preſento, & dono del ſuo*

Digitized by Google

